Auctor Cornelius Jansenius
Episcopus Iprensis.

[illegible]

# ALEXANDRI PATRICII ARMACANI, THEOLOGI

# MARS GALLICVS

SEV

# DE IVSTITIA ARMORVM, ET FOEDERVM REGIS GALLIÆ

LIBRI DVO.

*Editio novissima.*

Arrogantiæ non est, vel quærere vel asserere veritatem. *Aug. lib.* 4. *contra Crescon. cap.* 66.

---

ANNO M.DC. XXXIX.

# PRÆFATIO.

QVemadmodum Oceanus duobus motuum generibus agitatur, perenni reciprocationis æstu, & prorumpentibus per intervalla tempestatibus; quorum ille causas tam altè abstrusas habet, ut nullâ hactenus Philosophiæ sagacitate detegi potuerint; istæ tam perspicuas, ut nullâ subtilitate tegi: ita cor humanum Oceano simillimum duas actionum species parit, quarum aliæ in ipso præcordiorum recessu absconditis cardinibus nituntur, ex quibus judicentur bonæ aut malæ, quos ille solus perspicit, qui quidquid mille perplexitatibus involutum est, veluti Solis radio scriptum legit; aliæ tam perspicuæ improbitatis notas quasi frontibus præfixas gerunt, ut difficile sit, vel imperitioribus nebulas ingenii dexteritate vel sermonis offundere. Tam enim enormiter in ipsa principia Christianę pietatis impingunt, ut quidquid fucandæ turpitudini prætexitur, magis ad affundendam colorantibus improbitatem valeat, quàm actionibus detrahendam. Cujus ordinis plerisque peritis juxtà atque imperitis videntur esse illa fœdera

ſubſidiaque Gallicana, quibus hoſtes Romanæ fidei in utrâque Germaniâ armati, Catholicam Eccleſiam jam multos annos uſque ad illud poſtremum excidium Thenenſe,*a* & obſidionem Lovanienſem, ferro flammâque populati ſunt. Quid enim de illis Chriſtianus orbis ſentiat, fideliùs ex Catholicorum gemitibus, quàm ſcriptis diſcitur. Illi enim ex fundo Chriſtianæ pietatis oriuntur; hæc defectibus ingeniorum quandoque obnoxia ſunt, quos eis, vel affectuum perturbatio, vel ignorantia veritatis affricuerit. Ex quo factum arbitror, ut neminem vel Francum Catholicum hactenus viderim, qui intellectâ circumſtantiarum veritate, quibus iſta Germanica Belgicaque bella veſtiuntur, non in gemitum de ſuppetiis illis Gallicanis eruperit; pauciſſimos, qui eas qualicumque defenſionis pallio, velut verecundanti fronti manum opponerent, velare conarentur.

In quo genere prodiit nuper libellus *M. Beſiani Arroyi P. ſacræ Theologiæ Doctoris Facultatis*, ut præ ſe fert, *b Pariſienſis, nec-non Theologalis Eccleſiæ Lugdunenſis*, priuilegio & approbantium cenſurâ munitus, ipſique Francorum Regi

*a* vulgò *Thienen* ac *Tillemont*.

*b* Queſtions decidées, &c. Par M. Beſian Arroy P. Docteur en Theologie de la Faculté de Paris, & Theologal de l'Egliſe de Lion. Imprimé à Paris chez Guillaume Loiſon an. 1634. Avec privilege, & approbation des Docteurs.

Regi dedicatus, quarumdam *Quæstionum decisione* ſpecioſus: inter quas iſta de fœderibus ſuppetiiſque Gallicis una eſt; altera de juſtitiâ bellorum, quæ Rex Chriſtianiſſimus partim in Imperij quaſdam Provincias jam ſuſcepit, partim in univerſa penè Europæ Regna meditatur. Profitetur enim apertiſſimè, Imperium eſſe Gallicæ Coronæ indivulsè nexum, & quotquot illud, vel ejus partem detinent, eſſe injuſtos, uſurpatores, raptores, omnia armis Francorum eſſe repetenda. Quid autem Imperii nomine intelligat, accipe, & miraberis mecum hiantis ambitûs immanitatem. *Continebat*, inquit, *c Imperium Gallias, Italiam univerſam, ab Auguſtâ Vindelicorum ad Calabriam inferiorem uſque, Germaniam, Hungariam, Poloniam, Ruſsiam, Pruſsiam, Livoniam, Lithuaniam, Moſcoviam, Sclavoniam, Podoliam, Albam Ruſsiam, VValachiam,* &c. *& ultra Gallias complectebatur montes Pyrenæos, & Hiſpaniæ partem cis Iberum.* En limites, Lector, Imperii, quod Francis ita debitum eſ-



c Du temps que les François ont tenu l'Empire, il contenoit toutes les Gaules, l'Italie entiere à prendre depuis Auſpourg juſques à la Calabre inferieure; l'Allemagne, la Hongrie, la Pologne, la Ruſſie, la Pruſſie, la Livonie, la Lithuanie, la Moſcovie, la Slavonie, Podolie, l'Alberuſſie, la VValachie, &c. & toutes les Gaules du coſté des mons Pyrenees. Il poſſedoit tous les mons, & de l'Eſpagne ce qui eſt deçà la riviere Ebro, où eſt contenue la Comté de Catalogne. *Fol.* 110.

ſe ex Caroli Magni *a* ſucceſſione ſentit, ac docet, ut, quiſquis Europæorum Principum ullam ejus laciniam poſſideat, *uſurpationis b injuſtæ* reus ſit. Quâ unicâ ſententiolâ Principes Europæ ferè univerſi, Imperator, Reges Hiſpaniæ, Hungariæ, Poloniæ; Duces Moſcoviæ, Bavariæ, Lotharingiæ; omnes Principes Italiæ; omnes Civitates Imperiales ad manticam rediguntur: ita planè, ut *legibus c conſcientiæ* ipſi ad reſtituendum, *Franci d etiam ad repetendum armis,* teneantur. Huc profitetur ſpectare fœdera cum infidelibus, tamquam ſtratagema, quo, viribus hoſtium debilitatis, faciliùs injuſtè detenta repetantur. Huc tendunt aculei, quibus paſſim Gentiles ſuos ad arma contra Principes Eccleſiæ Catholicæ univerſos concitat, ut alacriter tam juſta bella Gallicana perſequantur. Nimirum maturè buccinator iſte claſſi-

cum

*a Fol.* 69. Louys le Juſte doit regner ſur tout ce Royaume. *Voyez toute la page*, &c.

*b Fol.* 38. L'Empereur, quand il aura rendu la couronne Imperiale aux legitimes ſucceſſeurs de Charle-Magne.

Et *Fol.* 100. L'Empereur ou ſes predeceſſeurs nous ont ravy l'Empire. Tout le reſte des petits Princes de l'Europe n'ont que le bien, qu'ils ont envahy ſur nous pendant les troubles, &c.

*c Fol.* 93. L'injuſte detenteur, qui poſſede ce bien par ceſte injuſte alienation, ou par uſurpation, ne peut le tenir en conſcience, &c.

*d Fol.* 98. Il y va de noſtre conſcience en ne le faiſant pas, ſi nous le pouvons, &c. *Vide citata lib.* 1. *cap.* 42.

cum canit, ut exciti omnes Principes molimi-num tantorum ſcopum, quibus Europa per-turbatur, intelligant. Quidquid videlicet Provinciarum atque Terrarum, arte, Marte, ſtratagematum verſutiâ, fœderum impieta-te, hæreticorum barbarorumque commo-tione Principibus quibuſcumque Europæis avelli poteſt, id ad Franciæ Coronam poſt-liminiò reducendum eſt. O portentum am-bitionis! quibus æſtibus perturbas ſerenita-tem veritatis! quæ ludibria ſceptris inhian-tium cogitationibus objicis! Ægræ profectò mentis ſomnium, vel febricitantis delirium hujuſmodi phantaſmata eſſe putaviſſem, niſi hæc ab Hierarchiæ Eccleſiaſticæ Miniſtris, & à S. Theologiæ Doctoribus ſeriò diſpu-tari, & quaſi ſapienter adſtrui, & publicis typis, adſtipulante Cenſorum calculo, vul-gari cernerem.

Quapropter cùm non levioris culpæ ſub-inde ſit, tacere quando loquendum eſt, quàm loqui quando tacendum; non abs re publicâ, vel boni viri officio me facturum arbitratus ſum, ſi inſanas hominis iſtius vo-ces, arrepto calamo, quantum Deus dederit, retunderem. Si enim licuit incruenti Sacrifi-cii Myſtæ cruentorum bellorum incento-rem agere, liceat Chriſtianæ tranquillitatis

candidato prælia voce dirimere, fugientemque pacem, quantùm fieri poteſt, veritatis defenſione revocare. Si illi fœdera Reipublicæ Catholicæ tam luctuoſa tueri fas fuit, fas mihi ſit, Catholicorum gemitus, quibus ea deplorant, & intereuntis Religionis calamitates miſerantur, non indefenſos prætermittere. Hoc eò juſtiùs mihi concedendum ab omnibus æquis rerum arbitris puto, quòd non paci tantùm, ſed & veritati laborem iſtum conſecrantes, juxta ſacrarum Scripturarum vocem: h *Veritatem tantùm, & pacem diligite*; bella corporum, erroreſque animorum jugulare unâ eâdemque lucubratione contendimus. Etenim tot hallucinationum ſordibus Hiſtoriarum veritatem, tot erroribus ipſam S. Theologiæ dignitatem Scriptor iſte contaminavit, ut magis mirandum ſit, in iſtâ publicâ doctrinarum luce inveniri poſſe, qui tot mentis exorbitationes annuendo vel diſſimulando probaverint, quàm indignandum eſſe, qui odio falſitatis improbaverint.

Nec verò mihi vitio quiſquam verterit, quòd facta Principum ad incudem veritatis revocaverim. Veritas inſtar Solis publicum bonum eſt: quæ nihil omninò neque Principum, neque privatorum, nec hominum, nec Angelorum, à ſuis legibus immune eſſe patitur.

h *Zachar.* 8.

tur. Solis istius radios, quantùm licuit, secutus sum; perspicuis principiis usus involuta evolvi, nexus rerum patefeci. Si quid illa lux proscripserit, quid adversùs veritatem, vel ejus assertorem clamant? Publicis factis, non scriptis indignetur, quisquis ea divinâ luce damnari, Christianâ pietate reprobari, molestè ferat. Plusquam humanæ tyrannidis est, cùm tibi quidlibet faciendi licentiam arrogaveris, ipsam velle facem, quâ facta judicantur, exstinguere, fideique libertatem suâ voce frustrare. Nec etiam mihi quisquam quasi aliquid solidius dicturus occinat, (quemadmodum perspicuo crimini palliando fieri video) Princeps, Rex, Imperator iste, vel ille, similiter fecit. Absit modò calumnia, nec se fatiget. Qui similiter fecit, similiter judicabitur. Pessimum peccati patrocinium est, multitudo peccantium. Ubi veritas non accipit personam, nec ego accipio. Hoc damno, quod illa damnaverit, quisquis tandem vel Regum vel Imperatorum impegerit in lucem ejus. Non ego hîc arrogantiæ invidiam formidaverim. Securum me fecit Augustinus, quando dixit: a *Non est arrogantia vel quærere, vel asserere veritatem.* Nam eam sollicitè quærere, quando

 latet,

a *Aug. lib. 4. cont. Crescon. c. 66.*

latet, charitatis inchoatio est; piè constanterque asserere, quando patet, charitatis consummatio; in ejus luce gestire, inchoatæ consummatæque felicitatis. a *Quid enim beatius eo, qui fruitur inconcussâ, & incommutabili, & excellentissima veritate?*

Cùm igitur neque vitâ, neque morte, nec actionibus, nec sermonibus disjungi à veritate debeamus, quis judicium ejus de publicis factis subterfugiat, ægreque ferat, nisi qui in illam nos velit infelicitatem temporum incidere, quibus nec sentire, quæ velis, nec quæ sentias, dicere liceat: vel potiùs, quibus nec sentire, quod veritas dictet, neque dicere, quod veritas jubeat, permittatur? Regibus timorem, honorem, reverentiam deberi scio; sed majorem Veritati. Nec illa reverentia est, publicas noxiasque morum labes probrosâ adulandi abjectione, ac cæcitate tegere: sed potiùs Christianâ pietate patefacere, & modestiâ redarguere. Utramque exhibui, quantùm, Deo juvante, potui; &, nisi me fallit, quantùm debui. Scio, procaciam erga sublimiores potestates divinâ lege proscriptam esse: scio etiam, culpatum ab Augustino b humilitatis excessum. Quo vitio tunc delinqui maximè solet, cùm facta publica,

a *Aug. lib 2. de lib. Arb. c. 13.*
b *Lib. 5. de Civit. c. 24.*

blica, quæ veritas damnat, perſonarum, non rerum veneratione, damnare trepidamus: cujuſmodi diſſimulatio plerumque in publicæ diſciplinæ noxam, fideique interitum cedit. Contra quos abjectiores affectus Scriptura puſillanimis fiduciam inſpirat: *Noli eſſe humilis in ſapientia tua; ne humiliatus in ſtultitiam ſeducaris* a: adulatoribus verò timorem: *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum: ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras* b. Quamobrem illi, quorũ officium eſt loqui, haud ſecùs Deo rationem reddituri ſunt, quòd publicis hujuſmodi corruptelis ſtylo aut voce pepercerint, ac ſi calculo comprobaſſent. Diſſimulando enim, coram hominibus probant, quod animo improbant coram Deo. Quid prodeſt autem, Deo damnaſſe, quod hominibus in ruinam ædificandis probaſſe videaris? Ignoravi, fateor, illas conſcientiarum ſtrophas, quibus juſtitia plerumque læditur, dum neſcio quâ Religionis perverſione, hominibus parcere, quàm veritati malumus. Quaſi verò non utrumque fieri poſſit ac debeat, ut & adversùs homines obſervantia, & adversùs vitia cenſura ſervetur. Quapropter ſiquid durius forſan hîc inciderit, vel potiùs, alicui viſum fuerit, in facta, non in perſonas, jactum eſt. Si res no-

a *Eccleſiaſt.* 13. b *Iſaia* 6.

 mi-

minibus nuncupentur ſuis, cui niſi veritati, quæ ſic appellari jubet, vitio dederis, aut illi certè, qui talem diſputandi appellandiq́ue neceſſitatem dedit? Quid enim injuſtius, quàm res orbi Chriſtiano graviſſimâ cenſurâ veritatis dignas offerre, & indigna rebus vocabula poſtulare? Nimirum perinde concinni hujuſmodi ſunt, atque ille, *qui ocreâ velit caput contegi, & galea calceari*, a & murmuret, ſi ſuum cuique membro ornamenti decus tribuatur. Quòd ſicubi verò in ipſam veritatem alicui offendiſſe videar, fieri potuiſſe non diffiteor, propriæ humanæq́ue conſcius infirmitatis; cui numquam ita benè ad ſcientiam ſubducta ratio eſt, quin ætas ac ſtudium aliquid apportet novi, quod, cùm te ſcire credas, neſcias. Verumtamen quiſquis me falli arbitratur, etiam atque etiam videat, ne fortè in offuſis rerum antiquarum vel veriſimilium ratiuncularum tenebris ipſe fallatur. Forſan enim admotâ face demonſtrabitur, lapſus eſſe Lectoris, quos Scriptoris errores eſſe putat.

a *Aug. lib. 3. Confeſſ. 7.*

ALEXAN-

# ALEXANDRI PATRICII ARMACANI, THEOLOGI,

## De Iustitiâ Armorum & Fœderum Regis Christianissimi,

## LIBER PRIMVS.

### CAPVT PRIMVM.

*Proponitur prima Arroyi Quæstio: & paralogismus in assignanda justa belli causa declaratur.*

PRINCIPIO igitur Arroyus quærit: a *Vtrùm Rex Franciæ justam inferendi belli causam habeat?* belli, inquam, istius tam luctuosi Christianæ Religioni, quo Belgium, & Germania, Franco Batavos atque barbaros ex ultimis Septemtrionis recessibus evocante, jam tot annos flagrat; quo partem Alsatiæ, Treveros, Lotharingiam nuper occupavit; quod ad vindicandam sibi postliminiò Italiam, partem Hispaniæ, Belgium, Germaniam, reliquamque Europam penè totam, juxta catalogum provinciarum ex Arroyo paulò antè in Præfatio-

 ne

a q. 1. Si le Roy de France a juste cause de faire la guerre?

ne deſcriptum, oblatâ, vel ſuſcitatâ ſimili occaſione, inferre meditatur, uti retectâ fronte hic homo profitetur.

Quid igitur Arroyus ad iſtam quæſtionem? Præmittit ex D. Thoma, a unde totius operis ſui ſe fundamenta derivaturum ſpondet, tres eſſe juſti belli conditiones, b *ſupremam auctoritatem, juſtam belli cauſam, rectam bellantis intentionem.* Et quamvis ad id, quod agimus, perparum aut nihil referat, fide tamen laborat iſta S. Thomæ advocatio. Non enim nominat S. Thomas inter juſti belli conditiones ſupremam auctoritatem, ſed *Principis auctoritatem, cujus mandato bellum eſt gerendum.* Eodem modo & Auguſtinus loquitur, quando dicit ordinem naturalem hoc poſcere, ut *ſuſcipiendi belli auctoritas atque conſilium penes Principem ſit.* c Quâ principalis auctoritatis amplitudine fortaſſe ſignificatum volunt eſſe Principes quoſdam, quibus indicendi belli poteſtas competat, quamvis Imperatoriam aut Pontificiam Majeſtatem tamquam ſuperiorem colant; ac propterea, Arroyo judice, non abſolutè ſupremâ auctoritate polleant. Pergit igitur: *Suprema eſt Regis Franciæ auctoritas*; agnoſcimus: *Recta bellantis intentio*; de re occultâ dubitamus, vel certè remittimus eam Deo: *Iuſta ei belli cauſa*; negamus. De Regis igitur Franciæ ſummâ in Regnum ſuum auctoritate nil opus eſt ſatagere; de intentione ipſius forſan pauca inferiùs: in cauſam belli tota moles diſputationis hujus incumbet.

Porrò

a 2.2. q.40. a.1.

b FOL. 12. & 11.
La 1. Que celuy qui la fait aye auctorité ſouveraine comme les Monarques, & Republiques.
La 2. Qu'elle ſoit faite pour une juſte cauſe.
La 3. Que l'intention du Souverain ſoit bonne & droite.

c *Aug. lib. 22. contra Fauſt. cap. 75.*

Porrò hanc ei esse non tantùm justam, sed omninò justiorem, quàm ulli Monarchæ totius orbis terrarum, sic probat Arroyus: [a] *Ille Monarcha, cui plus adest supremæ auctoritatis, seu*, ut infrà loquitur, *cujus auctoritas suprema major est, cui plus adest juris ac rationis petendi, cui melior est bellandi intentio, ille justiorem inferendi belli causam habet. Atqui Rex Franciæ plus habet supremæ auctoritatis, quàm ullus Monarcha orbis terrarum universi, plus juris ac rationis petendi, intentionem denique meliorem; justiorem igitur inferendi belli causam habet, quàm ullus Monarcha totius terrarum orbis.* Hoc argumentum vocat [c] *indubitatum, totius propositi sui fundamentum; hoc ex omnibus partibus suis facillimo negotio comprobari posse.* Ubi quid potiùs mirer, ineptiam proponentis, an subsumentis vanitatem, an fœdissimas hallucinationes singula probare molientis? Vix enim tot syllabas continet argumentatio ista syllogistica, quot aberrationes in eâ concinnandâ probandâque committuntur. Singula videamus.

Ac primò quidem bellantis auctoritatem, intentionisque rectitudinem, à causæ justitiâ rectè distinxerat. Illam quippe & Augustinus, & Thomas, & quotquot rectè de rebus istis philosophati sunt, distinguenda judicarunt. Est enim frequentissimum, ut & summa sit gerentis bellum auctoritas, & intentio bona, causa tamen injustissima: & vice

[a] FOL. 25. Le Monarche, qui a plus d'autorité souverain, plus de raison & droit de demander, & melieure intention en guerre, a aussi plus juste cause de la faire. Or est il que le Roy de France a plus d'autorité souveraine, que tout autre Monarche du monde, il a plus de droit & raison de demander, & a melieure intention, doncque il a plus juste cause de faire la guerre, que tout autre Monarche du monde.

[b] FOL. 83. L'autorité souveraine des Rois de France est plus grande, que celle des autres Roys du monde.

[c] FOL. 16. Voilà le fondement de tout mon dessein; voilà disje mon argument, lequel estant prouvé en toutes ses parties, comme il est tres-facile.

Et FOL. 15, le le fais voir par un argument indubitable, le voicy, &c.

vice versâ, ut causa sit justissima, cujus auctoritas nulla, & intentio perversissima est. Nimiùm tardus est ad ista pertractanda, qui sine exemplis ea discernere nequit. Quis enim nescit, summam fuisse Romani populi auctoritatem, rectamque intentionem, quando Sabinas non priùs à parentibus petitas rapiebant; causam iniquissimam; quis è contrario nescit, nullâ legitimâ auctoritate, summâ intentionis iniquitate, privatos homines de irrogatis injuriis vindictam petere, sicut Julianus petiit, quando adversùs Rodericum Saracenos armavit, à quo graviter læsus fuerat?

Cùm igitur illa tria quàm maximè separata sint, eaque tu ipse, Arroye, tribus versibus antè veluti distincta separasses, hîc mirabili vertigine confundis omnia, & auctoritatis magnitudinem, intentionisque bonitatem in argumentum justitiæ ipsius causæ rapis. Rectissimè ergo dicitur, quòd qui plus habet juris atque rationis ad petendum vel repetendum id quod suum est, justiorem bellandi causam habeat: sed istius causæ justitiam nec excessus auctoritatis auget, nec defectus minuit; illius iniquitatem neque perversitas intentionis accusat, neque bonitas purgat. Sex igitur omninò modis in hac unica tua propositione ostendis inanitatem ingenii tui. Nam & causa æquissima esse potest, sine summâ bellandi auctoritate, & summa auctoritas, sine causæ æquitate. Rursus intentionis rectitudo adesse potest, sine causæ justitia; & causæ justitia, sine intentionis rectitudine. Denique summa auctoritas esse potest unà cum intentionis rectitudine, ubi nulla omninò causæ justitia; & causæ justitia, ubi nec bonitas intentionis, nec bellantis auctoritas. Hæc quippe bellantium perso-

personarum affectiones sunt; illa rerum propter quas bellum geritur: quod quacumque geratur intentione, vel auctoritate, numquam æqua causa iniqua fiet, nisi mutatio aliqua rebus ipsis afferatur. Nam, ut rectissimè sanctus Thomas, quem tuum Doctorem toties jactas, & cum eo concinēs Theologorum chorus: Justitia attendit medium rei, unicuique tribuens quod suum est. Quantacumque fuerit igitur bellum inferentis auctoritas, qualiscumque intentio, numquam efficiet, ut, quod reipsa indebitum fuerit, fiat suum; vel è converso, quod suum, fiat indebitum. Deus ipse nónne tantæ auctoritatis & majestatis est, & bonitatis, ut nil eò superius aut melius esse vel cogitari possit? quis tamen eò insipientiæ veniat, ut ex majestate, vel ex intētione bonâ vindicantis, causam vindictæ justam esse arbitretur? Ipsa Scriptura adversùs istas imaginationes disertissimis verbis intonat: *a Cùm ergo sis justus, justè omnia disponis. Ipsum quoque, qui non debet puniri, condemnare, exterum æstimas à virtute tuâ.* Exterum ergo à majestate, & justitiâ, & bonitate veri Regis est, vindictam exposcere ab iis qui non merentur; exterum, petere quod non est suum. Istæ quippe duæ belli justi causæ ab Augustino *b* proferuntur: *Iusta bella solent definiri, quæ ulciscuntur injurias, si qua gens, vel civitas, quæ bello petenda est, vel vindicare neglexerit quod à suis improbè factum est, vel reddere quod per injurias ablatum est.* Ex quo fit, ut, si nil ex parte rei vindicandum est, nihilque repetendum, nulla Regis majestas, auctoritas, sanctitas, solâ suâ majestate, intentionisque bonitate, causam ex injustâ justam fecerit,

a *Sap.* 12.
b *q.* 10. *super Iosue.*

rit, aut ex minùs justâ justiorẽ. Hoc enim, si quid umquam, est personas in judicãdo accipere, quod Scriptura vetat; videlicet, neglectâ rerum considerătione, quarum æqualitatem justitia quærit, & facit, ex personarum majestate, & animorum, quibus feruntur, motibus, bellorum justitiam injustitiamque suspendere.

Cùm ergo certissimam illam doctrinam, & æterna veritas, & naturalis æquitas, & consensus Theologorum omnium, & judicium omnium gentium clamet, quæ se maximè lædi putant, quando à robustis Regnorum venatoribus bonam intentionem injuriæ prętexentibus opprimuntur; quid ad propositum facit; quòd ad justiorem bellandi causam afferendam, belligerantium auctoritatem, intentionisq; bonitatem juri ipsorum permiscere voluisti? nimirum, ut campus tibi aperiretur, quo de sacrosanctâ *Regum unctione*, de *miraculosâ sanitate*, de *lege Salicâ*, de titulo Regis *Christianissimi*, & similibus, nihil omninò ad rem facientibus, copiosissimè sapientissimeque delirares: atque ita magnicrepantibus illis vocibus rudem popellum, quasi classicum canendo, ad arma concitares, dum dubitare nefas putet, quin purgatissima justissimaq; bellandi sit causa, ubicumque sacrosancto & cœlitus misso unguento delibuti Reges, miraculis clari, intentionis bonitate muniti, titulo Christianissimi, ex lege Salicâ hæredes, bella suscipiunt. Quòd si ista omnia veneratione quidem in suo quæque gradu digna sunt, nequaquam tamen possunt justitiam causæ dare vel tollere, augere vel minuere; dimissâ igitur Principis auctoritate, & intentionis bonitate, reformanda est tua tibi prima propositio, in hanc sententiam:

Mo-

Monarcha, cui eſt plus rationis & juris ad petendum, ille juſtiorem inferendi belli cauſam habet. Quod ſi feceris, ſicut omninò facere debes, ſi tantillum ſalis tibi reliquum eſt, jam omnes loci communes de unctione Regum Franciæ, de miraculoſa ſtrumarum ſanatione, de titulo *Chriſtianiſsimi*, de lege Salica, quæ tam inaniter ventilaſti, ut adſtrueres, plus eſſe ſupremæ poteſtatis in Rege Franciæ, quàm in ullo Rege totius univerſi, irrito tibi labore perierunt. Quæ quamvis idcirco tamquam prorſus ἀπροσδιόνυσα præterire licuiſſet; ne tamen vim cujuſcumque ratiunculæ, quamlibet παρέργυ, quam putes aliquid ſtringere, vitatam potius, quàm diſſolutam, aut fractam conquereris, agedum ſequar, quocumque te impetus tuus tulerit, hâc videlicet lege, ut te ſubinde lectoremque commonefaciam, etſi omnia, quæ de iſtis capitibus perquàm inſulsè diſputas, veriſſima eſſe fateremur, nil omninò te ad juſtam bellandi cauſam aſſerendam promoviſſe.

## CAPVT II.

*De unctione Regum. Clodovæus delibutus eſt unctione Baptiſmi, non Regiâ.*

Reges igitur Franciæ magis abundanter participes eſſe ſummæ poteſtatis Dei, ſeu poteſtatem illam ſupremam *eſſe majorem* a in Rege Franciæ, quàm in ullo alio totius terrarum orbis Rege, ex quatuor potiſſimùm jam jam recenſitis capitibus probas, quibus per modum auctuarii addis,

a FOL. 18. & 36. & 83. Que l'autorité ſouveraine des Roys de France eſt plus grande.

FOL. 18. Par les aſſeurances, & teſmoignages des Papes; par l'antiquité de leur domination, par les hauts faicts d'armes pour l'Egliſe, & particulierement par leurs divines generoſitez.

addis, *Pontificum testimonia, antiquitatem dominationis, eorum gesta gloriosa*, & præcipuè, inquis, *divinam eorum generositatem*. Videamus quid ex tanto promissionis hiatu nasciturum sit.

De sacrosancta Regis unctione tria disputas; primùm quidem: Utrùm sacra ampulla propter Baptismum Clodovæi, an propter Regis consecrationem allata fuerit: alterum: An verè istud miraculum acciderit: tertium: Utrùm unctio Regum sit simplex quædam spiritalis ceremonia. De secundo nulla mihi tecum disceptatio est. Nam quamvis à nonnullis etiam Gallis in dubium revocetur, eò quòd neque Gregorius Turonensis, miraculorum & gloriæ Francorum studiosissimus, qui temporibus istis proximus fuit, neque quisquam nisi trecentis & pluribus annis posterior Clodovæo, rei tam inusitatæ meminerit, quod tamen à tot sæculis piè traditur, atque creditum est à natione Gallicana, nolim ego argumentis quantumvis plausibilibus convellere. Satius est etiam incerta Dei beneficia submissè venerari, quàm Christianam pietatem aliquâ disputandi subtilitate refrigescere. De primo igitur ac tertio, quia parergâ tuâ disputatione nos cogis, pauca reponemus.

Quod igitur putas, Chrisma non esse cœlitus delatum propter Baptismum Clodovei, longè falleris. Nam Hincmarus & Aimoinus, qui primi omnium istius miraculi mentionem faciunt, expressè monent, Chrisma divinitus esse missum, ut Chrisma suppleret, quod à ministris, S. Remigio Regem baptizante, ferebatur. *Cùm verò*, inquit Hincmarus, [a] *pervenissent ad baptisterium, clericus,*

a *Hincmar. in Vita S. Remig.*

*cus, qui Chrisma deferebat, à populo est interceptus, ut ad* FONTEM *venire nequiret. Sanctificato autem fonte, nutu divino Chrisma defuit*, &c. Itaq; orante sancto Remigio, *ecce subitò colūba nive candidior attulit in rostro ampullulam Chrismate sancto repletā*, DE QVO CHRISMATE FVDIT VENERANDVS EPISCOPVS IN FONTEM SACRATVM. Et statim adjungit: *Baptizatus est trinâ mersione*, &c. *& susceptus ab ipso Pontifice de sacro Fonte, perunctus est sacro Chrismate, cum signo sancto Crucis Domini nostri* IESV *Christi. Baptizantur autem de exercitu ejus tria millia.* Et Aimoinus *a*, cùm dixisset, Clodovæum in sanctificatum fontis alveum descendisse, *Quòd verò*, inquit, *grata acceptabilisq; Deo prædicti Regis fides fuit, ostensum declaravit miraculum. Nam cùm fortè qui Chrisma ferebat, interclusus à populo deesset, ecce subitò non alius sine dubio, quàm sanctus apparuit Spiritus in columba visibili figuratus specie, qui rutilanti rostro sanctum deferens Chrisma inter manus deposuit Sacerdotis, undas fontis sanctificantis.* Quid clarius, quàm in usum sanctificationis Baptismi Chrisma esse delatum? Unde mox Baptismo Clodovæi connectens Baptismum populi, nullâ omninò de unctione Regis interpositâ vel postpositâ mentione, *fit gaudium*, inquit, *b & exultatio*, propter illud miraculum, *baptizantur multi de populo*. Et multò apertiùs Gregorius Turonensis *c*, penè contemporaneus filiis Clodovæi: *Igitur Rex omnipotentem Deum in Trinitate confessus, baptizatus est in nomine Patris, & filii, & Spiritûs sancti, delibutusq; sacro Chrismate cum signaculo sanctæ Crucis. De exercitu verò ejus baptizati sunt amplius tria millia.* Quis hîc dubitare sinitur, quin eo Chrismate delibutus esse significetur, quo bapti-

a *Aimoin l.1.c.16.* b *Ibid.* c *Lib.2.c.31.*

baptizatus in vertice, ex antiquissimo Catholicæ Ecclesiæ ritu, inungi solet? Nam ex istis verbis unctionem Regiam, nec Oedipus quidem, elicuerit, sed ille solus, qui malit suum sensum in auctoribus quærere, quàm sensum auctorum facere suum. Sanctus enim Gregorius etiam alio scriptorum suorum loco apertissimè significat, se, quando de baptismo loquitur, non aliam ei, quàm quæ baptismum ex usu Christianorum comitabatur, Chrismatis unctionem jungere. De sancto Avito quippe Iudæos baptizante, *At ille*, inquit, *a prægaudio lachrimans, cunctos aquâ abluens, Chrismate liniens, in sinu matris Ecclesiæ congregavit.*

Sed unctio Chrismatis, inquit Arroyus, *b* non ita Baptismo necessaria est, ut citra illam Sacramenti ratio esse non possit: non ergò Chrisma propter Baptismi necessitatem cœlitus delapsum fuit.

Respondetur, Non propter Sacramenti necessitatem, sed rituum ejus integritatem, Chrisma delatum fuit, Deo ministrorum supplente defectum, quem Aimoinus suprà commemoratus attigit. Ritus autem ungendi Chrismate baptizatos, præterquàm quòd in seipso perquàm venerandus, est antiquissimus, & sæculis aliquot ante baptismum Clodovæi præceptus, & tunc temporis quàm maximè necessarius. De præcepto sanctus Hieronymus te instruere potest, quando adversùs Luciferianos dicit: *Sine Chrismate neque Presbyter, neque Diaconus jus habent baptizandi.* Et duabus ferè annorum centuriis ante baptismum Clodovæi, Constitutio S. Sylvestri, quâ sanxit, *d, ut baptizatum*

a *Greg. lib. 5. c. 11.*

b FOL. 24. L'huile saincte qu'on applicque au Sacrament de Baptesme, n'est pas tellement necessaire au Baptesme, que le Sacrament ne fust, si cette huile n'estoit: doncque ce ne fust pas la necessité du Baptesme, &c.

c *Dialogo contra Luciferianos*, d *In Pontific. in Vitâ S. Sylvest.*

*tum liniat Presbyter Chrismate levatum de aqua.* Quod & à diversis Conciliis confirmatum fuit. Necessitatem verò ritûs illius adhibendi temporis istius circumstantiæ efficiebant multò maximam. Nam Ariani, qui tempore Clodovæi partem Galliæ infestabant, & sororem eius Lanthildem suo errore circumvenerant, ritum illum ungendi pervicaciter in baptismate respuebant. Adversus hunc igitur errorem diligentissima sacrorum Antistitum cura fuit, ut chrismatio baptismo jungeretur. Quod usque adeò verum est, ut, quotquot ab hæresi Ariana ad veram fidem revertebantur, quamvis legitimè baptizati fuissent, à Catholicis tamen ritum illum supplentibus, sine infusionis aquæ repetitione, chrismarentur. Audi testem fidelissimum istius consuetudinis eumdem illum Gregorium Turonensem. Cùm enim Clodovæi baptismum præmisisset, de sororis ejus Lanthildis ab Ariana hæresi redeuntis nudâ unctione subjungit: a *Conversa est & alia soror ejus, Lanthildis nomine, quæ in hæresim Arianorum delapsa fuerat, quæ confessa æqualem Filium Patri, & Spiritum sanctum, chrismata est.* Chrismationem audis, baptismum non audis, quia jam ab Arianis baptizata fuerat. Nam sedulò Antistites etiam illam præclaram ceremoniam in redeuntibus supplere satagebant. Hinc iterum Gregorius de Gundebaldo Burgundionum Rege Ariano b: *Cùm cognovisset assertiones hæreticorum nihil esse, à sancto Avito, Episcopo Viennensi, Christum Filium Dei, & Spiritum sanctum æqualem Patri confessus, clàm ut chrismaretur expetiit.* Et de Brunichilde Athanagildi filia: c *Quia Arianæ legi subjecta erat, per prædicationem Sacer-*

a *Lib. 2. Hist. Franc. c. 31.* b *Ibid. c. 34.* c *Lib. 4. c. 27.*

*Sacerdotum, atque ipsius Regis commonitionem conversa, beatam in unitate confessa Trinitatem credidit, atque chrismata est.* Et de Herminichildo Arianæ fallaciæ sectatore: a *Conversus ad legem Catholicam, ac dum chrismaretur, Ioannes est vocitatus.* Et de Reccaredo, Hispaniarum Rege, qui hæresim Arianam deserens, Gothos reduxit secum ad Catholicam fidem: b *Tunc intelligens veritatem Reccaredus, postpositâ altercatione, se Catholicæ legi subdidit, & accepto signaculo beatæ Crucis, cũ chrismatis unctione credidit* IESUM *Christum Filium Dei æqualem*, &c. In quibus omnibus locis vides studiosissimè suppletam esse chrismatis unctionem, quam Ariani in suo Baptismo prætermiserant, nullâ omninò aquæ factâ mentione, quam in Gentilium Judæorumque baptizatione, ut suprà vidimus, conjungere solet.

Quòd si quis fortè hujusmodi testimonia de Sacramenti Confirmationis unctione intelligi malit; quæ antiquo ritu, ut perfectè Christiani fierent, Baptismo velut appendix initiationis jungebatur, nec sic vis argumenti nostri eliditur. Nam ex constanti eorum consonantia liquidissimum est, nihil absurdius, & antiquis scriptoribus magis adversum fingi posse, quàm chrismatis unctionem Clodovæo, non propter alterutram jam dictam Baptismi integritatem, sed ut Rex consecraretur, esse collatam. Quòd sanè in ipsis Regiæ consecrationis ceremoniis perspicuis verbis Ecclesia Gallicana profitetur, dum Archiepiscopo Chrisma præparante, hanc Antiphonam cantu sacro modulatur: *Gentem Francorum inclytam, simul cum Rege nobili, beatus Remigius, sumpto cælitus Chrismate,* *sacro*

a *Ibid.c.*38. b *Lib.*9.*c.*15.

*ſacro ſanctificavit gurgite*, hoc eſt Baptiſmo; *atque Spiritûs ſancti plenè ditavit munere.* Hanc igitur ſacram, & illi tempori utiliſſimam ceremoniam, vel Sacramentum, noluit Spiritus ſanctus in tanti Regis Baptiſmo deſiderari; ut qui nihil in Fidei profeſſione totoque Religionis apparatu cum Arianis commune erat habiturus, ſed eos ex totâ Galliâ pulſurus, nullam etiam in iſtis Chriſtianæ infantiæ incunabulis haberet vel ſpecietenus cum illâ ſectâ ſocietatem.

Quòd ſi in illis rebus, quas facti, non juris dicimus, quæque veterum hiſtoricorum fide ad poſteros tráſmittuntur, antiquioribus eſſe ſtandum ratio poſtulat, multò veriùs dixerimus, Clodovæũ à S. Remigio nullâ peculiari Regiâ unctione fuiſſe delibutum. Nam neque S. Gregorius Turonenſis, qui res etiam minimas, maximè ſacras, ad gentis ſuæ gloriam ſpectantes, accuratè perſecutus eſt, neque Aimoinus Monachus, duo vetuſtiſſimi fideque digniores, neque ullus omninò ſcriptor, qui non fuerit quingentis aut penè ſexcentis annis poſterior Clodovæo, ullam omninò mentionem iſtiuſmodi unctionis Regiæ facit. Quapropter nullam etiam adhibitam eſſe, ſcriptores non ignobiles Gallię, qui minutias quaſq; ſtudioſiſſimè perſcrutati ſunt, ingenuè profitentur, Tilletus, Fauchetus, & Scipio du Plaix: quâ de re infrà pluribus.

Sed ut probes Clodovæum hac unctione in Regem conſecratum fuiſſe, addis, eum inſtar Saulis confeſtim ab unctione prophetantis, continuò poſt unctioñẽ prædicaſſe militibus ſuis; nimirum ipsâ unctione eum creante *Regem*, inquis, *a Apoſtolum, aut Prophetam.* Sed errorem errori nectis

B aper-

a FOL. 25. Ainſi l'onction luy donnant plus que du caractere du bapteſme, il l'ait fait Roy, Apoſtre, ou Prophete.

apertissimum. Testis est enim S. Gregorius, quem falsò ad falsitatem asserendam advocas, concionem istam ante unctionem, imò ante baptismum ejus, contigisse. Nam cùm S. Remigius eum ad Christi fidem præparans hortaretur: a *Libenter*, inquit Clodovæus, *te, sanctissime Pater, audiam, sed restat unum, quòd populus, qui me sequitur, non patitur relinquere Deos suos: sed vado, & loquor eis juxta verbum tuum. Conveniens autem cum suis, priusquam ille loqueretur, præcurrente potentiâ Dei, omnis populus pariter acclamavit, Mortales Deos abigimus*, &c. *Nuntiantur hæc Antistiti, qui gaudio magno repletus jussit lavacrum præparari.* Ac deinceps Baptismum Clodovæi, & militum ejus describit. Idipsum testatur in Epitome, quæ de gestis Francorum scripta est, idem Gregorius b, vel quisquis est auctor ejus: idipsum Aimoinus c multò luculentiùs: *Hæc dum Rex fide plenus perorasset* (præmiserat totam concionem ejus) *plerosque de populo flexit, ut Christo mitia subderent colla: gaudet Sacerdos, Regem nondum initiatum jam suæ gentis esse apostolum factum. Exornatur baptisterium: descendit Rex velut alter Constantinus in sanctificatum fontis alveum*, &c. Idipsum Flodoardus d luculentissimè. Cùm enim Regem à S. Remigio catechetice institutum, exercitum verò ab ipso Rege exhortante conversum narrasset, jejunium omnibus propter *imminentem solemnitatem paschalem*, in cujus vigiliâ baptismus dari solet, indictum fuisse, Regem ab Archipræsule ipsâ *die passionis Dominicæ* visitatum, ac denique postridiè *cum tribus millibus Exercitûs ejus*, baptizatum, distinctè tradit. Quæ antiquorum

a *Greg. Turon lib. 2. Hist. cap. 31.* b *Epit. cap. 15.* c *Aimoin. lib. 1. c. 16.* d *Flodoard. lib. 1. Histor. Rhem. cap. 13.*

rum Scriptorum undique concinens contestatio perspicuè demonstrat, te nullâ solidæ veritatis habitâ ratione, quidquid tibi spiritus adulationis suggerit, effutire; ut phaleris istis præstricti rudiores præcipites ad bella quævis tamquam justa concitentur, quæ à successoribus Clodovæi tam Apostolicæ & Propheticę hæredibus consecrationis inferuntur. Sed jam de tertio tuo articulo, Utrùm consecratio Regum sit spiritualis quædam ceremonia, paulò fusius disserendum est.

## CAPVT III.

### *An unctio Regum sit spiritualis ceremonia.*

NAm quamvis in præcedentibus intemperies illa impotentis ingenii satis emicuerit, hîc tamen totas lasciyientis animi habenas laxat. Illic in historiæ antiquę veritatem; hîc in ipsum Theologiæ limen impingit: illic erroribus perturbat sæcularia; hîc incipit ipsa Ecclesiæ Sacramenta concutere.

Et primò quidem, ut sacrosanctam Regum unctionem ad summum sacrarum rerum culmen evehat, irridet a eos peracerbè velut *vacua cerebro capita*, qui unctionem illam *simplicem ceremoniam spiritualem* esse censuerunt. Ænigma namque inextricabile esse putat, ut corporalis unctio ceremonia spiritualis appelletur. Hîc tonitrua verborum in istos, tamquam profanos sacrarum rerum contemptores, & sacrilegos jaculatur. Quis Mydę auriculas detrahet? Itáne homines fungos esse putas, ut credant quemquam ita stolidum, fatuum,

 bar-

a FOl. 27. Parlons un peu à ceux, qui disent, que c'est une simple ceremonie spirituelle, je dis à ces cervelles creuses, &c.

bardum, bucconem, blennum fuisse, (ut cum Poëtâ loquar) qui externam & palpabilem actionem naturâ essentiaque spiritualem vocet? Noli ita desperare de genere humano. Si quid umquam hujusmodi scriptum legisti, Arroye, lectoris absque dubio, non scriptoris vitium fuit. Ecce fulmina verborum tuorum non pertimesco: fidenter loquor, sacram Regum unctionem non esse nisi simplicem ceremoniam spiritualem; errare illos tecum, qui ei tribuunt, quod tu tribuis. Attende, obsecro, Scripturas sacras, quas profiteris: videbis penè sexcentis loci ea vocari spiritualia, quæ quàm maximè sensibilia sunt, & corporalia. Non legisti in Prophetâ *a: Scitote insanum virum spiritualem?* Non in Apostolo *b: Spiritualis judicat omnia? non potuit vobis loqui quasi spiritualibus?* An fortè corpori exuti erant, quibus aut de quibus ita loquebatur? Nónne legisti *c: Omnes eamdem escam spiritualem manducaverunt, & omnes eumdem potum spiritualem biberunt: bibebant autem de spirituali, consequente eos petrâ: petra autem erat Christus?* Manna, aqua, petra, Christus non erant res palpabiles? Nónne vidisti scriptum *d: Tamquam lapides vivi superædificamini, domus spiritualis; Sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias?* Quis dubitat hîc ipsam Ecclesiam vocari *domum spiritualem*, ipsa opera quælibet bona, ipsam denique victimam Sacrificii nostri sacratissimam *spirituales hostias* appellari? Nónne audivisti Apostolum exhortantem *e: Loquentes vobismetipsis in psalmis, & hymnis, & canticis spiritualibus?* Nónne penè palpasti manibus illius sententiæ veritatem: *f Seminatur corpus animale, surget*

a *Osee 9.* b *1. Cor. 2.* c *1. Cor. 10.* d *1. Petri 2.*
e *Ephes. 5.* f *1. Cor. 15.*

*surget corpus spirituale? Si est corpus animale, est & spiritale*: & ita spiritale, ut tamẽ Apostolis in tali corpore ostenderet Christus *manus, & latus a*; & eorum unus de se suisq; dicat *b*: *Quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostra contrectaverunt*. Ecce tibi demonstratum, quo pacto sacra Regum unctio possit esse valdè corporalis, atque palpabilis, & tamen sine ænigmate cui sit opus Oedipo, vocari possit ceremonia spiritualis. Pudet profectò, pigetque me immorari explicandæ hujusmodi phrasi, quam nec tirones Theologię, nec vulgus opificum Christianorum, nec ipsi milites Catholici, quos crassissimâ tuâ Theologiâ fallis, ignorant. Distinguuntur enim tali epitheto sacra unctio, & ceremonia quæcumpue corporalis, ab unctiouibus corporum, ceremoniisque merè sæcularibus & carnalibus: cujusmodi sunt ceremoniæ, quibus creantur Equites, olimque Imperatores, & Reges; quæ neque quidquam divinæ & spiritalis opitulationis conferunt, neque ad spiritale quidquam significandum, spiritumque homini juvandum, ornandum, perficiendumque referuntur. Sed hæc de istâ trabali ineptiâ plus quam satis.

a *Ioan*. 20. b 1. *Ioan*. 1.

## CAPVT IV.

*Vnctio Regibus non imprimit Characterem, ut Arroyus putat*.

CUm ergò tam dextrè acuteq; retudisses istos adversarios tuos, inter quos me esse fateor, qui unctionem Regum ceremoniam spiritualem vocant, eamque tuo judicio nimis deprimunt,

jam pergis ad extollendas usque ad nubes prærogativas ejus. Nam, te doctore, plus est quàm ceremonia, *a & gratiam confert, & characterem imprimit*, ut idemtidem repetis, *in animas indelebilem*. Quid aliud suspicabimur, nisi quòd eam octavum Sacramentum Ecclesiæ esse velis, quod nobis ex Theo-politicâ & adulatoriâ tuâ officinâ Sapientûm octavus protulisti? Hoc enim imperitis hominibus omninò te instillare velle, tum illa naturę & effectuum, quam retuli, similitudo suadet, tũ alia deliria, quæ consequenter fundis, modestis religiosisque Lectoribus intoleranda, persuadent. Cùm enim fusè declarasses, unctionem Confirmationis atque Ordinis esse corporalem, effectusque conferre spirituales, gratiam in animâ sanctificantem, Characterẽ qui deleri nequit, auctoritatem denique prædicandi, docendi, administrandi Sacramenta, & à peccatis absolvendi; disertissimis verbis adjicis: *b Unctio Regum isti par est. Cùm enim mediante oleo personis Regum adhibeatur, tribuens eis auctoritatem tuendi subditos suos, & impugnandi gladio adversarios, utique corporalis est. Cùm verò etiam tribuat auctoritatem quamdam excellentia imaginis Dei, & imprimat Characterem, hoc est, signaculum istius imaginis in animas Regum, etiã spiritualis est*. Et mox unctio-

a *Fol. 31. & 32. & 33. Vide infrà verba citata.*

b ARROY Fol. 31. L'onction des Roys est pareille à celle-cy, car estant faicte avec de l'huile sacrée sur la personne des Roys, leur dõnant le pouvoir de defendre leurs subjets & d'attaquer leurs ennemis par le glaive, elle est corporelle; & donnant encore une autorité de præexcellence d'image de Dieu, & imprimant un caractere, c'est à dire, une marque de ceste image en l'ame des Roys, elle est spirituelle:

Et FOL. 32. Pour le caractere, ou l'impression ineffable, elle se verifie. &c. David fait mourir cet Escuyer, comme ayant massacré un oingt; c'est à dire, celuy qui par l'onction avoit receu une impression ineffable.

Et FOL. 33. Si bien que je diray avec raison que comme entre les Prestres le Caractere des Evesques releve leurs personnes, leur donnant de l'autorité, plus que n'ont les Prestres: ainsi entre les Chrestiens le Caractere Royal releve la personne Royalle pour avoir plus d'autorité sur les autres Chrestiens, que n'ont les autres Roys non oingts.

unctionem illam *instrumentum a* vocas, quo Deus *gratias corpori & animæ communicat*. Et infrà: *b Unctio dat ipsis gratiam vivificantem*. Denique incunctãter clamas, eos, qui Regis unctionem spiritalem ceremoniam esse sentiunt, *tantumdem de Sacramentis c posse dicere*. Utrumque autem esse *sacrilegium*: nẽpe, ut explicas, quia utraq; sunt corporalia, utraque in animâ spirituales & indelebiles effectus operãtur. Quid evidentius & efficacius rudi populo dici potest, quò unctionem Regum octavum Sacramentum novæ legis esse putet, & hoc ipsum ex professo te persuadere voluisse? Nam illos effectus, quos in animam imprimi doces, *ex opere operato* quoque ab unctione proficisci, fateri cogeris, nisi in alias absurditates intolerabiles te præcipitatum velis. Quid enim est aliud, Characterem fieri per unctionem ex opere operato, quàm fieri vi ipsius unctionis, non ex merito suscipientis aut ministrantis eam? Quod Augustinus istis verbis expressit contra Donatistas: *d Ipsum per seipsum Sacramentum multùm valet*. Quid igitur? Imprimi dices characterem, tuẽdi regendique populi auctoritatem dari, ex merito ministrantis, ne Sacramentum esse fatearis? Caret ergo Rex charactere, caret regendi auctoritate, si minister est malus. Ad Luciferianos igitur ac Donatistas, ad Albigenses & Apostolicos, ad VViclephistas deniq; tibi fugiendum erit, qui nullos idoneos ministros, nisi bonos, esse sentiebãt. Et quid nisi hostis eris Ecclesiæ ac doctrinæ ejus? Aquam enim & oleum, calices &



a FOL. 32. Ceste onction doncque est un instrument, par lequel Dieu les (graces) communique au corps & à l'ame.

b FOL. 55. L'onction leur donne la vraye autorité Royale, le Sacerdoce, & le grace vivifiant.

c FOL. 28. N'en pourra il pas autant dire des Sacramens, & le peut il sans sacrilege?

d *lib. 4. de Bapt. c. 24.*

paternas, virgines & Abbates, Reginas & Reges non minus ab improbis ministris benedici & consecrari docet, quàm ab iis, quos constiterit esse probos. Quòd si ex merito suscipientis conferatur character, & auctoritas; jam nihil auctoritatis aut characteris adipiscetur, non solùm improbus, sed etiam de cætero probus, si fortè tempore unctionis in aliquo peccati reatu fuerit. Et quid hoc nisi hæresis VViclephi, & Hussitarum? Articulus enim Ioannis Hus unus erat: *a Sicut Princeps vel Dominus, tempore quo est in peccato mortali, non sortitur nomen illius officii, nisi nominetenus, & satis æquivocè: sic nec Papa, nec Episcopus, vel Sacerdos, dum lapsus fuerit in peccato mortali.* Et iste ejus error Concilii Constantiensis auctoritate damnatus est: *b Nullus est Dominus civilis, nullus est Prælatus, nullus est Episcopus, dum est in peccato mortali.* Quis enim nescit, ex Ecclesiæ Catholicæ sensu atque doctrinâ, nòn minus Abbatissas & Abbates, Reginas & Reges, quàm Diaconos, Sacerdotes, atque Episcopos sine discrimine bonitatis ac malitiæ validè benedici, ungi, & consecrari? Par in utrisque potestas ad operandum, par auctoritas ad regendum. Cùm ergò hæc sint certissima, & sine periculo labefactandi Christianæ fidei fundamenta, in dubium revocari nequeant, quisquis per unctionem Regiam, tamquam *per instrumentum*, characterem indelebilem in ipsam animam imprimi, & regendi potestatem, & gratiam vivificantem tribui docet, cogitur eam, velit nolit, non à ministrantis, non à suscipientis probitate suspendere; & ei proinde ex opere operato effectum illum tribuere. Quid igitur erit, nisi quod-

dam

a *In Conc. Constant. Sess. 15.* b *Ibidem.*

dam Sacramentum Ecclesiæ, cum quo & in operandi ratione, & in ipso effectu, characteris, inquam, indelebilis impressione, & auctoritatis collatione, imò & gratiæ vivificantis communicatione convenit? Sed benè habet, quòd sine hujusmodi Sacramenti fide salvi esse possumus, imò cum ejus fide salvi esse non possumus. Opinio ipsa, ut mitissimè loquar, profectò hactenus in Ecclesiâ Christianâ inaudita, nova, merè voluntaria, omnis expers Ecclesiasticæ divinæque auctoritatis, sine quâ res tanta doceri sine insigni temeritate non potest. Ubi enim Scriptura, ubi traditio, ubi divina revelatio, ubi Patrum antiquorum contestatio, ubi Concilii cujuscumque auctoritas? sine quibus res tanta nec asseri debuit, nec ulla certitudo ejus haberi potest. Rem enim facti esse, quisque perspicit; characteris impressionem à liberâ Dei voluntate pendere, nemo dubitat; unctionem Regum quadringentis ampliùs annis à nato Christo ab Ecclesiâ institutam, & usurpari cœptam, in confesso est. Unde ergò characteris impressio, & quidem, ut vidimus, ex opere operato, scriptori isti innotuit, nisi ex fonte, quem digito monstravit August. *a Phantasmata habere pro cognitis, summus error est, &c. sequuntur enim nonnulli phantasmata sua tam præcipites, ut nulla sit alia materies omnium falsarum opinionum*, &c.

Quid, quòd istâ enormi unctionis Ecclesiasticæ commendatione, Sacramentis ipsis, aliud agendo, non levis fit injuria? latissimam enim pandit viam, ut ceremoniæ spiritales, quas Sacramentalia Theologi vocant, ad Sacramentorum amplitudinem evehantur, & vicissim Sacramenta ad



a *lib. 6, de musicâ. cap. 11.*

Sacramentalium tenuitatem deprimantur, & utraque pariter hæreticis ludibrium fiant. Hoc enim non est ceremonias Ecclesiæ magni pendere, sed Sacramenta contemnere; imò ipsas quoque ceremonias obliquè impactâ dedecorare contumeliâ. Non enim levior eis fit iniuria, dum plus quàm fas est evehuntur, quàm dum plus æquo deprimuntur. Perinde hominis dedecus est, si fortè major ei honor impenditur, ac si debitus denegetur. Nam semper adulatores, sicut & mendaces, & hæretici, extrema petunt: veraces & Catholici medium. Manichæi & Calvinistæ dehonestant matrimonium, illi tamquam immunditiam execrando, hi virginitati præferendo. Ita Virgini beatissimæ pariter contumeliosi a sunt, qui eam Collyridis oblatione olim colere voluerunt, & qui cultu Sanctis & Matri Θεοτόκῳ débito nunc honorare detrectant.

a *Collyridiani apud Epiph. hær. 78.*

## CAPVT V.

*Iteratio unctionibus Regum familiaris repugnat impressioni Characteris. De unctione Reginarum pauca.*

Sed antequam tam præceps in illam sententiam labereris, considerandæ erant absurditates, quæ ex eâ nexu adamantino religatæ sunt. Si enim unctio characterem imprimit, profectò etiam repeti nequit: nam ista ratio est à duobus Conciliis generalibus tradita, magnoque consensu à Theologis recepta, cur quædam Sacramenta iterari nequeant, quia characterem imprimunt indelebilem. Audi Concilium Florentinum: b *Sacramenta*

*tria*

b *Conc. Flor. in decreto unionis.*

*tria sunt, quæ characterem imprimunt in animâ indelebilem: unde in eadem personâ non iterantur.* Audi anathema Tridentini: a *Si quis dixerit in tribus Sacramentis, &c. non imprimi characterem in animâ, hoc est, signum quoddam spirituale, & indelebile, unde ea iterari non possunt, anathema sit.* Ut quid enim iteraretur, quod semel infixum *evelli nequit, & manet omnimodè inconvulsum*, sicut hac de re Concilium b Toletanũ loquitur? Cùm ergo character ille tuus indelebilis & inconvulsus sit, profectò initerabilis erit unctio, quâ imprimitur. Quid igitur dices de illis Regibus, qui bis térve uncti & coronati sunt? Nam de Pipino testantur historici, eum primò à Bonifacio Archiepiscopo Moguntino unctum & coronatum esse: c *Pipinus Rex Francorum appellatus est, & ad hujus dignitatẽ honoris unctus sacrâ unctione manu sanctæ memoriæ Bonifacii.* Quod Annales Francorum d, Fuldẽses, Regino in Chronico, & recentiores unanimiter verum esse agnoscunt. Triennio verò circiter pòst à Stephano Papâ, de quo idem statim subjicit: e *Stephanus Papa, postquàm à Rege Pipino Ecclesiæ Romanæ defensionis firmitatem accepit, ipsum sacrâ unctione ad Regiæ dignitatis honorem consecravit.* Cui iidem, qui antè citati sunt, adstipulantur. Exemplum patris Carolus Magnus in filiis suis imitatus est. Nam, ut Adelhelmus, *baptizavit* f *Pontifex* (Adrianus) *filium ejus Pipinum, unxitq; eum in Regem, & Ludovicum fratrem ejus, quibus & coronam imposuit.* Pipino scilicet Italiæ, Ludovico Aquitaniæ, teste Reginone g. Quem Pipinum tamen Sigonius, & Fauchetus h à Leone



a *Sess. 7. can. 9.* b *Concil. Tol. 8. can. 7.* c *Adel. continuat. Aimoini ann. 750.* d *Annal. Franc. Regino.* e *Adel. ibid. an. 754.* f *Anno 781.* g *Regino in Chron.* h *Fauchet. in vitâ Caroli Magni.*

Pontifice, Carolum Imperatorē inaugurante, iterum Regem Italię unctū esse tradunt. Ludovicum verò Regē Aquitaniæ Stephanus Papa, qui Leoni successerat, postea Rhemis, *a celebratis ex more solemniis, diadematis impositione coronavit*: quo tota illa inaugurationis & unctionis ceremonia cōprehenditur. Quid, quòd ipse Carolus Magnus bis inunctus & coronatus fuit? Nam, præter Adelhelmū *b*, Annales Fuldenses conceptis verbis dicunt: *Stephanus duos filios ejus* (Pipini) *Carolum & Carlomannum sacrâ unctione unxit in Reges.* c Et idem postea à Leone Pontifice in Missarum solemniis Imperator coronatus est, unctione à capite ad pedes usque superfusâ, juxta antiquum Judaicæ consecrationis ritum: *d*

*Οὐ μὴν, ἀλλὰ χρισάμενος καὶ νόμοις Ἰουδαίων*
*Κἀκ κεφαλῆς μέχρι ποδῶν ἐλαίῳ τοῦτον χρίει.*
*Cæterùm Iudaicis etiam ritibus usus*
*A capite usque ad pedes eum perfudit oleo.*

Nec est quòd abstrusiora antiquitatum scrinia perlustremus, ubi quotidianum exemplum olim usitatum in promptu est. Romanus enim Imperator usu perantiquo tribus coronis cingebatur, ungebaturque tribus diversis unctionibus, primâ Aquisgrani, ab Archiepiscopo Moguntino; secundâ Mediolani, ab Archiepiscopo Mediolanensi, tertiâ Romæ, à summo Ecclesiæ Præsule: quas antiquæ coronationis istius ceremonias nōnulli *e* ex professo stylo persecuti sunt. Sed quid sæcularibus historiis percurrendis immoror? Ipsæ sacræ litteræ omni exceptione majora exempla suggerunt, omni disputatione superiora, omni ambiguitate lucu-
len-

a *Adel. an.* 816. b *Adel. an.* 754. c *Adel. infrà. Regino. Annales Fuld.* d *Constantinus Manasses.* e *Petrus à Beeck in Aquisgrano.*

lentiora. David ipſe, vir ſecundùm cor Dei, paucorum annorum ſpatio ter omninò diverſis temporibus in Regem unctus eſt. Primùm in Bethlehem à Samuele: *a Tulit Samuel cornu olei, & unxit eum in medio fratrum ejus.* Secundò in Hebron à tribu Judâ: *b Veneruntque viri Iuda, & unxerunt ibi David, ut regnaret ſuper domum Iuda.* Tertiò in eadem Hebron à viris Iſraël: *c Venerunt quoque & ſeniores Iſrael ad Regem in Hebron; unxeruntque David in Regem ſuper Iſrael.* Salomon filius ejus ſolius pompæ causâ eidem omninò Regno binâ unctione inauguratus eſt: *d Sumpſit Sadoc Sacerdos cornu olei de tabernaculo, & unxit Salomonem.* Et rurſum cùm in uſum templi offerrent Principes familiarum, ac proceres tribuum, *e unxerunt* SECVNDO *Salomonem filium David. Vnxerunt autem eum Domino in Principem.* Saulem primum Iſrahelis Regem etiam ter inunctum fuiſſe, quemadmodum Davidem, auctores *f* non contemnendi tradunt; quamquam iſtud è ſacro textu non ita perſpicuè convinci poteſt. Viden' tandem aliquando, ad ſacram potiùs & ſpiritualem ceremoniam, ſolemnemque inaugurationis ritum adhiberi unctionem, quàm ad ullius characteris impreſſionem? Non enim arbitror eò fatuitatis venies, ut in Salomone, Davide ac Pipino characterem charactere bis térve cumulatum ſomnies; vel eumdem iterum iterumque repetitum, ne temporis morâ fortè deleretur.

Nam quod aliquid diverſorum Regnorum coronis redimiti, & ūnctionibus delibuti ſunt, non minùs luculentè vim veritatis iſtius oſtendit.

B 7 Quid

a 1. *Reg* 16. b 2. *Reg*. 2. c 2. *Reg*. 3. d 3. *Reg*. 1. e 1. *Paral. ultimo*. f *Abulenſ. in lib.* 1. *Reg.*

Quid enim? Italia, Aquitania, Gallia, Germania, quemadmodum diversa armorum & vexillorum insignia, ita in animabus Regum diversos characteres postulant? Unus duobus Regnis non est satis? Apage anilia ista nugamenta. Quis enim nescit, Antistitem semel unctum, & charactere consecratum, ad quemcumque Episcopatum vel simul vel temporum successione transferatur, numquam unctionem Episcopalem iterare? Ipse summus Pontifex, quando in totius Ecclesiæ curam jam antè Episcopus consecratus evehitur, nullius unctionis repetitione consecrandus est. Quæ quidem exempla vel tardissimis patefaciunt, nullam omninò characteris impressionem in unctionibus Regum dari.

Mitto Reginas, quæ plures, haud secùs ac Reges, cum unctione coronatæ sunt; Clementia *a*, uxor Ludovici Hutini; Constantia *b*, filia Alphonsi Regis Hispaniæ, uxor secunda Ludovici junioris, & Alix tertia; Margareta *c*, uxor sancti Ludovici, aliæque plurimæ. An & illas characteribus insigniri dices? Quis ergo in eis fructus characteris? præsertim juxta principia tua, qui Regibus vi unctionis potestatem administrandi tuendique Regni, hostesque debellandi conferri doces; quorum nihil omninò Reginis in Franciæ Regno competit? Quid si fortè repudientur, ut multis accidit? quid si marito viduentur, nullâ masculâ relictâ prole? nónne ex illâ dignitate in ordinem rediguntur, & privatæ ad patrios lares, ut Maria *d* uxor tertia Ludovici duodecimi, in Scotiam; Elisabe-

a *Du Tillet in vitâ Hutini.*
b *Idem.* c *Guil. Nangius.*
d *Scipio du Plaix in vitâ Franc. primi. Thuanus. Genebrard.*

sabetha Austriaca in Austriam; Eleonora vidua Francisci primi in Belgium, abeunt, aut remittuntur? Quid ergo character in eis efficit, vi cujus a *Reges semper Reges manere* tradis? An & istæ semper Reginæ Franciæ manent, etiam aliâ ductâ repudiatæ? etiam extra Regnum, & reduces in paternam domum? etiam alio Rege Reginaque succedente viduæ? Jocularia sunt ista, & puerilia, irrisione quàm refutatione digniora. Verum est enim, nihil talibus Reginis, abolitâ jam dignitate & auctoritate, superesse, nisi amantem memoriam & quasi olfacta desiderantem. Et si denuò alteri Francorum Regi nuberent, sicut Anna Britannica Ludovico duodecimo post mortem Caroli octavi nupsit, profectò longè majori jure quàm Pipinus, iterùm ungi possent, & coronari.

a FOL. 34. Vn Roy oinct, demeure tousjours Roy oinct & sacré.

## CAPUT VI.

*Solvitur argumentum ex Ceremoniali coronationis petitum.*

SEd ne sine teste loqui videaris, Ceremoniale profers, in quo omnes, quas recensuisti, gratiæ *formaliter*, inquis, b *exprimuntur*.

Sed tu formaliter, ut verbis tuis loquar, illudis Lectoribus tuis. Nulla uspiam mentio characteris, nullum vestigium. Dum Rex Francorum ungitur, illa verba pronuntiantur: *Vngo te in Regem de oleo sanctificato, in nomine Patris & Filii & Spiritûs sancti*. Ante & post unctionem, complures, quæ à Præsule funduntur, orationes, ad gratias diversas corporales spiritualesque referuntur, nullâ omni-

b FOL. 31. Elles sont formelement exprimées dans la ceremonie de leur onction.

omninò factâ à characteris mentione. Ex quo fit, ut ceremoniæ, quæ adhibentur, gratiarum virtutumque variarum, quæ petuntur à Deo, potiùs signa, quàm causæ sint: per quæ signa realia, quemadmodum & per vocalia, tamquam per duplicem, realem vocalemque, precem, impetrantur ea quæ postulantur, & Rex officii sui commonetur. Unctio quippe corporis significat unctionem Spiritûs sancti *ad interiora penetrantem*, quo petitur, ut ungatur spiritus Regis, instar *Christi, qui unctus fuit oleo exultationis præ consortibus suis:* sicut in orationibus adjũctis declaratur. Hanc vim ceterarum quoque ceremoniarum explicat exsertè Pontificale Romanæ Ecclesiæ, quæ non minùs doctrix omnium Ecclesiarum, ac mater est. Nam Pontifex gladio accingens Regem, *Attende*, inquit, [a] *quòd Sancti non in gladio, sed per fidem vicerunt Regna.* Et diadema capiti imponens, *Accipe coronam Regni, quam sanctitatis gloriam, & honorem, & opus fortitudinis* SIGNIFICARE *intelligas.* Et sceptrum tradens, *Accipe virgam virtutis, ac veritatis, quâ intelligas te obnoxium mulcere pios, terrere reprobos*, &c. Ceremoniis istis igitur omnibus, partim solemni & sacro ritu Rex exercendis functionibus veri & Christiani Regis deputatur; partim docetur munera tantæ dignitatis, ne se ad fastum tantummodò sæcularem vocatum putet; partim monetur officii sui; partim denique gratiæ tanto oneri necessariæ postulantur. Deus autem, qui non despicit orationem humilium, & præsertim Ecclesiæ sponsæ suæ, talium sacrorum rituum & orationum intuitu, atque impetratione, pios aliquos effectus, seu animi motus, juxta profundum

a *Pontif. Rom. in Coronatione Regis.*

dum providentiæ suæ consilium, temporibus ac locis opportunis excitat, quibus ad suæ dignitatis munia cum Christianæ spei fructu exequenda moveatur. Quis enim in Theologicis rebus ita hospes est, qui nesciat, per hujusmodi signa sacramentalia, non gratias habituales infundi, non characteres imprimi; sed actuales quosdam dumtaxat motus animi, Deo rebus istis & sponsæ suæ precibus assistente & annuente, suscitari?

## CAPVT VII.

***Solvitur aliud argumentum, ex unctione Saulis ductum.***

SEd ut exorbitatio tua non sine magnâ tibi ratione accidisse videatur, Saulem in præsidium advocas, qui cùm non nisi biennium regnasse dicatur, diu tamen postea unctus Domini appellatus; & Amalechita interfectus est, tamquam parricida inuncti Regis, hoc est, inquis, *a ejus, qui per unctionem receperat impressionem* characteris *indelebilem*. Noctem nocte fugare niteris: quæ ut sublustrior tibi fiat, scito, si placet, opinionem illam, quæ Saulis regno biennium tantùm tribuit, ac tibi placuit, à fabulatoribus Hebræis, hoc est, ex Seder *b* Olam ortum habuisse; ac talem esse, ut omni historiæ & auctoritati repugnare, sanctumque Paulum mendacii suspectum facere voluisse, videatur. Nam iste perspicuis verbis dicit: *c Dedit illis* Deus *Saul filium Cis, virum de tribu Benjamin annis quadraginta*. Quæ verba quomodocumque intelligenda sint, sive ad litteram, uti sonant, quem-

a FOL. 32. Celuy qui par l'onction avoit receu une impression ineffable.
b *Seder Olam. Rabban, cap.* 13. c *Actor.* 13.

quemadmodum Augustinus a intelligit, sive alio modo, certum est, regnum Saulis plusquàm biennio circumscribendum esse.

Ad locum igitur Scripturæ, qui dicit, b *Filius unius anni erat Saul, cùm regnare cœpisset; duobus autem annis regnavit super Israël*; duplicem accipe tibi responsionem. Prima est, illa verba cum sequentibus jungenda esse, *Et elegit sibi Saul tria millia*: ut significetur, eum biennium modestiâ, dissimulatione, Samuelis auctoritate, sese tuitum esse; deinceps sibi trium millium adscivisse satellitium. Placuit ea responsio non paucis recentioribus, Vatablo, Pinedę, Genebrardo, aliis. Altera veteribus familiarior, ideoque antiquitatis amatoribus carior, Saulem, *sicut filium unius anni, innocentem fuisse, quando regnare cœpit*, & in eadem innocentiâ duobus annis regnasse. Hieronymi c verba sunt: quibus subscribunt non solùm Procopius, Abulensis, Lyranus, & recentiores aliqui in hunc locum, sed etiam ex antiquioribus Rupertus d, ac Petrus Damiani e, qui jam dictam sancti Hieronymi interpretationem verbotenus referũt; nec non sanctus Gregorius f primus: *Licet multis annis regnaverit, illis solis regnare dicitur, in quibus innocens & humilis fuisse perhibetur*. Et ante illos omnes Theodoretus: g *Hoc significat quàm simplex esset ejus animus, quando fuit Rex electus. Ille autem non diu est usus: unde subjunxit historiographus: Et duos annos regnavit super Israëlem, nempe, cum eâ simplicitate regnat duos annos*. Utralibet istarum interpretationum vera fuerit, vides utique commentum tuum

a *lib.17.de Civit.cap.7.* b 1.*Reg*.13. c *Hieron.in trad.Hebr.*
d *Rupert.in* 1.*Reg.cap*.19. e *Petrus Dam.opusc*.37.*qu*.1.
f *Greg.lib*.5.*cap*.3 *in* 1.*Regum.*
g *Theodor.qu*.28.*in lib*.1.*Reg.*

tuum de charactere Saulis evanescere: nam ultra biennium utique verus Rex Israël Saul fuit, & meritò Amalechita capite temeritatem luit, quòd unctum Domini peremisset.

Quòd si te fortè movet, quòd Saul à Domino reprobatus fuerit, regnoque spoliatus, illis verbis Samuelis: *a Abjecit te Dominus, ne sis Rex*; ac proinde non potuerit *unctus Domini* nisi propter characterem dici: occurret cogitationibus tuis Augustinus, *b* qui docet hoc ideo dictum primo tempore regni ejus, non quòd tum solio dejectus fuerit, *sed quia nullus de stirpe ejus fuerat regnaturus*. Mansit ergo, Augustino auctore, verus Rex Saul usque ad mortem suam, & tamquam legitimum Regem semper eum David viventem veneratus est, luxitque defunctum: sive hoc eâ consideratione fecerit, quòd unctione suâ jus ad regnum dũtaxat accepisset, cujus legitima possessio Sauli remaneret, donec, Deo ipsum amovente, concederet fato suo; sive quòd etiam Saul titulũ ac jus Regis ad mortẽ usque retineret, cui David tamquam legitimus hæres à Deo substitutus jure succederet.

Non enim admiratione dignum, aut novum est, ut plures quoquo modo sint simul Reges, sive æquâ regnandi sorte, sive concordi quadam subordinatione, sive aliis, quos jam tetigimus, modis. Nam, ut nihil de pluribus simul Imperatoribus post Constantinum loquar, fertilis est exemplorum historia Gallicana. Pipinus utrumque filium suum, quod jam vidimus, Carolum & Carolomannum secum, à Stephano Papâ, sub initium regni sui, Reges ungi fecit, & fidelissimos administrationis adjutores habuit. Hugo *c* Capetus sex

a 1.*Reg*.15. b *lib*.17.*de civit*.*c*.7. c *Glaber Tillet*.*&* *alii*.

ſex menſibus poſt inaugurationem ſuam Robertum filium throno ſuo ſociavit, & ſolemniter ungi, conſecrari, Regemque agnoſci fecit. Sic Robertus Hugonem primogenitum; ſic eo defuncto, Henricum ſecundogenitum; ſic Henricus Philippum, *a* ætate ſexennem. Quod ſicut ab eis excogitatum fuit, ut ſucceſſio filiorum in regnū, quod parentes contra legitimos hæredes Childericum & Carolum Lotharingiæ Ducem obtinuerant, adversùs invaſionis labem, novoſque quoſlibet motus firmaretur; ita Davidem Sauli viuenti Deus ſubſtituit, ut depoſt fœtantes accerſitus, regni onera cum Saule ſuſtineret, regnandi interim peritiam addiſceret, partaque auctoritate, & animis ſibi conciliatis, morienti in poſſeſſionem, plenamque adminiſtrationem regni ſine difficultate ſuccederet. Nam quemadmodum ſciebat David alterutro, quem ſuprà diximus, modo ſibi regnum eſſe debitum, ita conſtabat ei, non ante mortem Saulis poſſeſſionem ejus in ſe ex Dei voluntate eſſe transferendam. Hoc enim illa Davidis verba palàm indicant: *b Vivit Dominus, quia niſi Dominus percuſſerit eum, aut dies ejus venerit ut moriatur, aut in prælium deſcendens perierit, propitius ſit mihi Dominus, ne extendam manum meam in Chriſtum Domini*. Hoc ita & Saul ipſe cum filio ſuo intellexit: *c Ne timeas*, inquit Jonathas, *neque enim inveniet te manus Saul patris mei, & tu regnabis ſuper Iſrael, & ego ero tibi ſecundus, ſed & Saul pater meus ſcit hoc*. Quid ergò mirum, ſi verum legitimumque iſtis modis Regem ac Dominum, atque unctum à Deo, David tantâ veneratione proſecutus fuerit, ut interfectorem ejus tam-

quam

a *Glaber.* b 1.*Reg.*23. c *Ibidem.*

quam ſacrilegum interfecerit? Sed nemo inde niſi imperitus indelebilem characterē finxerit. Nónne Clerici officio & beneficio propter ſcelera deturbati manent Clerici, quamvis nullius impreſſione characteris ungantur? Nónne ſacrilega eſt manus, quæ eos verberando occidendoque temeraverit? Ecce quot modis illud formidabile Saulis telum tibi excuſſum eſt, quot vulneribus commentitius ille character tuus interiit.

## CAPVT VIII.

*Vnctio non tribuit Regibus ſummam poteſtatem, ſed alias quaſdam prærogativas ſpirituales.*

SEd quorſum tandem hæc omnia? Ecce concedamus tibi characterem tuum, & quidquid tandem hac de re ſomniaſti potiùs, quàm diſputaſti: quid inde conficis pro Chriſtianiſſimo Rege? Ergo, inquis, a *major & eminentior* eſt auctoritas ejus, quàm Regum eorum qui non ſunt uncti; & conſequenter, quò tota vergit diſputationis moles, ergo ex hac parte juſtior eſt cauſa bellandi Chriſtianiſſimo Regi, quàm cuicumque Monarchæ totius orbis.

*Spectatum admiſsi riſum teneatis amici.*

Homo pepo, quid unctioni cum juſtis bellorum cauſis? Unctióne jus tribuit unctis Regibus, ut bellicis cladibus Regna vicinorum atterant, aut unctionis prætermiſſio vicinos reos facit? Quid ſtolidius iſtâ conſequentiæ lege, quid turbulentius? Sed eâ præteritâ, quam ſuprà utcumque ponderavimus, prioris conſecutionis nexum videamus:

a FOL. 33. Ainſi entre les Chreſtiens, le charactere Royal releve la perſonne royale pour avoir plus d'autorité ſur les autres Chreſtiens, que n'ont les Roys non oincts.

FOL. 36. Leur auctorité eſt plus grande, puis que mieux affermie.

mus: Ergo unctorum Regum potestas major est, seu auctoritas eminentior. Quâ Theologiâ? quâ Politicâ? quâ Dialexi? Esto, persona uncta sit sacratior, sit venerabilior Christianis, sit Deo custodia ejus carior, sit benevolentia in eum propensior, sit opitulatio promptior; propter quas causas omnibus meritò Christianis Regibus unctio cordi & usui esse deberet: an ideo quoque potestas major, vel auctoritas eminentior? Magnitudo potestatis & auctoritatis in Regnum proprium, multoque magis in alienum, ut adversùs illud justa bella suscipiantur, non consecratione Regum, non sanctitate quâcumque comparatur, sed legitimâ potestatis & auctoritatis Regiæ collatione: quæ major aut minor est, prout magis minúsve legibus atque conditionibus solvitur aut adstringitur; vel ab alio, sive patrocinii, sive clientelæ, sive tributi, sive feudi juri dependet, aut libera est. Ex quo fit, ut Reges etiam uncti, qui nexibus istis dependentiæ devincti sunt, potestate & auctoritate nō unctis & liberis ab illâ subjectione meritò cedant: & vice versâ, ut etiam non uncti Reges, & Respublicæ quæ neminem in temporalibus superiorem agnoscunt, potestate & auctoritate superent non minùs feudatarios, licet unctos, Reges, quàm eos, quorum auctoritas ac potestas Optimatum adjunctione temperata est. In primo genere jam olim fuit Rex Siciliæ, Bohemiæ, Angliæ: in altero, Daniæ, & Poloniæ. Illi quippe superiorem feudi recognitione venerati sunt, aut adhuc venerantur: isti quodammodò adjunctum patiuntur aut parem, dum in multis rebus eorum potestas Optimatum consensu ac voluntate restringitur. Vera supremæ potestatis & auctorita-

tis

tis Regiæ nota est, quam efficaciter atque breviter, ut solet, Tertullianus *a* expressit, ut verè summus Rex sit à *Deo secundus, post quem primus, ante omnes, & super omnes Deos*. Nam verè supremam potestatem & auctoritatem Regi tribuit, qui, ut idem ait, *b temperat majestatem Cæsaris infra Deum, qui soli subjicit*. Quâ supremæ majestatis descriptione omnis dependentia à superiore, omne consortium cum pare secluditur. Hâc qui præditus est, sive unctus, sive non unctus fuerit, summâ profectò potestate & auctoritate pollet, quâ sub cælo in illo ordine, respectu temporalium, eminentior dari nequit. Non enim de unctis Imperatoribus, ne de Christianis quidem, Tertullianus loquebatur. Nam neque probitas, neque fides, neque unctio talem potestatem Regibus tribuit; sed ille, qui per Salomonem dixit: *c Per me Reges regnant, & legum conditores justa decernunt*. Non Regni angustiis potestas illa contrahitur, nō amplitudine dilatatur. Hoc ipso nāque, quo Regnum aut Respublica, velut corpus politicum ac perfectum, plenissimè seipsum regere, & ab hostibus tueri potest, neminem respiciens superiorem in temporalibus, nisi solum Deum, à quo sicut spiritum, ita & potestatem illam traxit, absolutâ profectò, & summâ, atque independente pollet auctoritate ac potestate. Quapropter quidquid hîc de unctionibus Regum, quidquid de charactere, quidquid de ceremoniis ad adstruendam Francorum Regibus auctoritatis, iurisque bellandi magnitudinem fabulatus es, quò tandem pertinet, nisi ut appareat, te campos quæsivisse ver-

a *in Apolog. cap. 30.*
b *Ibid. cap. 33.* c *Proverb. 8.*

verborum, ubi ventosè atque inaniter curreres? ac tantò ineptiùs apud imperitos milites, quantò veluti sapientiùs delirares?

## CAPVT IX.

*Vnctio plerisque Regibus Christiani orbis usitata.*

NEc minùs bellè nugari peritis videris, quàm imperitis historiarum gnarus videri voluisti, cùm coronationem & unctionem Regibus Franciæ, & Angliæ, Romanoque Imperatori, cæteris seclusis; arrogas, ut etiam sic Rex Franciæ emineat

*Velut inter ignes*
*Luna minores.*

*Anglus* enim, inquis, *a hæreticus*; *Imperator imperium restituere debet.*

Haud scio stoliditas hîc, an ignorantia palmam ferat. Est enim notæ veritatis, omnibus Christianis Regibus coronationem atque unctionem esse licitam, & plerisque jam inde à primis Regnorum exordiis usitatam. Siciliæ Rex primus Rogerius Panormi in Ecclesiâ Archiepiscopali sacrâ unctione delibutus, Regiam dignitatem sumpsit, anno millesimo centesimo trigesimo, die Dominicæ nativitatis. *b* Exstat Diploma, cujus auctoritate jus ei tituli Regii, unctionis & coronationis, indultum est. Hoc postea successores ejus, *c* Iacobus, Petrus, Ludovicus, alii plures, imitati sunt. Stephanus *d* Dux Hungariæ anno millesimo primus in Regem unctus, præreptaque coronâ quæ Duci Polo-

a FOL. 38. L'heresie luy a faict perdre & mespriser cette grace. Pour l'Empereur, quand il aura rendu la couronne Imperiale aux legitimes successeurs de Charle Magne, la France ne luy enviera point son onction.
b *Alexand. Abbas lib. 2. de gestis Rogerii.*
c *Chronicon Benevent. Chronicon Aragon.*
d *Chartuitius in vitâ S. Stephani.*

Poloniæ destinata erat, coronatus est. Quin & uxor ejus Gisela, Henrici Imperatoris filia, sacro Chrismate delibuta, Regiaque coroná insignita fuit. Eodem ferè tempore Poloniæ Princeps Boleslaus, *a* Gaudentio Archiepiscopo sacris operante, Regio, præmissâ unctione, cinctus est diademate. Qui ritus in nostra usque tempora perdurat. Ungitur enim Rex, olim quidem in Gesnensi, nunc verò Cracoviensi Basilicâ sacro oleo inter scapulas, ante aram maximam, & coronâ aureâ redimitus, accepto in dexteram sceptro, & in lævam pomo, in solio editiore collocatur. Sic Boleslaus, sic Casimirus, sic alius Boleslaus, S. Stanislai interfector, inauguratus est. Tunc verò intermisso per ducentos & quindecim annos Regno, rursus Præmislus solemni ritu inunctus fuit. In Norvvegia *b* quicumque tyrannicè Regem occidisset, Rex erat. Huic infami malo ut Optimates occurrerent, anno circiter millesimo centesimo octogesimo primo decreverunt Regem suum, Magnum nomine, unctione mysticâ consecrandum, & coronandum esse, ut nemo de cætero auderet manum mittere in christum Domini. Factum est: sed Rex iterum interfectus à famoso presbytero & latrone Suero, qui ritu jam consueto, mysticâ unctione diadema consecutus est. Rex Daniæ Christophorus *c* Ripis anno millesimo quadringentesimo tertio, die circumcisioni sacrâ inunctus, Regnoq; inauguratus est. Extat Diploma Felicis V. cujus jussu factum fuit. Rex Sueciæ Christiernus *d* patrum nostrorum memoriâ à Gustavo Sueciæ Archiepiscopo, solemnibus ceremo-



a *Neugebavarus in hist. rer. Polon.* b *Guil. Neubrigensis li* 3. *cap.* 6. c *Cypraus in annal. Slesuicens.* d *Idem.*

niis consecratus est. Rex Navarræ Philippus *a* Eburovix à trecentis circiter annis, qui Ioannam Ludovici Hutini filiam uxorem duxerat, in Pampilonensi Ecclesia coronatus est. Quod post ipsum à pluribus, ut Carolo Comite Eburovice, & aliis factitatum fuit. Balduinus *b anno millesimo centesimo primo, in die sancto Nativitatis Dominicæ in Ecclesiâ Bethleemiticâ, adstantibus Clero & populo, Ecclesiarum quoque Prælatis & regni Principibus, consecratus est in Regem* Hierosolymorum, *inunctus per manum D. Daberti, & Regio diademate solemniter laureatus*, ut his verbis Guilielmus Tyrius refert. Quod quidem ante Balduinum Godefridus *c* prætermiserat, non quòd consecrationis munus, aut Ecclesiastica Sacramenta contemneret Princeps fidelissimus; sed *coronam perituram humiliter declinavit, ut immarcescibilem alibi consequeretur. d* Defuncto tamen Balduino Rege, Balduinus *e* de Burgo, Fulco, & alibi, *solemniter & ex more* inuncti, coronati & consecrati sunt. Edgarum inter Scotos primum, & deinceps alios inunctos & coronatos historiæ testatum faciunt. Quòd si cætera quoque Regna lustrare operæ pretium esset, haud scio, an ullum in tota Europa sit, aut fuerit, cujus Reges non aliquando illius mysticæ unctionis ritu coronati sint. Sed hæc sufficiunt ad ineptam hominis istius imperitiam retundendam.

Jam verò quòd Reges Aragoniæ non coronari fabulatur, *e* quis tantillâ historiæ cognitione tinctus æquanimiter ferat? Petrus II. à quadringentis supra triginta circiter annis in æde S. Pan-

cratii

a *Chronicon Regum Aragon.* b *Guil. Tyr. de bello sacro l.* 10. *c.* 9. c *Idem lib.* 9. *c.* 9. d *Idem lib.* 12. *c.* 3. *& lib.* 14. *c.* 2.
e *H. Boetius. Gordonus in opere Chronol. ad annum* 1101.
f *Fol.* 37.

cratii Romæ, à Petro Episcopo Portuensi sacro oleo perungitur, & ex manibus Innocentii III. diadema cæteraque insignia regalia, colobium, sceptrum, pomum recipit: qui Pontifex Taraconensibus Archiepiscopis indulget privilegium, ut Regibus Aragoniæ *a* in posterum coronam imponant. Ipsa Regis Petri professio, & litteræ Pontificiæ, quibus res gesta & privilegium continetur, extant in rebus gestis Regum Aragoniæ. Sic Petrus *b*, sic Alphonsus, sic Iacobus, inuncti & coronati sunt: sic Ferdinandus, Ioannis Castellæ Regis filius; sic Martinus. *c*

Quàm verò lautum, quod etiam de causis, cur Reges Aragoniæ non coronentur, quasi magna proditurus mysteria, philosophatur? nimirum, inquit, *quia Comitatus erat*, & quidem tributarius, quando in Regnum evectus fuit; cujusmodi Regnorum Reges ungi nequeunt. Nec animadvertit, dum plūbeos istos pugiones jactat, se propriis armis letaliter vulnerari. Quid enim? nónne Anglia, cujus Rex, te confitente, ungitur, Pontifici Romano tributaria est? nam nummus sancti Petri dictus ad Henricum Octavum usque religiosè persolutus est. Sicilia nónne in hunc usque diem, olim etiam Hungaria Romanæ Sedi, Navarra Regi Castellæ, ita paciscente auxilium Castellanum Garsia quarto Navarræ Rege, clientelæ jure subdebatur? & tamen istorum Regnorum Reges solemnibus Ecclesiæ ceremoniis, uncti & coronati sunt. Quid igitur nisi magnam osten-



a *Chronicon Regum Arag.* b *Ibidem,* c *Lucius Marinæus Siculus lib. 11.*

d FOL. 37. Mon opinion est, que ces Royaumes d'Espagne comme de Castille, de Portugal & d'Aragon n'estoient que Comptez, & quand ils ont esté erigez en Royaume, ils estoient homagers & tributaires, c'est pourquoy leur Princes ne peuvent estre oincts.

ostentas ignorantiam, dum de rebus istis magistraliter disputas: ut hujusmodi Regum Franciæ privilegia decantando, quibus totius orbis Regibus antecellant, militibus rerum istarum imperitis quasi classicum canas; ne, tam justis scilicet bellandi causis freti, veluti clausis oculis præcipites ad arma vel in interitum suum ruere videantur?

## CAPUT X.

*Prisci Reges Gothorum ante mille annos ungebantur, adeoq; ante omnes Reges orbis Christiani.*

QVòd si de hujusmodi prerogativis, nihil omninò ad justas belli causas pertinentibus, pro Regibus Hispaniarum, quos inconsideratè deprimis, gloriari liberet, non essem insipiens: veritatem enim dicerem. Scio Reges Hispaniæ, aliquot sæculis ante Reges Franciæ sacrâ unctione delibutos, diadema Regni suscepisse de manu Dei. Nam, ut prætercam eos Reges, qui post Saracenorum irruptionem Hispaniæ sceptra moderati sunt, Ordonium *a*, qui ante septingentos annos solemniter à duodecim Pontificibus perunctus & coronatus est; Ferdinandum tertium; Alphonsum octavum, & alios, quorum hic novennis solemni quoque ritu, ille adultus Toleti, & quidem, ut Scriptores *b* antiqui notant, *secundùm legem Dei & consuetudinem Regum priorum*, coronatus est: ut, inquam, hos prætercam, veritate constat exploratâ, non solùm (ut quidam recentiores volunt) Egicam & Vitizam, qui paulò ante Maurorum invasionem Regno Hispaniæ præfuerunt, sed ante non-

a *Luc. Tudens. in Ordonio.* b *Idem. Lambertin. in Theatro suo. Luc. Tudens.*

nongentos & quinquaginta annos Flavium Ervigium oleo sacro delinitum fuisse, regnoque inauguratum. Testis omni exceptione major est Synodus Toletana *a*, anno primo Ervigii Ærâ 718. celebrata. Nam capitulo primo dicit, se ex scriptis Ervigii documentis cognovisse, quòd VVamba Ervigium *per scripturam definitionis suæ prælegerit regnaturum, & sacerdotali benedictione ungendũ*. Et paulò inferiùs, quòd Julianus Toletanæ sedis Episcopus eum *instruxerit, ut cum omni diligẽtia ordine jam dictum Dominum Ervigium in Regno ungere deberet, & sub omni diligentiâ unctionis istius celebritas fieret.* Et ipse Ervigius *b* in oblato Antistitibus libello supplice profitetur, non latere Episcopos, quo pacto *& regnandi conscenderit sedem, & sacrosanct. Regni perceperit unctionem.* Et ante Ervigium VVamba seu Bamba, prædecessor ejus, simili ritu consecratus est. Nam de illo coætaneus ejus Julianus, *c* Archiepiscopus Toletanus, testatur, eum, *ne citra locum sacræ sedis Toletani Regni sacram susciperet unctionem, distulisse celebritatẽ usque ad nonam decimam diem; ne videretur ambitione usurpasse, vel furatus esse Regni gloriam, sed potiùs signum tanti culminis*, id est unctionem, *à Domino percepisse*. Ad Toletanum enim Archiepiscopum ex Primatûs prærogativâ spectabat Regum consecratio, à cujus sede cùm abesset Bamba *centum & viginti milliariis*, meritò consecrationem distulit. *Postquàm autem*, pergit Julianus, *d Toletanam urbem ingreditur, & ventum est, quo sancta unctionis susciperet signum, Regio jam cultu conspicuus, jurandi fidem populis reddidit, & mores bonos prædecessorum Regum, atque leges firmavit. Deinde*

 *curva-*

a *Concil. Tolet. 12. cap. 1.* b *Libell. supp. Ervigii.*
c *Chronicon Iuliani.* d *Ibidem.*

*curvatis genibus oleum benedictionis per sacri Primatis & Pontificis Quiritii manus vertici ejus refunditur, & benedictionis copia exhibetur.* Ex quibus verbis perspicuum est, jam tum unguendi Reges Hispanos usitatam fuisse ceremoniam. Quod clariùs elucescit ex Chronico *a* Regum VVisigothorum, sub idem tempus conscripto, in quo de Bamba dicitur: *Suscepit Dominus VVamba Regni gubernacula eadem die, quo ille* (Recessuindus) *obiit in supradictis Kalendis Septembribus, dilatâ unctionis solemnitate usque in diem* XIV. *Kalend. Octobr. Lunâ* 21. Et de Ervigio, ejus successore: *Suscepit succedente die, secundâ feriâ, gloriosus Dominus noster Ervigius Regni sceptra, quod fuit Idibus Octobris Lunâ* 16. *Ærâ* 718. *dilatâ unctionis solemnitate usque in supervenientem diem Dominicum.* Nempe differebatur unctionis solemnitas, quia ex usitatâ consuetudine continuò Regni suscepti auspicia subsequi debebat. Non enim illi primi fuerunt, qui sacrâ unctione in Regnum Gothicum consecrati sunt. Nam quòd in coronatione Bambæ fit jurisjurandi mentio, cujus *fidem populis reddidit*, respicit Julianus ad sanctionẽ Concilii sexti Toletani nationalis, quâ jam ante triginta quatuor annos constitutum fuerat sub Cintilla Rege, *b ut quisquis succedentium temporum Regni sortitus fuerit apicẽ, non antè conscendat Regiam sedem, quàm inter reliquas conditiones sacramento pollicitus fuerit, hanc se Catholicam non permissurum eos violare fidem.* Quę pollicitatio conjungi solet coronationi & unctioni. Et ante Cintillam, sub Sisenando Rege, Præsules Hispaniæ, volentes vitam Regum suorum adversùs perfidos munire parricidas, qui eis

*a Chron. VVisigoth. quod Pithœus edidit & præfixit Codici Legum VVisigoth.* b *Concil. Tolet. 6. c. 3.*

eis violentas manus inferre conarentur, tamquam vulgatâ circumscribentes eos notissimâque periphrasi, *christos Domini* Reges suos vocant: *a Et cùm Dominus dicat, Nolite tangere christos meos: & David, Quis extendet manum suam in christum Domini, & innocens erit? illis nec vitare metus est perjurium, nec Regibus inferre exitium.* Et quinquaginta annis ante Sisenandum, hoc est, anno quingentesimo octogesimo quinto circiter, celeberrimus ille Catholicæ Fidei susceptione, totiusque Regni sui conversione Reccaredus, in Regno Gothorum eâdem unctionis solemnitate *coronatus est Regno*, vel, ut Lucas Tudensis legit, *in Regno coronatus est*, prout his verbis testatur successor sancti Leandri, qui Reccaredum converterat, S. Isidorus *b* Hispalensis Episcopus. Nam coronationem in se complecti quoque unctionem, ex antiquo Ecclesiæ ritu, & Regulis Pontificalibus, extra controversiam est. Unde Scriptoribus historiæ Gallicanæ nihil usitatius est, quàm coronationis vocabulo totam illam ceremoniam unctionis, & sacræ inaugurationis exprimere. Ita Auctor *c* Vitæ Ludovici octavi: *Ludovicus cum Blancha uxore sua in Regem Franciæ coronatur*: & de Philippo Guilielmus Nangius: *Philippus Rex Franciæ vacante sede Remensi coronatus*. Et de Richardo: *d Richardus Comes Cornubiæ apud Aquisgranum in Regem Alemanniæ fuit coronatus*. Et Rigordus: *e Philippus à Deo datus, coronatus est Remis*. Et Adelhelmus: *f* Stephanus Papa Ludovicum *cum diadematis impositione coronavit*. Nec desunt Scripto-

 res

a *Concil. Tolet. 4. c. 74.* b *S. Isidor. in Chronic. Gothorum.* c *Auctor Anonymus vita Lud. 8.* d *Guill. Nangius in gestis S. Ludovici.* e *Rigord. de gestis Philippi Augusti.* f *Adelbel. in Annal. Franc.*

res graves, qui Reges Hispaniæ etiam ante Reccaredum ab initio susceptæ cognitionis Christi, hoc est, ab ipsis primordiis Regni Gothici, facilè centum annis ante Clodovæum, unctione in Regnum consecratos esse testantur. Sed, quod nobis abundè satis est, Reccaredus iste, Christianissimus Princeps, jam inunctus & coronatus fuerat primus omnium Catholicorum Regum totius orbis, ante sesqui-seculum quàm fuisset apud Francos de peculiari Regia unctione cogitatum. Centum enim & sexaginta facilè annos Pipinum antecessit, qui primus inter Francos Regiâ unctione delibutus fuit.

## CAPVT XI.

*Pipinus Primus Regum Francorum inunctus est.*

NAm quod plerique putant, Clodovæum fuisse in Regem à S. Remigio chrismate cælitus misso consecratum, error videtur esse popularis. Neque enim inter antiquos quisquam testis est istiusmodi unctionis Clodovæi, vel cujuspiam posterorum Regum, nisi quingentis annis Clodovæo posterior. Nam neque Gregorius Turonensis, qui paulò post Clodovæum defunctum natus est, & accuratè quidquid lectione dignum Regibus suæ nationis accidit, memoriæ posterorum tradit, ullam unctionis Regiæ vel Clodovæi, vel cujusquam successorum ejus mentionem facit: nec Eginhartus, Caroli Magni scriba, qui ultimos primæ familiæ Reges videre potuit: nec Fredegarius, nec Aimoinus, nec Adelhelmus, Monachi Benedictini, nec alius quisquam, qui sæculis Merovingianæ stirpis vixerit, aut proximus fuerit.

Quod

Quod sanè incredibile est, si unctio fuisset usitata; nam simulatque ad Pipinum ventum est, omnes passim ab unctione Regnum auspicantur.

Nec verò causa defuit, cur posteriorum sæculorum Scriptores Clodovæum Regem inunctum fuisse crederent. Legerant enim fortasse veterum quorumdam loca, quibus dicunt chrismate, vel oleo cælitus misso, Clodovæum Regem *sacratum, ordinatum*, vel *consecratũ esse*. Sic loquitur Hormisda Pontifex ad S. Remigium, Archiepiscopũ Rhemensem: *a quem* Clodovæum *sacri dono baptismatis consecrasti*. Sic ipse Gregorius *b* Turonensis in baptismo Clodovæi: *Delibutusq; sacro chrismate, cũ signaculo crucis Christi*. Itaque cùm postea sub Carolina stirpe Reges peculiari unctione in Franciã cõsecrari cernerent, existimasse videntur, etiã istam unctionem eò esse referendam. Hoc eò proclivius ipsis fuit, quòd, juxta doctrinã antiquæ Ecclesiæ, chrismatis unctio baptismo adhiberetũr, ut fideles quilibet, ipsique adeò populorum Rectores, tamquam Christo similes futuri, in Reges & Sacerdotes, seu *in Regale sacerdotium* mysticã ratione sacrarentur. De quo Hincmarus Archiepiscopus Rhemensis ad Reges loquens: *c Qui fecit eos in baptismate Reges & Sacerdotes Deo nostro, & genus Regum, ac Regale sacerdotium, secundùm Apostolum Ioannem & Petrum*. Et Ambrosius unctione capitis significari docet, *Vt fias*, inquit, *d electum genus, sacerdotale, pretiosum. Omnes enim in Regnum Dei & in sacerdotium ungimur gratia spiritali*. Quæ doctrina sicut etiam apud alios Patres perquàm communis est, ita occasionem fortasse Scriptoribus posterioribus præ-

 buit,

a *Apud Hincmar. in opusc. 55. capit.* b *Greg. Tur. lib. 2. ca. 31.*
c *Hincmar. de Divortio Lothar.* d *Lib. de initiand. cap. 6.*

buit, ut Clodovæum Regem peculiari distinctâque unctione à baptismali sacratum esse arbitrarentur, mysticum Regnum in corporale transformando.

Nec sanè mirum, quòd nulla in Clodovæo, totâque primâ Regum stirpe mentio peculiaris unctionis audiatur. Clodovęus enim legitimo & usitato Francorum ritu jam ante baptismum erat inauguratus Rex: ut nihil opus esset, vel easdem ipsas, vel alias unctionis aut coronationis iterare ceremonias. Porrò ritus illos priscos Principum creandorũ longè alios olim fuisse Francis, quàm unctionis, exploratum est. Nam scuto impositus Rex novus in altum sublatus per castra circumferebatur. De Clodovæo ipso Gregorius Turonensis: a *Plaudentes tam palmis quàm vocibus, eum clypeo evectum super se Regem constituunt.* Et de electione Sigeberti: b *Collectus est ad eum omnis exercitus, impositumque super clypeo sibi Regem statuunt.* Idem refert in Chronico Ado c Viennensis. Gundebaldus verò, ut Gregorius tradit alio in loco, d *parmæ superpositus Rex est levatus. Sed cùm tertiò cũ eodem gyrarent, cecidisse fertur, ita ut vix manibus circumstantium sustentari potuisset.* Barbararum gentium ille mos erat, maximeque Germanorum; unde Francis velut gentilitius adhæserat. De Brinione Caninefatum primate (gens Bataviæ proxima est) Tacitus; e *Impositusq; scuto, more gentis, & sustinentium humeris vibratus, Dux deligitur.* Sic Julianus à Gallis militibus Princeps renuntiatus est: f *impositusque scuto pedestri, & sublatus eminens populo silente, Augustus renuntiatus.* Sic Gothi subinde

a *Greg. Tur. lib. 2. Hist. c. 40.* b *Lib. 4. cap. 46.*
c *Adh. ætate sextâ.* d *Greg. Tur. lib. 7. cap. 10.*
e *Tacit. lib. 4. Hist.* f *Amm. Marcell. lib. 20.*

inde soboles Germanorum: *a Iudicamus parentes nostros Gothos inter procinctuales gladios, more majorum, scuto supposito, Regalem nobis contulisse præstante Deo dignitatem, ut honorem arma darent, cui opinionem bella pepererant.* Sic & in ipso Imperio Romano, sed postquam cum barbararum Gentium illuvione mores earum imbibissent, Principes inaugurarunt. Zonaras de Hypatio contra Justinianum electo: *b* Καὶ ἐπὶ ἀσπίδος αὐτὸν μετάρσιον ἄραντες, ἀναγορεύουσι βασιλέα. *Et in scutum sublime eum tollentes, salutant Regem.* Curopalates de officiis Aulæ: *c* Ὁ νέος βασιλεὺς ἐπὶ σκουταρίου κατατεθεὶς ἐπαίρεται ἐς ὕψος. *Novus Imperator scuto impositus tollitur in altum.* Hujus ergò ritûs meminerunt sæpiùs Scriptores rerum Gallicarum, in primæ familiæ Regibus, sacræ unctionis antiquiores numquam. Hæc enim, fatentibus quoque vim veritatis non infimis Francicarum rerum Scriptoribus *d*, à Pipino ortum habuit. Qui cùm sibi Regni præter jus successionis occupati conscius esset, duplicis intra triennium consecrationis auctoritate supplere nitebatur id, quod juri deerat: ut omnes novos legitimi heredis modus, duplicis unctionis, etiam Pontificiæ, veneratione ac solemnitate cõpesceret. Hinc filios secum duos, Carolum & Carolomannum, simul ungi voluit. Idem eadẽ de causa fecit Carolus Magnus: idem Hugo Capetus, cum successoribus, usque ad tertiam generationem; qui etiam filios suos Regni habenis moderãdis adhuc per ætatem inidoneos sacrâ unctione consecrarunt, ut adversùs legitimos heredes, stirpem Caroli Lotharingiæ Ducis, sese quaquâ ratione munirent.



a *Caßiod. lib. 10. variar.* b *Zonaras.* c *Curopalates de off. aula.* d *Tillet, Fauchet lib. 6. c. 1.*

Illud verò in unctione Regum Hiſpaniȩ conſideratione dignum, quòd, cùm Eccleſiæ ſanctione per Innocentium III. *a* conſtitutum ſit, & in coronationibus Regum uſitatum, ut Pontifices ungantur in capite, Reges in brachio & humeris, ad ſignificandam auctoritatis utriuſq; differentiam: Reges tamen Hiſpaniæ peculiari prærogativâ in vertice ungebantur. Hoc enim paulò antè perſpicuis verbis Julianus, Archiepiſcopus Toletanus, de Bambæ unctione tradit: *b Curvatis genibus oleum benedictionis per ſacri Primatis manus vertici ejus refunditur.* Quo argumento, Regum Hiſpaniæ prærogativa præ aliis nonnullis Regibus, inferiori modo inungi ſolitis, indicatur.

a *Innocent. cap.* 1. *de ſacrâ unctione.* b *Julian. in Chronic.*

## CAPUT XII.

*Oleum cœlitus allatum non tribuit majorem poteſtatis eminentiam, quàm ab Eccleſia ſanctificatum.*

QUod verò hinc tandem poteſtatis eminentiam in Francorum Regibus, & conſequenter juſtiorem bellandi cauſam, colligis, *c* quòd chriſmatis miraculoſi unctione coronatur, eandem ingenii tui dexteritatem ſapit. Non hoc ſentirēt ipſi Reges Franciæ, ſi quo bellorum ingruentium vel incendii infortunio ſacra ampulla periiſſet; vel, aliâ quâpiam cogente neceſſitate, alio quàm Remenſi oleo, ſicut Henrico IV. contigit, perungi debuiſſent. Cùm enim Henrico ad coronationem adſpirante, civitas Remenſis forti pręſidio teneretur, unde ampulla ſacra non niſi magnâ diffi-

a FOL. 3? Or entre tous les Monarches le Roy de France a la grace de cette onction, faicte d'une huile miraculeuſement apporté par le S. Eſprit. Son auctorité donc eſt plus eminente, plus auguſte, & plus divine, &c.

difficultate adferri posset, quodlibet sacrũ oleum Proceres & Antistites Galliæ ad illam ceremoniam satis esse censuerunt: allatoque non chrismate, ut est Remẽse, sed oleo sancti Martini, Carnuti consecratus est. An ideo Henrico IV. *a* minus auctoritatis, minus eminentis potestatis adfuisse putas; vel minùs divinam, eminentem, augustamque futuram fuisse auctoritatem ejus, minusque justam belli causam, si oleo ab Antistitibus consecrato delibutus fuisset? Non hoc, arbitror, tibi dedisset ipse Rex, non hoc Antistites, non Theologi. Vim habet aliquam sine dubio inter Christianos miraculosa rerum quarumdam productio: sed quòd earum usus *majorem, eminentiorem, augustiorem, diviniorémve*, ut tu loqueris, conferat Regibus auctoritatem, delirium est, vel hallucinatio hominis nõ satis vim veritatis Ecclesiasticæ penetrantis. Quis enim nesciat, Baptismum in aquâ simplici, & consecratâ, & cœlitus missâ, ejusdem esse sanctitatis, ejusdem in operando potestatis, ejusdem deniq; auctoritatis, creare Christianos? Idem de chrismate Confirmationis, de oleo Extremæ unctionis, & sacri Ordinis esse sentiendum, veritas docet. Nisi fortè eminentioris diviniorisque potestatis Antistitem, & Sacerdotem esse censeas eum, qui oleo cœlitus misso sacratus fuerit, quàm qui Pontificis benedictione consecrato. S. Petrus Processum & Martinianum *b* aquâ, ex petrâ in hunc usque diem miraculosè scaturiente, baptizavit: Deus aquis aliquando implevit baptisterium in Hispaniis *c*; in Sicilia *d* apud Lilybæum: S. Remigius *e* paganum ægrotantem

 oleo

a *Scipion du Plaix.* b *Acta Processss. & Martin.* c *Gregor. Tur. de glor. Mart. c. 24. & 25.* d *Epist. Pascasii ad Leon. prim. Pont.* e *Hincm. in vitâ Remigii, & Flodoard. hist. Rem. lib. 1. c. 12.*

oleo catechumenorum, & chrismate divinitus misso post baptismum liniit. An tibi illi divinitus allatis aquis baptizati, unctique cœlesti chrismate, divinioris eminentiorisque potestatis aut characteris fuerint Christiani? Facessant illæ nugæ à Christianorum cogitationibus. Divinarum operationum illa supernaturalia instrumenta sunt: quorum vilitas non impedit operantem Deum, neque præstantia magis adjuvat. Stabiliter ille opus idem suum, effectum eumdem, cujuscumque tandem instrumenti interpositione, peragit. Sal, aqua, oleum, chrisma, undecumque allata, undecumque sanctificata, idem omninò ad effectum illum Sacramentorum conferunt, quem ex Ecclesiæ vel Christi instituto operantur. Minister ipse, qui illis utitur, idem efficit (quod mirabilius) sive sit bonus, sive malus: nisi Donatistarum cuipiam fortè sententia placeat, qui bonitati sanctitatique instrumentorum tribui volunt, quod competit soli Deo. Sed istos tecum jugularet Augustinus *a*, qui dicit: *Sacramentum tam sanctum est, ut nec homicidâ ministrante polluatur.* Quia, ut idem optimè *b*, *Petrus baptizet, Paulus baptizet, Iudas baptizet; hic est, qui baptizat*, videlicet Christus, qui solus *baptizat potestate, discipuli ministerio c.* Qualiscumque ergò Sacramentorum minister fuerit, sive sanctus, sive profanus, par effectus est, quem per eum Christus operatur; æqualis potestas, quæ confertur, juxta Augustini regulam, totius Ecclesiæ suffragio comprobatam: *d Quomodo cùm baptizat bonus & melior, non ideo iste bonum accipit, & ille melius; sed quamvis*

*bonus*

a *Tract.5.in Ioan.* b *Tract.6.*
c *Idem Tract.5.* d *Tract.6. in Ioan.*

*bonus & melior fuerit minister, unum & aquale est, quod acceperunt; non est melius in illo, & inferius in isto: sic & cùm baptizat malus, illud quod datum est, unum est; nec impar, propter impares ministros, sed par & aquale est, propter: Hic est, qui baptizat.* Quemadmodum igitur istud, *Hic est, qui baptizat*, nullam agnosci sinit ministri differentiam, ita nec materiæ: ipse est quippe, qui per utrumque nihil naturalis efficaciæ conferentem operatur effectum suum. Sit igitur aqua ad baptizandum simplex, sit precibus Ecclesiæ consecrata, sit divinitus allata, Hic est, qui baptizat. Sit chrisma aut oleum à ministris Ecclesiæ sanctificatum, ab Angelis benedictum, cœlitus missum, Hic est, qui confirmat; Hic est, qui Sacerdotes ordinat; Hic est, qui Reges consecrat; Hic est, qui suam cuique, parem omnibus, per instrumenta diversimodè sanctificata tribuit potestatem. Quamquam cùm Ecclesia, vel Angeli materiam chrismatis sanctificant, quis nisi Deus invisibilem sanctificationem de cœlo pluit? Ergò quisquis etiam materiam sanctificat, sive in cœlo sive in terris, Hic est, qui sanctificat. Ita in omnibus effectibus, qui naturam superant, ad ipsum debemus oculos convertere, & ex ipso esse suspensi.

Hoc fortassis insinuatum nobis fuit, quando in veteri Testamento Reges Deus oleis diversis, diversoque modo sanctificatis, consecratos voluit, sine discrimine collatæ potestatis. Nam Salomonem unxit *a Sadoc* summus Sacerdos ex *cornu olei de tabernaculo*, hoc est, chrismate seu unguento sacratissimo, consecrationi *tabernaculi & Sacerdotum b* destinato; *quo tamen deinde*, ut S. Isi-

a 3. *Reg.* 1. b *Exod.* 30.

S. Isidorus *a* tradit, *Reges quoque sacrabantur*: Saulem *b* verò atque Davidem Samuel oleo communi per ipsum sanctificato. Tabernaculum enim, ubi sacrum unguentum servabatur, tunc temporis in Nobe residebat: & istum præter opinionem, hunc clanculùm, ut nemo conscius esset, in Reges unxit. Rursus Absalon *c* in Regem, totius populi voluntate, *unctus est*; nec dubium, quin unguento sacro, cùm Jerusalem ac templum ejus pareret potestati. Hazaël jussu Dei per Heliam Rex Syriæ, Jehu Rex Israël per Helizeum vulgari oleo consecrati sunt. Nec enim ullum indicium est, quo sacrum illud unguentum ad æmulos, vel infideles ungendos Reges, per homines non sacerdotes adhibitum fuisse colligamus. Quis tamen agnovit in istis ex hac parte discrimen aliquod Regiæ potestatis? Quod profectò nullibi efficaciùs quàm in Francię Regibus locum habet. Illi enim, quemadmodum non à populo, ita nec à Sacerdotibus, vel ipso Papa consecrantibus, sed successionis jure sibi potestatem Regiam tradi arbitrantur; quam nec augeat, nec minuat adjuncta consecratio. Unde vulgare Francis proverbium: *Franciæ Rex non moritur*. Et cùm aliquando Regum anni à consecrationis die fuerint numerati, hoc à posteris in usum, ut ajunt Scriptores *d* Franci, meliorem commutatum est. Quod ut ut sese habeat, verissimum certè & extra controversiam esse debet, ut persona uncti Regis præ non unctâ sit ipsâ Ecclesiæ consecratione sacratior, sit Deo propter preces sponsæ gratior, sit in Regno administrando, tuendoque felicior; nullam tamen oleo miraculoso emi-

a *Lib. 2. de Eccles. offic. cap. 25.* b 2. *Reg.* 10. & 16. c 2. *Reg.* 19. d *Tilliet.*

eminentiorem, quàm simpliciter sacro, potestatem tribui; nullam; quod stolidissimè fingitur, unctis Regibus belli causam esse justiorem. Et hæc de unctionibus Regum satis. Nunc ad alterum caput, sanationem Strumarum accedamus.

## CAPVT XIII.

*Strumarum sanatio non tribuit absolutiorem sublimioremve potestatem Regibus Franciæ præ cæteris. Potestas illa sanandi recens.*

CVm longâ disputatione gratiam sanãdi Strumas, seu, ut alii vocant, Scrophulas, Regibus Franciæ Arroyus a vindicasset, concludit ex ea tandem præclarissimè, ut solet, Regiam eorum auctoritatem esse *augustiorem, superiorem, majestate pleniorem, Deum enim istâ miraculorum operatrice virtute fidem istius rei adstruere voluisse.* In quo quidem primùm oblitus est propositi sui. Nam ostendendum quoquo modo erat, quid ad justam belli causam adserendam, vel certè colorandam, faceret Strumarum ista depulsio, etiamsi aliquid forsan facere ad extollendam Regiam auctoritatem potestatemque putaretur. Sed hìc aqua ei hæret, ubi cardo rei vertitur.

Deinde nec potestatem diviniorem nemo nisi perquàm imperitus ex illa sanitatis operatione colligere potest. Potestas enim Regum, & Pontificum, & cujuscumque legitimi Magistratûs, non à miraculorum virtute, sanitatumque dependet; non ex Prophetię, linguarumque variarum dono, non ex dęmonum ejectione, non ex quorumcumque

a ARROY FOL.46. De cette puissance divine, que Dieu donne à nos Roys, nous devons recognoistre leur auctorité Royale plus auguste, plus souveraine, plus majestueuse : puis que le fils de Dieu a voulu tesmoigne son pouvoir, & en affermir la croyance, par la vertu de faire des miracles, &c.

que mirabilium operatione, religata est. Quid, quòd nec pietas ipsa, miraculorum omnium fons, ad altitudinem depressionemque Regiæ potestatis ac majestatis quidquam facit? Non eam tribuit quæcumque pietas, si quis caret; non tollit impietas, si quis habet. Tota Regum auctoritas nutat, si à morum probitate, sanitatumque patratione suspenditur.

Quapropter ipsos fidei Christianæ cardines nititur convellere, qui potestatem *sublimiorem* à gratiarum quarumcumque communicatione, quas Deus tribuit, cui vult, & quando vult, & quantas vult, metiendam esse decernit. Fides enim Christiana docet, Magistratuum potestatem, quâ Rempublicam & Ecclesiam regunt, nullo pacto à morum probitate vel improbitate, multò minùs à sanitatum, vel quorumcumque miraculorum operatione pendere. Ipsi hæretici, quos suprà diximus, Hussitæ non ita delirarunt, ut ab hujusmodi extraordinariis beneficiis Dei altiorem depressioremque potestatem petendam esse contenderent. Virtutem pietatemque præposterè commendarunt; de miraculis & sanitatibus nulla mentio. Quam si semel opinionem vulgus imbiberet, ut ex miraculorum patratrice potestate majestatem potestatemque Regum augeri aut minui putent, nil proclivius, quàm ut aperto per illam doctrinam aditu, ad labefactandam eorum majestatem, & ad seditiones rebellionesque concitandas animentur, quibus contemptâ Principum potestate, prorsus excutiant jugum. Solidioribus profectò fundamentis illa nititur, quàm fluxâ illâ gratiarum, quas gratis datas Theologi

FOL. 46. Plus souveraine.

gi vocant, operatione, sine qua Regum auctoritas & majestas integerrima, altissima, absolutissima: cum quâ decolorata, languida, tributaria, feudataria, denique mortua, & omninò nulla esse potest. Divina enim auctoritas est, quæ eandem omninò potestatem, æquè integram, æquè sublimem, æquè absolutam Principibus, & malis & bonis, & miraculorum virtutes non operantibus & operantibus tribuit. Ille, qui supremam Imperii *Majestatem dedit Mario, ipse & Cæsari*, inquit Augustinus *a, qui Augusto, ipse & Neroni; qui Vespasiano, vel patri vel filio, suavissimis Imperatoribus, ipse & Domitiano crudelissimo; &, ne per singulos ire necesse sit, qui Constantino, ipse Apostatæ Iuliano.* Ipse est enim, qui *dat regnum terrenum & piis & impiis, sicut ei placet, cui nihil injustè placet.* Unde nascitur, ut eâdem auctoritate, eâdem majestate, eâdem divinitus datâ potestate regant impii, quâ regunt pii, miraculorum virtute destituti, quâ præditi; & eadem eis submissio, reverentia, obedientia debeatur. Si quid venerationis adjicit pietas, probitas, operandorum potestas mirabilium, hoc extraneum est Regiæ potestati ac majestati, quæ nec attollitur earum præsentiâ, ut sit sublimior, seu *plus souveraine*, ut verbis utar tuis, nec absentiâ deprimitur.

Quid enim? An Reges Franciæ Merovingios, & Carolinos omnes, sub quibus majestas & potestas Imperii Francici fuit maxima, ipsúmque tertiæ familiæ caput Hugonem Capetum, cum filiis & nepotibus, depressiore potestate Reges fuisse arbitraberis? sic enim tua te preclara Theologia de suprema Regum potestate compellit. Lustra histo-

a *Lib. 5. de Civit. c. 1.* b *Idem.*

historias, antiquitatum abstrusos recessus excute, nullum certum vestigium invenies, quo quemquam priscorum Regum Franciæ ante Philippum Primum, & filium ejus Ludovicum Crassum, illâ pellendarum strumarum potestate viguisse arbitreris. Fatetur hoc ingenuè Scriptor Galliæ diligentissimus, & Francorum gloriæ studiosissimus, Scipio du Plaix: *Ad me quod attinet, nullum adhuc documentum, nullum vestigium hujus gratiæ in duabus primis nostrorum Regum familiis vidi. Nec sanè verisimile est, si eâ præditi fuissent, quin ejus temporis Chronographi, in scribendis multis miraculis minoris momenti satis curiosi, prætermissent istud tam frequens, tam nobile, & gloriosum familiæ Regum Franciæ.* Nam quidquid aliqui de Clodovæo, & aliis consequentibus fabulantur, nullius Historici antiquioris fide nititur. Quis enim credat, neminem antiquorum Scriptorum, qui usque ad nauseam delicatiorum hujus temporis minutissima quæque miracula persecuti sunt, Gregorium Turonensem, Aimoinum, Eginhartum, Adelhelmum, Ivonem, adde Annales Fuldenses, Sigebertum, Marianum Scotum, & similes, neminem, inquam, illorum de re tantâ, tam usitatâ, in oculis Franciæ & Europæ gestâ, mentionem facturum fuisse, nisi Reges priores illâ potestate caruissent? Primus b omnium, quantum investigare licuit, Abbas Guibertus rem istam tetigit, qui Philippum Primum, & Ludovicum Crassum, sexcentis videlicet annis post conditum Franciæ Imperium, illam

a *Scipio du Plaix in Canoniz. S. Ludovici.*
Pour moy je n'ay veu encore nulle preuve ny vestige quelconque de cette grace és deux premieres lignées de nos Roys: & n'y a point d'apparence que s'ils en eussent esté douez, les Annalistes de ce temps là assez curieux d'escrire de beaucoup moindres miracles, en eussent omis un si frequent, si notable, & si glorieux à la maison Royale de France.

b *Apud Scipionem du Plaix.*

illam sanandi potestatem habuisse testatur. Quid ergò de cæteris omnibus dices? non eos habuisse supremam Regni administrandi potestatem? non enim suprema est, si in eodem ordine superior datur. Quid verò de illis, quibus potestas illa semel obtenta periit? An cum illâ etiam Regum periisse, vel emarcuisse potestatem? Nam de Philippo idem Guibertus coætaneus ejus dicit: *Cujus gloriam miraculi cùm Philippus pater ejus* (Ludovici) *alacriter exerceret, nescio quibus incidentibus amisit.*

De privatis etiam hominibus quid? Nam in vitâ S. Marculphi legitur, *b* Dominum D'Aumont illam sanandarum strumarum habuisse potestatem. An & illum aliquid Regiæ, supremæque potestatis habuisse somniabis? Per quod enim quidque augetur & minuitur, per hoc etiam vel ex toto, vel ex patre constitui solet. Quid de priscis Austrię Principibus, qui ab Habspurgensibus oriundi sunt? Strumas, ut ferunt, *c* vi quâdam divinâ sanare poterant. Nam in Alsatia vallem ajunt Alberti dictam, quæ, cùm plurimos gignat strumâ laborantes, plurimos quoque manu Principum illorum curatos vidit. An & illorum Principalem potestatem super primos Franciæ Reges, vel super successores eorum, Austriæ Principes, eriges? quod omninò tibi dicendum est, si consequenter desipere velis.

Regibus Hungariæ Icteri sanandi virtutem concessam esse perhibent; Reges Hispaniæ crucis signo dæmones pepulisse; Aragoniæ, strumas *d* sanasse. Eduardus Rex Angliæ gestavit annulum, cujus

a *Abbas Guibert.* b *Ita refert Scipio du Plaix.* c *Ioan. Pauli in Spudopadia. Vide Laurent. in Theat.* d *Refert Andr. Laur. lib. de Strumis ex Chassaneo in Catal glor. mundi, & Carolo Tapia. Vide Anton. Benier.*

cujus contactus comitiali morbo salutatis erat. *Hinc natum*, testatur Polydorus a, *ut Reges postea Angliæ consueverint in die Parasceves multâ ceremoniâ sacrare annulos, quos qui induunt hisce in morbis omninò numquam sunt.* Iidem Reges hac potestate sanandi strumas antè claruerunt, quàm ullum exemplum à Galliæ Regibus editum proferri possit. *Solebat*, inquit idem, *Rex Eduardus divinitus solo tactu sanare strumosos. Quod quidem immortale munus, jure quasi hæreditario ad posteros Reges manavit. Nam Reges Angliæ etiam nunc tactu, ac quibusdam hymnis, non sine ceremoniis priùs recitatis, strumosos sanant.* Eduardus autem viginti tribus annis ante Philippum Rex renuntiatus fuit. quę si vera sunt, sive prius sive posteriùs ista virtute præcelluerint, sublimioris profectò potestatis, & augustioris majestatis fuerint ipse & successores ejus, Reges item Hispaniæ, Aragonię, & Hungariæ, quàm Pipinus, quàm Carolus Magnus, quàm Hugo Capetus, aliique priores Reges Franciæ, si tuis principiis credimus. Ipse sanctus Ludovicus antecessores & successores suos Reges Franciæ miraculorum virtute superavit: ergò & potestas ejus Regia omnium illorum potestate sublimior fuit. Quis, nisi desipiat, ita sapiat?

Quòd si oculis dignitatis Regiæ splendore præstrictis, ad perspicuam veritatem adhuc hæsitas, intuere saltem, quàm multos Gallia Antistites, summosque Præsules Roma viderit, miraculorum virtute celeberrimos, quibus nemo, nisi rerum divinarum imperitus, Ecclesiæ gubernandæ potestatem sublimiorem, augustiorem, divinioremque dedit. Hæc enim prorsus eadem in omnibus, etiam sine omnibus gratiis sanctificantibus,

a *Polydor. l. 8. Hist. Angl.*

tibus, & gratis datis, sine incrementi decrementique vicissitudine, immobilis perstat; ne si semel gubernantium auctoritas per mores aut dotes hominum quoquo modo varietur, illis magis magisque languescentibus, ad interitum vergat. Quis nesciat Petrum Apostolum plerisque successoribus sanctitate præstitisse? nec tamen idcirco Pastorali auctoritate & potestate præcelluit. Non enim ipsius, sed Dei instituentis, potestas & auctoritas fuit. *Sicut ergò permanet, quod in Christo Petrus credidit*, inquit S.Leo, *a, ita permanet, quod in Petro Christus instituit.* Cujus institutionis immobilis veritas facit, ut etiamnum *Petri in suâ sede vivat potestas, & præcellat auctoritas.* Nam adversùs hujusmodi, qui præfecturæ cujuscumque potestatem, ex hominum administrantium sanctitate, vel miraculorum virtute metiuntur, rectissimè dixit idem S.Pontifex: *Petri dignitas in indigno hærede non deficit. b*

Quamobrem ut illam perniciosam Principatibus opinionem Deus ex hominibus tolleret, illa sanitatum quarumdam beneficia, quæ miraris, etiam idololatris quibusdam Regibus conferre permisit, aut ipse contulit, quando hoc occultior ordo providentiæ postulavit. Nemo tamen istis, nisi fortè Arroyus, sublimiorem potestatem, quàm Christianis multis Regibus, attribuerit. Vespasianus *oculorum tabe notum, & manu ægrum* tetigit, *statimq; conversa ad usum manus, ac cæco*, Tacito ac Suetonio testibus *c, reluxit dies.* Quæ quãquam rectiùs geniorũ potestati tribuas, ut quę non magis, quàm Strumarum curatio à medicis descripta, & usu-

a *Leo serm. 2. in anniverf. die Assumpt.* b *Ibidem.*
c *Tacit. lib. 4. Hist. Sueton. in Vespas.*

& usitata, vires naturæ superaverint, nil mirum tamen fideique contrarium, si quis à Deo, Principum, *qui per ipsum imperant a*, potestatem decorante, mira illa profluxisse arbitretur. Novimus eum & *b* Infantibus exultationes, & *c* Deicidis, *d* Dæmonumque cultoribus veracissimas prophetias, & *e* Dæmonibus angelicas revelationes, & *f* Asinis dedisse humanas voces. Nihil ergò mirabile, si fortè per idololatras, nullâ falsitatis vel impietatis eorum attestatione, mirum aliquid extra ordinem perpetraverit. An fortè & asinis inter asinos tribues prærogativas alicujus potestatis? Perge porrò; nec istud enim abhorret ab ingenio tuo. Vidésne, homo inconsiderate, temerarias assertiones tuas ab omni parte præbere latus? Quòd si tandem aliquando perspicuæ percussus luce veritatis oculos aperueris, noli ad incrementum potestatis Regiæ, quasi absolutioris *sublimiorisque g*, de hac sanationum virtute gloriari. Prædica nobiscum illam, venerare illam, age gratias beneficentiæ Dei, non putidæ adulationis vel superbiæ zelo, *sed secundùm scientiam:* ne improvidâ tuâ temeritate ampliùs Regibus tuis noceas, quàm palpum obtrudendo profuisti.

a *Proverb.* 8. b *Luca* 1. c *Ioan.* 11. d *Num.* 23 & 24. e *Aug. lib.* 2. *de Gen. c.* 17. & *lib. de divin. dæmon.* f *Num.* 22.
b Plus souveraine.

## CAPUT XIV.

*Titulus*, Christianissimus, *nullam omninò regendi potestatem tribuit, nedum absolutissimam.*

AD tertium jam fulcrum absolutæ supremæque præ cæteris Regibus potestatis veniamus, titulum *Christianissimus*, ex quo illam certo

cer-

certiùs Arroyus *a* demonstrari putat. Ne verò in lubrico figat pedem, titulum illum, tamquam Regibus Franciæ maximè debitum, laboriosâ disputatione vindicare conatur. Quanto molimine, mi Arroye, quantas aranearum telas texis, minutissimis ludibrium volatilibus! Ecce, disputationis ergô, non repugno. Habe tibi titulum, *Christianissimus*, si vis, etiam *Sanctissimus*, & si quid ultrà. Nego vel hilũ superioris vel absolutioris inde potestatis vel auctoritatis accedere. Quis enim ita pingui Minervâ Theologiam doctus est, ita, inquam, supinus & crassus, qui nesciat, *Christianum* non esse titulum secularis auctoritatis aut potestatis? multò minùs, ut miserrimè deliras, belli causas efficere justiores? *Christus* unctum sonat, quia *unxit* eum *Deus oleo exultationis præ consortibus suis b*, hoc est, ut exponit Princeps Apostolorum, quia *unxit eum Deus Spiritu sancto & virtute c*. Hinc Christiani spiritum Christi, saltem credendo, participantes, Christum se sequi profitentur, hoc est, credendo saltem discipuli Christi fiũt, sicut Aristotelici, discipuli Aristotelis; Platonici, discipuli Platonis. Hoc sacer ipse textus indicat, quando dicit, quòd Antiochiæ cognominati sunt *discipuli Christiani d*. Ex quo fit, ut secundùm antiquorum usum etiam non baptizati, Christiani dicerentur, hoc ipso quòd in Christum crederent, & ejus discipulos se esse profiterentur. *Quæris*, inquit Augustinus *e*, *Paganus es, an Christianus? Respondet, Christianus: ovis est enim Dei. Quæris, ne fortè catechumenus sit, & irruat Sacramentis*; *respondet*, *Fidelis*, hoc est, baptizatus. Nam soli Christiani baptizati *Fideles* usu antiquo vocabantur, ut ex solo Augu-

 stino

a FOL. 18. 64. & 83.
b *Psal.* 44. c *Act.* 10. d *Act.* 11. e *Lib. de Pastor. c.* 13.

ſtino plurimis locis oſtendi poteſt. Unde Tractatu 44. in Ioann. de homine ſe profitente nec Iudæum, nec Paganum, ſed Chriſtianum: *Adhuc quæris ab eo, Catechumenus es; an Fidelis, &c. Quære ab eo, In quem credat? eo ipſo, quo catechumenus eſt, dicit, in Chriſtum.* Verùm ut diſcipuli Chriſti non ſolâ Fidei profeſſione, ſed etiam pleniore ſpiritûs Chriſti communicatione, fiant magiſtro ſimiles, Baptiſmo & Confirmatione unguntur. Spiritu ſancto, ſicut & Chriſtus unctus fuit: & hæc interior unctio, quæ verè perfecteque Chriſtianum facit, exteriori quoque unctione verticis adumbratur, frontis etiam efficitur. Unde Apoſtolus a: *Qui autem confirmat nos vobiſcum in Chriſto,* hoc eſt, in uncto, *& qui unxit nos Deus, qui & ſignavit nos, & dedit pignus Spiritûs in cordibus noſtris.* Spiritûs igitur unctio perfectos reddit Chriſtianos, quæ ſæculares dignitates ac præfecturas ut non deſtruit, ita nec tribuit; ut non minuit, ita nec auget. Propter ſalutem enim quiſque ſuam Chriſtianus eſt; propter alios poteſtate & auctoritate regendos, Rex, Imperator, Epiſcopus, Pontifex. Docet hæc præclariſſimè D. Auguſtinus, cujus unicâ ſententiolâ funditus interimitur, quidquid de Chriſtianiſſimo ineptiſſimè fabularis b: *Nos, quos in iſto loco, de quo periculoſa ratio redditur, Dominus conſtituit, habemus duo quadam: unum, quòd Chriſtiani ſumus, alterum, quòd Præpoſiti ſumus. Illud, quòd Chriſtiani ſumus, propter nos eſt; quòd autem Præpoſiti ſumus, propter vos eſt. In eo, quòd Chriſtiani ſumus, attenditur utilitas noſtra: in eo, quòd Præpoſiti, non niſi veſtra. Sunt autem multi Chriſtiani, & non Præpoſiti, qui perveniũt ad Deum faciliore fortaſſe itinere, & tantò fortè expeditiùs*



a 2. *Cor.* 1. b *Lib. de Paſt. c.* 1.

*ditiùs ambulantes, quantò minorem sarcinam portant. Nos autem, excepto quòd Christiani sumus, unde rationem reddemus Deo de vita nostra, sumus etiam Præpositi, unde rationem reddemus de dispensatione nostra.* Et in alio ad populum loquens loco a: *Quid debes esse tu cuicumque loquor vestrûm? Christianus, fidelis,* (id est baptizatus) *obediens: hoc tu propter te, hoc & ego propter me.* Et paulò antè: *Episcopi autem propter Christianos populos ordinamur.*

Viden', Christianum esse, nihil omninò conferre in alterum potestatis aut auctoritatis? nec Pontificiam ergo, nec Episcopalem, nec Regiam. Nisi omnes Christianos fieri velis, non mysticè, sed realiter Pontifices, Antistites, populorumque Reges. *Christianissimus* igitur salutem propriam Christiani respicit, dans illi fidem; &, si Baptismo & Confirmatione consecratus est, dans etiam Christi characterem, & Spiritum sanctum; &, si perfectus est, incensam in obediendo amandoque voluntatem, quâ fiat promptus ad profitendam, adeoque tuendam Christianam fidem. Sed juxta fidei Christianæ cardines, non dat ullam, nec datam auget regendi populi potestatem. Quò fit, ut quamvis baptizatus confirmatusque Christianus tantæ perfectionis fuerit, ut zelo Paulum superet, & miraculorum potestate montes transferat, nihil ampliùs solâ Christianissimi professione potestatis in populum, & politicæ auctoritatis accipiat, quàm abjectissimus quisque de plebe Christianus. Sit igitur fide baptismoque Christi *Christianus*; sit fide, caritate, zelo crescente *Christianior*; sit fidei propagandæ tuendæque volũtate *Christianissimus*, sive miles ille fuerit, sive

 Senator,

a *Libro de gestis cum Emerito.*

Senator, ſive Rex Franciæ, ſive Imperator, hoc ipſo nec minimùm quidem in regendi poteſtate atque auctoritate ſuperat Chriſtianum. Aliunde illa poteſtas datur, aliunde creſcit, aliunde culmen eminentiſſimum auctoritatis & majeſtatis adipiſcitur. Nimiùm à Chriſtianæ tramine veritatis exorbitat, quiſquis ex Chriſtianiſſimi profeſſione, hoc eſt, ex ipsâ etiam integerrimâ Chriſtiani nominis conditione; multoque enormiùs, ex titulo *Chriſtianiſsimi*, quæ ſæpè eſt umbra ſine corpore, ſupremam abſolutiſſimamq; nititur ultra omnes Monarchas ſtabilire poteſtatem. Hippocrati verò tradendus eſt, quiſquis bellorum injuſtitiam, quibus Europa perturbatur, & opprimitur Chriſti fides, *Chriſtianiſsimi* phaleris populo & militibus colorare, ac purgare contendit. Cernis igitur, quàm inaniter vires tuas triveris? Ne tamen aliquid magni te feciſſe putes, ſolis Franciæ Regibus præ cæteris titulum illum adſerendo, videamus, quibus fundamentis illa nitatur ædificii moles.

## CAPVT XV.

*Vnctio non tribuit Regibus Franciæ præ cæteris titulum* Chriſtianiſſimi, *nec Sacerdotium.*

DVobus ex capitibus titulum illum eminenter eos mereri, & ab eis poſſideri, probas ex charactere, præclariſque facinoribus.

Perfectio characteris Regum Franciæ in eo ſita eſt, inquis [a], *quòd ultra characterem baptiſmalem, quem*

[a] FOL. 54. Ie trouve la perfection de leur charactere en ce, qu'outre l'onction qu'ils recoivent au bapteſme, comme leurs ſujets, ils en prennent un autre en leur couronnement, qui leur donne la vraye auctorité royale, le ſacerdoce, & la grace vivifiante.

FOL. 58. Les Roys de France ont une eſpece de conſecration Sacerdotale, puis qu'ils ſont mediateurs du peuple & du Clergé par l'onction.

*quem cum subditis communem habent, alium accipiunt in coronatione suâ, qui tribuit eis veram auctoritatem Regiam, Sacerdotium:* quam infrà vocas *speciem consecrationis sacerdotalis, & gratiam vivificantem.* Portenta audio novæ Theologiæ: quæ multò satius esset censoriâ Sorbonæ severitate, quàm cujusquam Theologi disputatione, conteri. Jugulavit illa nuper salubri consilio per Censuram, & eruditissimos Doctores suos, Petrum Aurelium & Franc. Halier, eos, qui baptismalem unctionem in locum Confirmationis obtrudere, & ei penè æquare voluerunt. Sed quantò justiùs eorum zelus ac stylus in adulatores illos Regiæ potestatis inardesceret, qui Regum unctionem Sacramentis Christianis inferre & præferre moliuntur? Quod enim tandem est in Ecclesia Christi Sacramentum, quod simul & *characterem* imprimat, *& veram Regis auctoritatem, & gratiam vivificantem, & Sacerdotium, speciemque consecrationis sacerdotalis* tribuat? & quid amplius in Sacramentis Ecclesiæ postulaveris? Hæc verò in Ecclesia Christi ob oculos omnium doceri, librisque spargi, omnibus ad tantum probrum conticentibus, ne fortè displiceant eis, qui talibus crepundiis milites ad illa funesta Christianę fidei bella concitari gratulantur, quis probus æquanimiter ferat? Homo miserabilis, unctio Regum nec characterem imprimit, nec gratiam vivificantem, aut Regiam auctoritatem tribuit; quæ jam suprà satis egimus: nec sacerdotium, ullamque speciem consecrationis sacerdotalis confert. Ecclesia Christi nullam novit speciem consecrationis sacerdotalis, nisi quâ vel simplex Sacerdos, vel princeps Sacerdotum Episcopus consecratur; nullum Sacerdotium,

nisi unicum, quo incruenta victima Corporis & Sanguinis Domini immolatur Deo. Hoc verò Regum unctionibus assignari sine damnato errore non potest. Quid verbis indisciplinatis uteris, ut errores instilles rudioribus? Sacerdotium impropriè dictum, quo victimæ bonorum operum offeruntur Deo, neque confertur Regibus in coronatione sua, neque solis illis competit, sed omnibus perinde bonis Christianis; neque Sacerdotium simpliciter vocandum est, nisi fortè ab hæreticis, sed cum illa restrictione atq; cautione, quâ S. Petrus loquitur, & nos loqui docuit *a*, *Sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias.*

Quòd verò errores tuos ex orationibus, quas inter sacrandum fundit Pontifex, probari putas, toto cælo falleris. Non est vel apex unus, ex quo characterem eis, aut sacerdotium tribui, vel tardissimus Theologiæ tyro arbitretur. Nam quòd ibi mentio fiat Aaronis, & unctionis ejus, quis nisi delirus ad sacerdotii collationem rapiat? An Reges secundùm ordinem Aaron ad mactandos boves, animal scilicet sine fraude doloque, Sacerdotes fieri somniasti? Ipse textus orationis explicat, quid sibi velit, sicut ipse retulisti *b*: *Vt imitetur in servitio Dei Aaronis exempla*, hoc est, ut in colendo Deo imitetur pietatem ejus. Quid hoc ad collationem sacerdotii? Quid item illud, quòd monetur jam inunctus, adeoque coronatus Rex, quando in throno collocandus est? *Quantò Clerum sacris altaribus propinquiorem perspicis, tantò ei potiorem in locis congruis honorem impendere memineris; quatenus mediator Dei & hominum, te mediatorem*

a 1. Petri 2.

b ce que imite au service de Dieu les exemples d'Aaron.

*torem Cleri, & plebis permanere faciat.* Quasi verò non possit Rex permanere mediator, hoc est medius inter Clerum & populum, nihil sibi honoris Clericalis aut Episcopalis arrogans, sed Clero honorem, tamquam sacris altaribus, ipsique numini propinquiori impendens, nisi sacerdotium ei conferatur; vel sacerdotium necessarium sit, ut inter utrumque mediator esse queat. Et cùm tam dextrè illusisses imperitis, quasi re confectâ concludis a: *totum istud in titulo, Christianissimus, comprehenditur: qui significat unctum præ omnibus Christianis*: nimirum, ut *Christianissimus*, quem inter Clerum & populum mediatorem constitueras, jam super omnes, & Sacerdotes, & Antistites, & summos Pontifices, unctus esse credatur. Nam & illos per Dei gratiam Christianos esse puto. En quò prorumpit putida vappæ istius assentatio.

a FOL. 58. Tout cela se trouve au titre de Tres-Chrestien, qui signifie oint par dessus tous les autres Chrestiens.

## CAPUT XVI.

### *Gesta Clodovæi utrùm titulum* Christianissimus *pepererint.*

TRansis igitur ad alterum istius tituli fundamentum, præclarè gesta, propter quæ Regibus Franciæ præ cæteris meritò debeatur. Magna esse Regum Francorum merita in Ecclesiam nemo prudens diffitetur. Addere possumus eis, quæ recensuisti; possumus & detrahere. Nam, ut numerum tantùm, vel certè fucum faceres, sine delectu in chartam conjicis, quidquid in mentem ac buccam venit. Quod si, quàm brevissimè

fieri poteſt, declaravero, nolim quemquam exſtimare, me alio ſpiritu in hac re duci, quàm veritatis, quam ipſi Francorum Scriptores litteris teſtatam reliquerunt.

Et Primò quidem inter præclarè geſta, quibus iſte titulus comparatus eſt, ponis, quòd Clodovæus *baptizatus & unctus*, ut inquis *a*, *ſe Chriſti* (hoc eſt uncti) *injurias vindicaturum proteſtatus eſt*. Falleris. Clodovæus adhuc tum erat catechumenus. Cùm enim ei S. Remigius Dominicæ paſſionis modum recitaſſet, Rex ait illi: *Si ego cum Francis meis inibi adfuiſſem, ejus injurias vindicaſſem*. Et poſtea ſubjungitur ab Aimoino *b* baptiſmus ejus. Quam Clodovæi vocem ſi ſanctus Auguſtinus audiviſſet, reſpondiſſet ei fortaſſis id, quod cæco, peccatores non exaudiri putanti, reſpondit *c*: *Adhuc inunctus* (id eſt, non unctus, ſeu catechumenus, nondum illuminatus) *loquitur*. Zelum enim habuit, ſed non ſecundùm ſcientiam; qualem Petrus, cùm percuteret in gladio.

Addis *d*: *Fugavit Gothos Arianos*. Rectè. Dicat cauſam Gregorius Turonenſis *e*: *Valdè moleſtè fero*, inquiebat Clodovæus, *quòd hi Ariani partem Regni teneant Galliarum. Eamus cum Dei adjutorio, & ſuperatis*, REDIGAMVS TERRAM IN DITIONEM NOSTRAM. Ita zelus Chriſtianæ fidei militabat ambitioni. Quantus nunc iret clamor cœlo, ſi quis amicum Clodovæi ſucceſſoribus Regem, titulo diverſæ religionis, vel cujuſcumque prætextæ injuriæ, ſceptro exueret! Nam Gothi tantò juſtiùs Gallias obtinebant, quantò Francis poſſeſ-

ſione

a FOL. 59. Clouis eſtant baptiſé & oinct proteſte qu'il vengera les injures faictes à IESV-CHRIST.

b *Aimoin. lib.* 1 *c.* 16. c *Tract.* 44. *in Ioan.*

d FOL. 59. Il chaſſa les Gots Arieus.

e *Lib.* 2. *cap.* 34.

ſione priores, jureque potiores. Quid contra Gothos eum excitaverit, probant geſta adversùs Sigebertum, cujus filium cùm pollicitationibus feciſſet parricidam, ipſum per ſubornatos *a, bipenni cerebro illisâ*, interfecit, & Regno ejus potitus eſt. Probant geſta contra Chararicum, quem, quia ſibi cōtra Siagrium ſuppetias ferre recuſaſſet *b, circumventum dolis cepit cum filio*, eoſque priùs tonſos ritu Monachorum, ne fortè capilli rurſum creſcerent, *juſsit pariter capite plecti. Quibus mortuis Regnum eorum cum theſauris & populis acquiſivit*. Probant geſta adversùs Regnacarium & Ricarium fratres, Reges Cameraci, conſanguineos ejus: qui cùm prælio victi ſe captivos dedidiſſent Clodovæo, illum, quòd ſe capi ſiviſſet; hunc, quòd fratrem non adjuviſſet, ipſemet ludibundus, *c elevatam ſecurim capitibus defigendo*, interfecit. Probant geſta contra Rignomerin conſanguineum, fratrem iſtorum quos interemerat. Nam, ut Gregorius *d, Frater eorum Rignomeris nomine apud Cenomaniam civitatem ex juſſu Clodovai interfectus eſt. Quibus mortuis*, quod caput rei eſt, totiuſque zeli ſcopus, *omne Regnum eorum, & theſauros Clodovaus accepit*. Probant geſta *adversùs alios multos Reges vel parentes ſuos primos*, quibus pomeria Regni ejus arctabantur: quibus *interfectis e*, utpote *de quibus zelum habebat, ne ei Regnum auferrent, Regnum ſuum per totas Gallias dilatavit*. Probat animus ille, ex quo, conſanguineis interfectis, jam ſcilicet pœnitēs querebatur *f? Væ mihi, qui tamquam peregrinus inter extraneos remanſi, & non habeo de parentibus, qui mihi, ſi venerit adverſitas, poſsit aliquid adjuvare*. Nam, ut teſta-



*Gregorius Turon lib. 2. cap. 40.* b *Idem c 41.* c *Idem c. 42.* d *Ibidem.* e *Ibidem.* f *Ibidem.*

tur S.Gregor. Episcopus Turonensis, *a hoc non de morte eorum condolens, sed dolo dicebat, si fortè potuisset adhuc aliquem reperire, ut interficeret.* Quæ tam enormia & Ottomannica visa sunt Stephano Pascasio, in primis Galliæ erudito, ut, cùm declarasset, illos innocentes fuisse, nullamque invadendi causam fuisse Clodovæo, sed potiùs gratulandi, quòd sibi suppetias tulissent, indignatus exclamet *b: Barbara profectò crudelitas, indignaque Christiano, quâ miserorum istorum Principum terras occupavit. Quo fit, ut penè credam, quando suscepto baptismo factus est Catholicus, non Arianus, plus ei mundanæ adfuisse sapientiæ, quàm religionis.* Et paulò pòst: *Prudentius isto non potuit ab eo consilium capi juxta regulas hujus mundi, ad conservandum statum suum* (quàm scilicet interficiendo suos consanguineos) *si ex Machiavelli & sectatorum ejus placitis loqui velis.* Et post omnes, consideratis ex sancto Gregorio facinoribus istis, Scipio du Plaix dicit *c*, Clodovæum fuisse quidem *religiosum, sed egregiè politicum, ambitiosum, invidum, iracundum, vindictæ cupidum, sanguinarium.* Quæ epitheta præclarè cum primo elogio, hoc est, cum *religioso*, & Christi Religionem profitente, concinunt. Ecce qualem quantumque virum

a *Ibidem.*

b *Estienne Paschier lib. 5. cap. 1. des Recherches.*

Cruautéz certes barbaresques, & indignes d'un Chrestien, par le moyen desquelles il s'impatroniza d'un peu de pais, que ces pauvres Roys possedoient. Chose qui me fait presque croire, que quand recevant le S. Sacrament de Baptesme, il se fit Catholique, & non Arien, il y avoit en luy plus de sagesse mondaine, que de la devotion.

Plus grand & sage conseil ne pouvoit estre par luy pris selon le monde, pour la conservation de son estat, que celtuy, si vous en parlez en Machiavel & ses escoliers.

c Il estoit grand politique, quoy qu'il fust ambitieux, envieux, cholere, vindicatif & sanguinaire. EN LA VIE DE CLOTAIRE.

rum in aciei fronte collocasti, ut *Christianissimi* titulum cæteris præriperet.

## CAPUT XVII.

### *Gesta Clotharii, & Clodoardi.*

DE Clodoardo quod adjungis, nihil ad rem, quam agis de Franciæ Regibus, tituloque *Christianissimi*, facit. Non enim Rex, sed incisis capillis à tenera ætate Clericus, & postea Presbyter Parisiensis fuit.

Clotharium igitur videamus, dignissimum Clodovæo patre filium, quem eorum numero accenses, qui præclaris facinoribus suis titulum *Christianissimi* sibi meruerunt. Itáne verò Arroye, Clotharium? *Num & Saul inter Prophetas a?* Si non nosti rei veritatem, ubi est mens tua? si nosti, ubi frons tua? Quod enim Clothario crudelius, luxuriosius, incestuosius monstrum dabis? Gloriæ Francorum amantissimus S. Gregorius Turonensis, ejus penè contemporaneus, me vindicabit à calumnia. Accipe simplicem synceramque rei historiam, nullâ falsi admistione, nullâ veri exaggeratione adulteratam. Frater Clotharii Clodomeris, Rex Aurelianensis, tres habuit filios, quorum primogenitus necdum decimum ætatis annum attigerat. Cùm eos Clotharius & Childebertus, fratres, primùm Burgundiæ parte frustrassent, quam eodem jure, quo Clodovæus vicina quæque, subjugaverant, in interitum conspirant innocentium parvulorum, ut contra omne jus & fas eorum Regno potirentur. *b Miserunt itaque ad Reginam,*

 ipsis-

a 1. Reg. 10. b *Greg. lib. 3. c. 18.*

ipsissimam matrem suam Clothildem, *dicentes: Dirige parvulos ad nos, ut sublimentur in Regno. At illa gavisa, nesciens dolum illorum, dato pueris esu potuque, direxit eos, dicens: Non puto me amisisse filium, si vos videam in ejus Regno substitui. Qui abeuntes apprehensi sunt statim. Tunc Childebertus atque Clotharius miserunt Arcadium ad Reginam, cum forcipe atque evaginato gladio; qui veniens ostendit Reginæ utraque, dicens: Voluntatem tuam, ô gloriosissima Regina, filii tui domini nostri expetunt, Quid de pueris agendum censeas, utrùm incisis crinibus eos vivere jubeas, an utrumque jugulari. At illa exterrita nuntio, & nimiùm felle commota, præcipuè cùm gladium cerneret evaginatum, ac forcipem, amaritudine præventa, ignorans in ipso dolore quid diceret, ait simpliciter: Satius enim mihi est, si ad Regnum non eriguntur, mortuos eos videre, quàm tonsos* ad Monachatum. *Nec mora, apprehensam Clotharius puerum seniorem brachio elisit in terram, defigensque cultrum in axillam crudeliter interfecit. Quo vociferante, frater ejus ad pedes Childeberti prosternitur, apprehensisque ejus genibus, ajebat cum lacrymis: Succurre, piissime pater, ne & ego peream, sicut frater meus. Tunc Childebertus lacrymis respersâ facie, ait: Rogo, dulcissime frater, ut ejus mihi vitam tuâ largitate concedas, & quæ jusseris pro ejus anima conferam, tantùm ne interficiatur. At ille furore actus, ait: Aut ejice eum à te, aut certè pro eo morieris. Tu, inquit, es inceptator hujus causæ, & tam velociter de fide resilis? Hæc ille audiens, repulsum à se puerum projecit ad eum: ipse verò accipiens, transfixum cultro in latere, sicut fratrem priùs fecerat, jugulavit. Deinde pueros cum nutritiis peremerunt. Tertium verò Clodoaldum comprehendere non potuerunt, quia per auxilium virorum fortium liberatus est.*

*est. Hi quoque Regnum Chlodomeris* ( id est, fratris sui, cujus liberos trucidaverant ) *inter se æquâ lance diviserunt.*

Hæc parricidia cùm tam feliciter successissent, aliud non minùs detestandum adversùs alium nepotem, filium Theodorici, fratris sui, tẽtaverunt. *Consurgentes enim*, inquit Gregorius *a*, *Childericus & Clotharius contra Theodobertum, Regnum ejus auferre voluerunt; sed ille muneribus placatis à leonibus suis defẽsatus est, & in Regno stabilitus.* Audi tertium. Cùm ejus filius Chramnus patri rebellasset, prælio victum, jussit Clotharius non ipsum solùm, sed unà *b cum uxore & filiabus igne consumi: inclususque in tugurio cujusdam pauperculæ Chramnus, super scamnum extensus, orario sugillatus est: & sic postea super eos incensâ casulâ, cum uxore & filiabus interiit.*

Prætereo Edictum ejus adversùs libertatem Ecclesiasticam: *indixerat* enim *Clotharius Rex*, inquiunt Gregorius *c* & Aimoinus *d*, *ut omnes Ecclesiæ Regni sui tertiam partem fructuum fisco dissolverent.* Sed cùm Injuriosus Episcopus generosè subscribere detrectaret, Regemq; terrendo, diceret: *e Si volueris res Dei tollere, Dominus Regnum tuum velociter auferet, quia iniquum est, ut pauperes quos tuo debes alere horreo, ab eorum stipe tua horrea repleantur*; territus tantâ libertate, *virtute beati Martini*, Edictum revocavit.

Libidines ejus nefandas, incestasque nuptias quis non Christianus detestetur? *Cùm esset nimiùm luxuriosus*, inquit Gregorius *f*, primò *uxorem fratris sui Chlodomeris*, cujus filios crudelissimè ab eo occisos *g* vidimus, *Gunthecam non ine*

D 7 *sibi*

a *Lib* 3. *c* 23. b *Idem l* 4 *c*. 20. c *Greg. lib*. 4. *c*. 2. d *Aimoin. lib*. 3. *c*. 27. e *Gregor. ibid.* f *Lib*. 4. *cap*. 3. g *Lib*. 3. *cap*. 6.

*ſibi in matrimonium ſociavit.* Secundò *Vuldotradam a, uxorem Theodualdi*, pronepotis ſui, *copulavit ſtrato ſuo.* Tertiò *Radegundem, cujus fratrem poſtea injuſtè per homines iniquos occidit:* eamque ſexennio pòſt repudiavit. Quartò, cùm Ingundem *b* conjugem accepiſſet, illaque rogaſſet virum ſuum, ut ſororem ſuam Aregundem nobili viro collocaret, eam ipſam ſibi ſociavit matrimonio, reſpondens Ingundi adhuc viventi, & uxori ſuæ: *Requirens virum divitem, atque ſapientem, quem tua ſorori deberem adjungere, nihil melius, quàm meipſum inveni. Itaque noveris, quia eam conjugem accepi.*

Habes parricidia, libidines, inceſtus, quibus Turcica palmam deferant. Et non erubeſcis, Arroye, talia Chriſtianæ religionis probra proferre, quæ trophæum tituli, *Chriſtianiſsimus*, præclaris ſuis facinoribus pepererint? Etenim ne quidquam à me exaggerari putes, audi Scriptorem Gallum, gloriæ Gallicanæ perquàm ſtudioſum; qui cùm barbara illa ſcelera Clodovæi, Childeberti, & Clotharij retuliſſet, *Vidiſti*, inquit, *c*, *in hiſtoriis umquam geſtarum rerum tam atrocium ſeriem?* Et aliquantò pòſt: *Clotharius ille eſt, qui cùm nullum in anima ſua Deum agnoſceret, quàm effrenes affectus ſuos, omnes habenas laxavit inceſtuoſis libidinibus ſuis, falſò nomine matrimonii palliatis*, &c. *Quis umquam vidit vitam tot inceſtuum impudentiâ flagitioſam, vel Principem, qui tantâ cum licentiâ ſancto matrimonii nomine abuſus fuerit? Et non*

*con-*

a *Lib 4.cap.9.* b *Lib.4.c.3.*

c ESTIENNE PASQ. LIB. 10. CHAP. 1. DES RECHER. Viſtes vous jamais en Hiſtoire une ſuite & liaiſon d'actes ſi inhumains, que ceux-cy?

ET PLVS BAS: C'eſt celuy, qui pour n'avoir autre Dieu en ſon ame, que ſes deſordonnées volontez, laſcha tout bride à ſes paillardiſes inceſtueuſes. les reveſtans d'un faulx manteau de mariage, &c.

Viſt-on jamais tant d'inceſtes eshontement desbordéz, ny Prince, qui ſi licentieuſement abuſaſt du ſacré nom du mariage que ceſtuy? Et non content de ces beaux traicts, il les vouluſt couronner d'une cruauté barbareſque.

*contentus præclaris istis facinoribus, barbaricâ crudelitate fastigium eis imponere voluit.* Et mox, cùm retulisset vivicomburium innocentis uxoris, & filiarum parvularum innocentium, quas unà cum rebelli filio suo interfecerat, *In universis,* inquit *a, antiquorum historiis non invenietis tam execrabile supplicium, quàm istud fuit.* Tu verò satis, ut videtur, esse putas, ut, quibuscumque libidinibus & sceleribus Rex contaminatus fuerit, dummodò pœniteat eum in mortis limine constitutum, hâc solâ pœnitentiâ, *Christianissimi* titulum sibi posterisque mercatur. Nam præclarè gestarum rerum loco profers *b*, quòd in fine *cum signis veri Christiani eum pœnituerit.* O ineptiæ cæcitatem! Cur non ergò Reges illos primæ stirpis postremos, qui sub Palatii moderatoribus Franciæ sceptra tenuerunt, Dagobertum, Danielem monachum, aliàs Chilpericum, Theodoricum, Childericum, illosque, qui, *Nihil-fecisse c, prænomen sortiti sunt*, eorum accenses numero, qui nomen *Christianissimi* pepererint posteris suis? Nam neq; vitæ tot scelerum atrocitate maculatę, neque impœnitentis desperatæque mortis monumenta reliquerunt. Sed, quemadmodum quodam loco sanctus Augustinus ait *d*, *Puto esse satius, cujuslibet inertiæ pœnas luere, quàm illorum armorum gloriam quærere*: ita longè satius & Christianius est, nihil horrendorum scelerum istorum perpetrasse, quàm ea perpetrata qualicumque delere pœnitentiâ; vel cujuscumq; ignaviæ labe aspersum vivere, quàm crudelissi-

a ET PLVS BAS: En toute l'ancienneté vous ne trouverez une punition si execrable, que ceste-cy.
b FOL 60. Meurt avec des grandes contritions & tesmoignage d'un vray Chret. a.
c *Ludovic. Carolomanni filius apud Aimoin, lib. 5. c. 41.*
d *Lib. 3. de Civit. c. 14.*

lissimæ luxuriosissimæque strenuitatis gloriâ celebrari. Sed fumo secularium cogitationum ebrius nil nisi mundanum fastum admiraris; imperii dilatationes, acies, prælia, victorias quamvis injustissimas, hoc est, ut Augustinus, *magna latrocinia*; quæ tibi statim nominis *Christianissimi* penè præclara merita videntur.

## CAPUT XVIII.

### *Gesta Dagoberti.*

GRadum deinceps ad Dagobertum promoves, qui titulum illum præclarè gestis promeruerit, quia *zelosus*, inquis [a], *pro Ecclesia, sancti Dionysii ædem strui fecit.* Titulum istum pro illius ædis structura datum esse, non arbitror mentem Francorum esse, vel Pontificum, quibus illum acceptum referunt. Nam quamvis reverâ populum suum in Regni exordiis justè moderatus fuerit, si tamen effrenem in vitâ reliquâ licentiam in statera ponderaveris, quasi arena maris, istius ędis ædificatione, & zelo in ornandis Ecclesiis, hæc gravior apparebit. Adolescentulus institutorē suum [b] *Sadregrisilum, clarissimum virum, à patre designatum Aquitaniæ Præfectum, loris cecidit, &, ut barbam more ejus ætatis aluerat, totondit*; eò quòd non, quàm reverenter filium Regis oporteret, se ab eo observari existimaret. Vivente adhuc patre Clothario, Chrodoaldum sine formâ juris, quamvis intercederet pro vita ejus Dagoberti pater, & quasi veniam impetrasset, jussit interfici: [c] *cui Bertherius*

a FOL. 60. Dagobert zelé pour l'Eglise, fit bastir S. Denis en France.
b *Paul. Æmil. lib. 1.* c *Idem. Fredegar. cap. 52.*

*tharius evaginato gladio ad ostium cubiculi caput truncavit.* Mortuo patre nactus imperium, & quodam die, *a priusquam lucesceret, balneum ingrediens, Brudulphum avunculum fratris Ariberti interficere jussit, qui ab Amalgario & Arneberto Ducibus, & VVellibaldo interfectus est.* Ejusdem Ariberti filius Chilpericus, nepos Dagoberti, *b factione ipsius fertur fuisse interfectus.* Itaque *protinus Regnum Ariberti unà cum Vasconia Dagobertus suæ ditioni redegit.* Quod facinus detestabile recentior Scriptor *c* Franciæ ex ambitione regnandi à Dagoberto perpetratum esse dicit, eò quòd fratricidium non successisset.

Morum tantâ fuit incontinentiâ, ut libidinibus Clothario non multùm cederet. *d Gomatrudem Reginam, eò quòd esset sterilis, repudiavit. Nanthildem puellam à monasterio raptam in matrimonium sibi junxit*: cui deinde aliam superaddidit, *Rangetrudem* nomine. Denique oblitus omnis honestatis ac timoris Dei, *e non solùm Ecclesiarum, verùm etiam quorumque locupletum inhians rebus*, inquit Aimoinus, *improbus effectus est prædo. Nam inter alia Ecclesiarum Galliæ spolia, ex occasione Basilicæ D. Dionysii exornandæ, direptas valvas, fusili ære fabrefactas, à templo S. Hilarii Pictaviensis fertur abstulisse.* Ecce quàm Christiana fuerit habita molis Dionysianæ machinatio, quâ titulum *Christianissimi* promeritum putas. Sed pergit Aimoinus *f*: *Luxuriæ tam effrenatæ se tradidit, ut, exceptis tribus, quæ cum nomine, cultu etiam fulciebantur regio, plurimus concubinarum ei obsequeretur numerus.* Exactiùs rem tradit Fredegarius *g*: *Luxuriæ supra modum deditus. nam tres habebat maximè ad instar*

*Reginas,*

a *Fredegar, c. 58. Aimoin. lib. 4. c. 19.* b *Ibid cap. 23. & Fredegar. c. 68.* c *Scipion du Plaix.* d *Aimoin. lib 4. c. 19.* e *Ibid. cap. 20.* f *Ibid.* g *Fredegar, c. 60.*

*Reginas, & plurimas concubinas. Reginæ verò hæ fuerunt, Nanthildis,* ex monasterio rapta, *Vulfgundis, & Berchildis. Nomina concubinarum, eò quòd plures fuissent, increvit huic Chronico inseri.* Idem Franciæ Historicus, quem suprà memoravi, tantum earum numerum fuisse testatur, *ut pluribus Palatiis implendis fuisset satis a.* Quam ob causam cùm S. Amandus Antistes eum reprehenderet, Episcopatu pulsus, & in exilium relegatus est.

Miseret me profectò tui, Arroye, scriptor si quis uspiam gentium miserabilis, qui talibus tituli *Christianissimi* fundatoribus gloriari voluisti. Quantò satius tibi fuisset totam primam Regum tuorum familiam penitùs supprimere, quorum decem aut undecim postremos vestri Scriptores prorsus à majoribus degenerasse profitentur, plerosque ceteros adhuc barbaricam paganismi Germanici redoluisse feritatem. Et reverâ si veritatem sine fuco loqui liceat, rem acu tetigêre. Horrent Historici facinorum & parricidiorum immanitatem attingere, quibus Regii sanguinis proceres ad multos annos in se mutuò sævierunt. Quam ob causam etiam Deus Regnum ab eorum prosapia videtur transtulisse. Accipe eumdem illum scriptorem sine involucris veraciter confitentem id quod res est b: *Si fas est scrutari arcanas causas, cur Deus Reges illos depresserit; & divinam providentiam ingredi liceat, arbitror oraculum istud, quo dicitur: Virum sanguinum & dolosum abominabitur Dominus; &, Visitabit peccata patrum in tertiam & quartam generationem, punivisse crimina majorum in*

a Qu'il y en avoit assez pour remplir plusieurs Serrails.
b DU PLAIX EN CHILDERIC TROISIESME: I'estime que l'oracle qui Porte, que Dieu aura en abomination, &c. ayant en horreur les parricides & Parjures, dont aucuns Roys & Princes successeurs de Clouis souillerent leurs mains, & leurs consciences, punist leurs crimes en leur posterité.

*in posteris : quandoquidem Deus exhorrescat parricidia & perjuria, quibus nonnulli Reges & Principes, successores Clodovæi, fœdarunt manus & conscientias suas.*

In secundâ ad tertiâ Regum stirpe, Carolina atque Capetianâ, nonnulli sunt, à quibus Apostolicæ Sedis dignitas præclarè, libertasque defensa est, Pipinus præcipuè, & Carolus Magnus, filius ejus: sed privatæ rei studium non hîc egisse in primis partes suas, & Religionis nomine firmandæ novorum hominum auctoritati non esse velificatum, quis ausit polliceri? Probè noverat Pipinus, se nullo jure thronum Regium conscendisse, sed, ut Galli sentiunt, qui non audent auctoritatem exauctorandi Reges populo aut proceribus dare, sceptrum ex legitimi hæredis manibus ambitu rapuisse; ut nos post Reginonem & Annales Francorum loquimur, per a *mandatum* & *auctoritatem Apostolicam* accepisse, quæ Gallos à fidelitatis jurejurando liberavit. Sed utcumque se res habeat, quid poterat Pipinus, & omnis posteritas ejus, nisi summam devotionem erga defensionem Sedis illius profiteri, cujus auctoritas injuriam Merovingiis irrogatam populorum animis eximebat, aut tegebat? Cujus unum fulmen, una calami strictura plures ei adversarios ciere poterat, quàm cum omni fortunâ suâ debellare potuisset. Hinc illa humillima Pipini legatio ad Pontificem, quâ per Episcopum VVirsburgẽsem pericula Christiani orbis exaggerat, nisi Pipino sceptrum deferatur. Hinc illa pathetica ad Pontificem obtestatio: hinc illa pollicitatio, quòd b *uno ex edicto, solvendisq; jurisjurandi religione Francis, plus apud*

a *In Chronicis.* b *Paul. Æmilius.*

*apud mortales immortalesque gloria inventurus esset, quàm inter mortales ex impietate victa Martellus reportaverat.* Hæc publica erat Legatorum oratio: sed, ut optimè notavit Scriptor *a* iste Galliæ crudítus, secreta in aurem instructio erat: *Si Pontifex Pipini placitis faveret, de defensione contra hostes suos, præsertimq; Longobardos, securum esse posse. Quam ob causam etiam Pontifex libenter assensus est omnibus postulatis ejus.*

Ex quibus perspicuum est, vinum Pipini fuisse mistum aquæ, argentum scoriis, devotionem cupiditati; vel, quod deterius, Apostolicæ Sedis devotionem propriæ auctoritati firmandæ militasse. Nam, ut erat homo minimè rerum civilium imperitus, facilè pervidebat, serem tantam non sine gravissimo discrimine effectam dare posse; quam Carolus Martellus pater ejus, tot victoriis inclytus & formidabilis, ne tentare quidem ausus fuerat. Paulus Æmilius id, quod res erat, apertè prodit *b*: *Vt animi mortalium proni in spem maximarum rerum sunt, Regium nomen non dissimulanter affectare* ( Pipinus ) &c. *Vna ea res Pipinum deterrebat, quòd Regium nomen, in quocumque ac qualicumque foret, sanctum augustumque semper fuerat. Quemnam tanta cervicis, tamque sublimi vertice inveniri posse, qui de Regno transferendo à magni Clodovei stirpe verba facere audeat? Nimirum hanc tantam, tamque novi exempli rem alibi tentandam esse, quàm in Francia, quæ sacramento Regi dicto devincta religione teneretur. Vbi autem meliùs, quàm in urbe Roma, tunc virtutis sanctitatisque seminario, rationem*

a DV PLAIX: Mais le mot à l'oreille estoit, qu'en favorissant les desseins de Pepin, il s'asseurast aussi, qu'il le defendroit de ses ennemis, & mesme contre les Lombars. C'est pourquoy aussi le Pape entendist volontiers à tout ca, qu'ils desiroient de luy.

b Paul. Æmil.

*rationem virtutis haberi posse? quam unam umbra Regis, imaginarioq; sceptro, ac stupido Childerico statuebat opponendam.* Judicent nunc, quotquot publicarum rerum gubernaculum tenent, & inexspectatas istius oceani periculosasque procellas norunt, quæ in tali sceptrorum translatione subito ventorum flatu concitantur, uter utri magis necessarius fuerit, Pontifici Pipinus, an Pipino Pontifex; uter utri plus contulerit beneficii, Apostolicæ Sedi Pipinus armis suis, an Apostolica Sedes Pipino auctoritate suâ: quæ quemadmodum jurisjurandi dispensatione à Childerico subditorum animos avellebat, ita quosvis adversantium motus calculi sui adstipulatione compescebat. Hinc enim & anathematis diras in eos torsit, qui alium in posterum Regem, quàm ex Pipini prosapia, sibi deligerent. Hoc scio, longè sanctiùs Pontificem dispensationem illam concessisse, quàm Pipinum petiisse; longè puriùs illum Apostolicæ Sedis defensionem admisisse, quàm hunc obtulisse. Quâ in re sicut devotio erga Sedem Apostolicam nonnihil ministra ambitionis fuit, ita, nisi arma vitamq; suam illi tuendę devovisset Pipinus, ac tota posteritas ejus, ambitus magnitudinem ingratitudo superasset. Quòd ergo Sedes Apostolica à Carolinis maximè defensa est, itemque à Capetianis extorta Saracenis Palæstina, vexillaque Christiana per Orientem circumlata? hæc nimirum propriè illa gesta sunt, quibus prudentiores Franci titulum *Christianissimi* acceptum ferunt; non illa, quæ tu etiam in nonnullis secundæ ac tertiæ stirpis Regibus insulsè crepas.

## CAPVT XIX.

*Gesta Lotharii & Ludovici Quinti, quibus, auctore Arroyo, titulus* Christianissimi *comparatus est.*

NAm quis sine risu legat, quòd Lotharium, filium Ludovici Pii, tamquam Herculem aliquem objicis, qui suis meritis *Christianissimi* titulum Franciæ Regibus asseruerit? nimirum, quia monachatum arripuit anno postremo vitæ suæ. Itáne ex monachatu Imperatoris Germanici titulum Regum Franciæ derivabis *a*? Nam Lotharius numquam Rex Franciæ, sed, Carolo Calvo ejus fratre Regnum istud moderante, Imperator dumtaxat fuit. Quid, quòd Lotharius, testibus ipsis Galliæ Scriptoribus, inter corruptissimos Principes, quos Francia umquam tulit, referri mereatur? Longa historia est, & facinorum prolixa series. Summam eorum brevissimè recentior Franciæ Historicus complexus est, quam si veterum verbis & attestatione diducerem, tragœdias theatro dignas mundo exhiberem. *b Numquam Francia corruptiorem*, inquit ille, *Principem vidit, quàm Lotharium: qui in iuventute sua Franciam ad rebellionem adversùs proprium patrem Ludovicum Pium concitaverat; qui patrem ignominiosè Imperio degradari, tonderi, & monasterio includi fecerat; qui Ecclesias spoliaverat; qui Ecclesiasticos depradationibus con-*

a FOL. 16. Lothaire faisant une conversion de sainct, se met dans un Monastere, quitant l'Empire.

b DV PLAIX EN CHARLES LE CHAVVE. Il n'y eust jamais Prince Francois plus corrompu que Lothaire, qui avoit en sa jeunesse fait revolter la France contre Loys le Debonnaire, son propre pere, qu'il avoit honteusement faict degrader, tondre, & enfermer dans un Cloistre: qui avoit ravagé les Eglises, ranconné les Ecclesiastiques, faussé ses sermens autant de fois, qu'il en pensoit tirer avantage; qui par une ambition desordonnée avoit voulu ravir à ses freres leur partages; qui avoit esté cause de la tres-sanglante boucherie, qui fust faicte de la Noblesse Francoise à la journée de Fontenay: Bref, qui ne respiroit rien qu'orgueil, impieté, tyrannie.

*concusserat ; qui toties pejerando solverat sacramenti fidem, quoties putabat commodo suo cedere ; qui effreni ambitione sortem hæreditatis fratribus rapere tentaverat ; qui cruentissimæ illius carnificinæ, quâ Nobilitas Franciæ trucidata est in prælio Fontenæo, auctor fuerat. Vt verbo dicam, qui nihil spirabat, nisi superbiam, impietatem, sanguinem, tyrannidem.* En suis coloribus, & infra verum, depictum Lotharium; quem incredibili stupore inter præcipua Christianissimi nominis fulcra ponis. Recordare, obsecro, te hominem hominibus, & non blitis aut fungis loqui.

Quâ verò fide voluisti Ludovicum *a* V. Lothario accensere, ut & iste titulum *Christianissimi* meruisse censeatur? Omnes enim Historici Franciæ probatiores, Tilletus, Claudius Fauchetus, Belleforestus, du Haillan, Joannes de Serres, Scipio du Plaix, uno ore Ludovicum Quintùm vocant filium Lotharii, postremum ex Carolina stirpe Regem. Cui non solùm isti, sed etiam veteres, *b* Glaber, & Continuator Aimoini testimonium perhibent, quòd juvenis defunctus sit, nullâ omninò re gestâ, quæ vel litteris tradi mereatur. De quo Fauchetus *c*: *Odorannus vocat eum* Ludovicus nihil fecit, *propter exiguum tempus, quo vixit: quod linguæ Latinæ minùs periti verterunt* FAINEANT. De quo Bernardus du Haillan: *d Quidam Ludovicum quintum nomine vocaverunt* FAINEANT, *quòd propter vitæ brevitatem tempus eum defecerit, ne aliquid memoratu dignum perpetraret.* De quo Joannes de

a ARROY FOL. 61. Louys Cinquiesme defend le Pape contre l'Empereur.
b *Galber lib. 1. c. 3 Continuat. Aimoini lib. 5. c. 44.*
c FAVCHET EN LOTHAIRE : Odoran l'appelle LVDOVICVS NIHIL FECIT, c'est à dire, Louys qui ne fist rien, à cause du peu de temps qu'il vesquist, &c.
d DV HAILLAN : Louys V. quelques uns ont l'appellé FAINEANT, pource qu'il n'eust aucun loysir de faire aucune chose memorable, à cause de la brieveté de son regne.

de Serres *a: Ludovicus Quintus unum dumtaxat regnavit annum: obiit ſine herede, ſine amicis, ſine monumẽto ſui. Vocatus eſt per Antonomaſiam* FAINEANT: *quòd nihil aliud boni fecerit, niſi quòd meliori locum ceſſit.* De quo Scipio du Plaix *b: Non aliam ſui memoriam reliquit poſteris, niſi quòd poſtremus Carolinæ familiæ Rex fuit.* Miror ita te abuti ſimplicitate rudiorum, uti eruditorum judicium non vereare. Nullus enim omninò Papa à Ludovico V. defenſus fuit.

a DE SERRES: Il mourut ſans heritier, ſans amis, ſans memoire: il fuſt auſſi appellé, FAINEANT, par excellence, pour n'avoir autre choſe qui vaille, que laiſſer la place à un meilleur Prince, & plus utile, que luy.
b DV PLAIX: N'ayant laiſſé autre memoire de ſoy, ſi ce n'eſt qu'il fuſt le dernier Roy de la lignée de Charle Magne.

## CAPVT XX.

### *Philippi Pulchri geſta ad promerendum titulum* Chriſtianiſſimi.

ETiam in Philippo Pulchro præclara nominis iſtius merita commendas, quòd *c receperit protexeritq; Papam, in Franciam fugitivum.* Hic verò omnes limites verecundiæ prætergrederis. Nemo Pontifex, Philippo imperante, in Franciam fugit, protectuſque fuit. Ipſe potiùs Philippus, cùm Raimondum, ut eum aliqui vocant; vel, ut alii, Bertrandum Gotho, Archiepiſcopum Burdegalenſem, ſubditum ſuum, infami pacto, pudendiſque conditionibus interpoſitis, ac receptis ad implendi ſecuritatem obſidibus, ad Pontificatum promoviſſet; odioſâ Deo viriſque bonis perverſitate permovit, ut Sedem Apoſtolicam Avinionem tranſferret. non alia ſanè de cauſa, ut Galliæ Scriptores notant *d, niſi ut ſpiritualia temporalibus ſubderen-*

c FOL.61. Philippes le Bel recoit & protege le Pape refugié en France.
d DV PLAIX: Le Roy ayant trouvé moyen de traduire le S. Siege en France, pour faire ſervir l'eſtat ſpirituel au temporel.

*derentur.* Qui tantâ rabie in Bonifacium VIII. flagravit, ut contra jus gentium Legatum ejus, Episcopum Apameensem, mandata Domini sui perferentem, in carcerem compingeret: ipsúmque Bonifacium, hæresios nefandorumque criminum accusatum, à quibus per Concilium plenum absolutus fuit, habitu Pontificali indutum, in thronoque sedentem, ceperit. Siarra *a* namque, capitalis hostis Bonifacii, & Felix Nogaretus, nobilis Franciæ, à Rege subornati, intromissis militibus Gallis in Anaginam, effractis ostiis, strictisque gladiis invadunt Bonifacium. Qui cùm constanter Felici Albigensis hæresis exprobrasset labem, manu ferreâ, cum sanguinis effusione, percussus, per triduum captus, indeque Romam ductus est. Ubi, si fas est verum dicere, quid aliud Philippus, nisi necis Pontificiæ reus & auctor fuit? Nam paucis diebus pòst Bonifacius morbo ex captivitate & animi ęgritudine contracto periit. Felix in facinoris patrati præmium Baroniâ remuneratus est. Nec morte Pontificis placatus, etiam cineres ejus persecutus est. Siquidem conatu impiissimo, ipsisque cœlorum incolis injurioso, sancto scilicet Ludovico Regi Galliæ Philippi avo, quem catalogo Sanctorum adscripserat Bonifacius, institit, ut, damnatâ Bonifacii tamquam hæretici memoriâ, ipsius acta rescinderentur, extractoque corpore, flammis ossa comburerentur. Hæc sunt præclara illa facinora Philippi Pulchri erga Romanam Cathedram, quæ commemorare debuisses, ut rectè de gestis ejus, titulique *Christianissimi* meritis Lector saperet. Nam cùm ea sedatiori, quàm Ar-

E roynus,

*a Ioannes Villani, Gaguinus, Platina, Ioannes de Serres, & alii recentiores.*

royus, maturitate Scriptor Galliæ recentior ponderasset, longè sanius judicium tulit. *Hic*, inquit *a*, *Monarcha cùm à majorum suorum zelo erga Catholicam Religionem deflexisset, Deus etiam suam ab eo gratiam ac benedictionem abstulit. Vehementer vindictæ cupidum adversùs Bonifacium VIII. se exhibuit, cujus ne memoriæ quidem ac cineribus post fata parcere voluit. Excusari non potest ab extraordinariis exactionibus, quibus populum Clerumque Regni sui pressit. Sedem Apostolicam in Franciam pertraxit, rationibus ductus politicis*, *ut* RELIGIONEM TEMPORALI STATVI HABERET SERVIENTEM. Et Gilbertus Genebrardus inter eruditos Franciæ non ignobilis *b*: *Philippus Rex, cujus operâ captus fuerat* (Bonifacius) *atque interierat, Deo unctum suum ulciscente, numquam deinceps prosperè se habuit, ut ab aliquo Episcopo prædictum fuerat*. Nec sanè Philippus ipsemet eò prosiluit impudentiæ, ut se de Sede Apostolicâ tam benè meritum, quemadmodum tu somniasti, arbitratus fuerit. Nam facinoris sui conscius, eumdem istum Archiepiscopum Burdegalensem cùm summo Pontificatui admoveret &, istam primam interposuit conditionem; *ut sibi absolutionem facinoris à se commissi adversùs Bonifacium impenderet*; secundam verò, *ut ejus executores pariter reconcilientur Ecclesiæ*: quarum utramque sicut stipulatus erat, ita obtinuit. Numen profectò ipsum aliter quàm Arroyus, videtur judicasse, dum non solùm imminentes ei propter commissi impietatem calami-

a SCIPION DV PLAIX EN LA VIE DE PHILIPPE LE BEL, A LA FIN. Ce Monarche s'estant esloigné du zele de ses predecesseurs envers la Religion Catholique, Dieu esloigna de luy sa grace & benediction. Il se monstra grandement vindicatif envers le Pape Boniface VIII. n'ayant pas mesme voulu espargner sa memoire apres sa mort, ny ses cendres, &c. Il ne peut estre excusé des imposts & subsides extra-ordinaires, dont il surchargea son peuple, & le Clergé de son Royaume, &c. Il attire le S. Siege en France pour des considerations Politicques, voulant faire servir la Religion à l'Estat temporel.

b *Genebrard. lib. 4. Chron.*

lamitates per quemdam Antistitem denuntiavit, sed & reipsâ, suas ulciscendo injurias, intulit. Cùm enim invidendâ penè sobolis fœcũditate quatuor filios Philippus procreasset, statim stirps ejus radicitùs succisa est, ut neminem nepotum in Catalogo Regum Franciæ successorem habuerit. Quo fit, ut Gallus hîc nonnemo exclamet *a*: *Cælestis operis prodigium fuit, quòd iste ramus S. Ludovici in tot ramusculos diffusus intra viginti tres annos à morte Philippi IV. exaruerit.* Cujus calamitatis flagellum, sive divinitus ei inflictum fuerit propter malè tractatum Bonifacium, ut Genebrardus censuit; sive, ut alii *b*; quòd Sedem Apostolicam in Franciam traducendam curasset, *ut Reipublicæ Religionem ancillantẽ subderet*; utrovis modo retunditur inanis garrulitas tua, quâ Philippum ex ista egregia beneficentia *Christianissimi* titulũ promeruisse fabularis. Nam sive factum ex isto Philippi scopo metiaris, sive ex effectis, quæ inde in Ecclesiam, ipsamque adeò Franciã redundarũt, nihil est profectò, quòd quisquã sobrius Philippo gratuletur. Testes enim sunt Scriptores Galliæ, istam evocationem translationemque Sedis Pontificiæ, quam tu Papæ fugam & protectionem vocas, malorum gravissimorum originem fuisse & Ecclesiæ, & Franciæ, utpote *c* *quæ valdè fœdaverit antiquam Ecclesiæ faciem. Nam præter inauditas*, inquit eorum quidam, *dispensationes, & SS. Canonum enervationes, periit illud divinum jus: Secularia secularibus, & Regularia Regularibus; maximè in Galliâ; dum Pontifices hujus transmigrationis plusquàm Babylonicæ (nã observantiam Regularem, disciplinã Ecclesiasticam penè totã, jura deni*[illegible]*ue*

 cor-

a SCIPION DV PLAIX: Ce fust un coup du Ciel, que ceste branche de S. Louis ayant tant de rameaux taillis neantmoins dans 23. ans après le deces de Philippe Quatriesme.

b *Apud Scipionẽ du Plaix ad an.* 1302. c *Genebr. li.* 4. *chr.* [illegible]

hæreticos fuisse confiteris, *a* se *Christianissimos* existimasse, non, arbitror, diffiteberis.

Nam qui Clodovæo, primo Christiano Francorum Regi, titulum *Christianissimi*, velut prærogativam aliquam præ cæteris vel Regibus, vel non Regibus, à S. Remigio in testamento suo inditum arbitrantur, non satis phrasin Sancti, illáque non satis Christiana Clodovæi gesta ex antiquioribus commemorata, considerant. Quis enim hominem, tantâ furentem in innoxios crudelitate, tanto flagrantem ambitionis æstu, *Christianissimum*, &, quod absurdius est, *Piissimum*, sicut ibidem dicitur, appellaverit, ad aliquam ei prærogativam præ cæteris tribuendam? Sed Sanctus ille de defuncto loquebatur: quos *Christianissimos, piissimos, sanctæ recordationis*, sicut eum ibidem vocat, nuncupare soliti sumus, ut spem, quam de omnibus in Christianâ pace defunctis gerimus, illâ Christianitatis, & pietatis, & sanctitatis nomenclaturâ testemur. Argumento est, quòd in eodem testamento Jovinum, privatum, hoc est, extra Regiam omnemque supremam dignitatem constitutum hominem, jam vitâ functum, *virum Christianissimum* vocat: *Vbi ipse vir Christianissimus Iovinus requiescit.* quem nemo sani cerebri tituli istius dignitate, in istis circumstantiis, cuiquam Regum prælatum esse judicaverit. Fuit enim iste Jovinus aliquando Romanæ militiæ bis Magister, quemadmodum testatur ipse versibus, quos Basilicę Jovinianæ, hoc est, ab se fundatę, frōtispicio pręfixit:

*Felix militiæ sumpsit devota Iovinus*
*Cingula, virtutum culmen provectus in altum,*
*Bisq; datus meritis equitum peditumq; magister,*

 Ita-

a ARROY. FOL. 61. Tous ont conservé le titre de Chrestien sans tomber en heresie, excepté deux.

Itaque Flodoardus *a* S. Remigium imitatus, non dissimili phrasi appellat Jovinum *Christianissimum Romanæ militiæ magistrum.* A Pipini igitur temporibus, Francorum Regibus per modum solemnis tituli dari cœpit; non ut hujusmodi tituli splendore, se vel plus *summæ potestatis b*, quàm cæteros accepisse, vel justam bellandi causam nactos esse censeant, ut tu deliras: sed ut posteris perpetuum esset monumentum, quid ab eis Christianæ fidei *Christianissimi* appellatione deberetur: ne fortè à majorum virtute degenerantes, vim nominis istius abundè se implevisse crederent, si titulo *Christianissimi Regis* gloriantes, medullam ejus, Christi religionem, consiliis, incentivis, fœderibus, barbarorum evocationibus, armis everterent. Quid enim juvat virtutum antiquarum trophæis inflari, quibus majores floruêre, & novis vitiis eorum gloriam pessumdare? Nisi fortè, ut non divinis vocibus tantùm, alienisque testimoniis, quorum vim taciti præterimus, sed nostrâ ipsorum voce damnemur? Et quid tibi, quæso, Arroye, de titulis gloriari? Rebus oportuisset, non majorum, sed prorsus tuis. Verus honor non in splendore titulorum, sed in rebus, in præclaris pro fide facinoribus, in sanorum hominum judiciis reponendus est. Nescis, quò pectus est veritatis inanius, eò ardentiùs vanitatis umbram sequi? Ea demùm est vera prærogativa dignitatis atque titulorum, non titulos hereditate consequi, sed suâ virtute facere: non prærogativis nominibusque celebrari, sed dignum videri.

CA-

a *Flodoard. lib. 1. Histor. Remens.*
b Plus souveraine.

## CAPVT XXII.

*Titulus* Chriſtianiſſimus, *aliquot ſæculis antè quàm ſummi Pontifices eum Regi Galliæ conceſsiſſent, Hiſpaniæ Regibus uſitatus, ac debitus fuit.*

QVapropter, cùm tu tot paginas tam prępoſteris & fallacibus quorumdam laudibus impleveris, *a utinam jam ſuſtineres modicum quid inſipientiæ meæ, ut & ego modicum quid glorier.* Suſtinetis enim, ſi quis hęreticos impioſque Principes, præclariſſimos, nemini ſecundos, incomparabiles, Catholicis æquiſſimos, gemente licet diſperſoque per eum Germaniæ Clero, & ſquallentibus Catholicorum Eccleſiis, prædicet. Ita ſcriptis exaratum oculis æquis legitis, vulgatis, ſpargitis: ne fortè fœdera cum ipſis pacta, *Chriſtianiſsimi* nomine indigna videantur. Liceat ergo mihi tantillum pro veritate loqui, ſi pro falſitate tibi tanta licuere. In quo quis audet gloriari, audeo & ego. *Chriſtianiſsimi* nomen Franciæ Regi antiquæ poſſeſſionis jure vindicas *b*, tamquam *Carolo Calvo* in ſua coronatione datum, ab *Innocentio*, *Honorioque III.* repetitum, & ante illos à *Mauritio* Cæſare attributum. Si de poſſeſſione, antiquitate, firmatateque loqueris, causâ, mi Arroye, cecidiſti. Seſqui-ſæculo, & amplius, antequã ullus Pontifex Maximus, aut ulla Synodus Eccleſiæ Carolum Calvum, vel quemquam Regum præcedentium, *Chriſtianiſsimum* nuncupaſſet, Reges Hiſpaniæ jam poſſeſſionẽ ejus occupaverant. Non hiſtorici cujuſ-



a 2. *Cor.* 11.
b FOL. 63. Charles le Chauve, en ſon ſacre eſt appellé Roy Tres-Chreſtien en l'an 869. il y a environ 800. ans, les Papes Innocens & Honore III, appellent les Roys de France Tres-Chreſtiens.

cujuſpiam obſcuri atteſtatio, non epiſtolii inſcriptio, ſed integra Eccleſiæ Concilia pleniſſimam faciunt fidem. Nam anno quingenteſimo nonageſimo octavo, hoc eſt, centum & quinquaginta annis ante Pipini Regnum, Reccaredus, qui totam Gothorum gentem ad Catholicam fidem exemplo & verbis traxerat, à Concilio Toletano *a*, ſub ipſo celebrato, vocatur *Chriſtianiſſimus, & amator Dei, glorioſiſsimus Dominus.* Et anno ſequenti ſtatim in ingreſſu Concilii Barcinonenſis *b* dicitur, *Chriſtianiſsimus & piiſsimus Dominus Reccaredus Rex.* Itaque Ioan. Biclarenſis Abbas, à S. Iſidoro Hiſpalenſi ante mille plus minùs annos commendatus, Reccaredo coætaneus, à quo Gerundenſi Epiſcopatui admotus fuit, in Chronico, quod Reccaredi ætate terminavit, *c In quâ*, inquit, *Synodo memoratus Chriſtianiſsimus Reccaredus*, &c. Quam honorificam ejus nomenclaturam à ducentis annis Rodericus Sanctius *d*, Epiſcopus Palentinus, aliquoties imitatus eſt. De Siſebuto teſtantur, qui res Hiſpaniæ jam ab aliquot annorum centuriis memoriæ mandaverunt, eum à Scriptoribus antiquioribus *Chriſtianiſsimum* nuncupari ſolitum. *Hic* (Siſebutus) *Chriſtianiſsimus per Hiſtoriatores vocatur*, ait Alphonſus *e* Epiſcopus Burgenſis. Et Rodericus Sanctius *f*, *Hic Chriſtianiſsimus & Religioſiſsimus appellatur.* Et à quadringentis annis ante utrumque, Rodericus Toletanus *g* eodem eum nomine appellat. Anno verò 638. Concilium nationale totius Hiſpaniæ & Galliæ Narbonenſis de Chintilano Rege dicit *h*: *Inſpiramine*

a *Conc. Tol. ſub Reccaredo. Æra* 635. b *Conc. Barcinon.* c *Ioan. Biclar. in Chron.* d *Rodericus Sanct. in Reccaredo.* e *Alphonſus in Anacephalæoſi.* f *In Siſebuto.* g *Roderic. Toletan. lib.* 2. h *Conc. c. 6. Tol. Æra* 676. *cap.* 3.

*ramine summi Dei excellentissimus & Christianissimus Princeps, ardore fidei inflammatus, Regni sui Sacerdotibus praevaricationes & superstitiones eorum eradicare elegit funditus.* Et rursum *a*: *Gratias agimus Christianissimo & gloriosissimo Chintilano, Principi nostro, cujus studio advocati, & instantiâ collecti sumus.* Et Leo II. *b* Papa Romanus ad Quiricum Episcopum dicit se destinasse Petrum Notarium *ad praecellentissimum atque Christianissimum Regem* (Ervigium videlicet) *filium suum.* Ecce quot annis, imò saeculis, ante Carolum Calvum, Innocentium, & Honorium, à quibus tu nominis istius decus trahis, imò ante Carolum Magnum, & Pipinum, omnemque Rom. Pontif. indulgentiam, etiam tempore Mauritii Caesaris, Hispaniae Reges *Christianissimi* titulo utebantur.

*a* Cap. 19. b In Epist. ad Quiricum.

## CAPUT XXIII.

*Vis tituli* Catholicus *expenditur: & cur, neglecto* Christianissimi *titulo, quem obtinuerant Hispaniae Reges*, Catholici *dicti sint.*

CUr ergo, inquies, ille titulus succedentium saeculorum lapsu ab Hispanis Regibus praeteritus est, si eis antiquae possessionis usu ac jure debeatur? Causa in promptu est: quòd in Catholicae Ecclesiae fide & phrasibus eruditi Principes, nomen *Christiani*, fidelibus impositum esse scirent, ut fideles Christi à Paganis ac Judaeis, hoc est, Christi fidem omninò detrectantibus, non verò à schismaticis atque haereticis distingueret. Hinc etenim fit, ut, quicumque se Christianum dixerit, hoc ipso quidem neque Paganus, neque

Judæus esse intelligatur; manente tamen ambiguitate, quam sectam Christiani nominis profiteatur. Inde illa phrasis Augustini *a*, quâ *Christianorum plures hæreses* esse scripsit. Et in Epistolâ 56. *Videmus nullum jam errorem se audere extollere, ad congregandas sibi turbas imperitorum, qui non Christiani nominis velamenta conquirat.* Inde illud examen, de quo suprà diximus, ex diversis Augustini locis, quo initiandi rogabantur, *Christianus es?* Cui quæstioni, inquit Augustinus *b*, *respondet, Non sum, si Paganus est, aut Iudæus*, &c. ut ostenderet Christianum hoc nomine à Pagano Judæoque secerni. Hâc ergo doctrinâ instituti Hispaniæ Reges & Antistites, alia nomina quæsiverunt, quibus propriè à sectis, quas, relicto Arianismo, repudiaverant, hoc est, ab hæreticis capitaliter sibi invisis, & à schismaticis, unitatis Ecclesiasticæ vastatoribus, disjungerentur. Quare, relictâ *Christianissimi* nuncupatione, cujus possessionem vacuam ultrò Francorum Regibus reliquerunt, *Orthodoxi* & *Catholici* appellati sunt; ut *Orthodoxi* titulus eos distingueret ab hæreticis, *Catholici* à schismaticis; vel potiùs ab utrisque. Nullus enim hæreticus orthodoxam fidem tenet, sæpè schismaticus: nullus hæreticus aut schismaticus, Catholicus esse potest. Nam ista nomenclatura Christianum à quocumque schismatico & hæretico evidentissimè certissimeque distinguit. Hinc illud S. Augustini de hæreticis *c*: *Tenet me ipsum Catholicæ nomen, quod non sine causa inter tam multas hæreses sic ista Ecclesia sola obtinuit, ut, cùm omnes hæretici se Catholicos dici velint, quærenti tamen*

a *Lib. de util. cred. cap. 11.* b *Tract. 44. in Ioan.*
c *Lib. contra Epist. fund. cap. 4.*

*men peregrino alicui, ubi ad Catholicam conveniatur, nullus hæreticorum, vel basilicam suam, vel domum audeat ostendere.* Et ante Augustinum, S. Pacianus Barcinonensis, hoc est Hispaniæ, Præsul *a*: *Ego fortè ingressus populosam urbem hodie, cùm Marcionitas, cùm Apellecianos, Cataphrygas, Novatianos, & cæteros hujusmodi comperissem, qui se Christianos vocarent, quo cognomine congregationem meæ plebis agnoscerem, nisi Catholica diceretur?* Quid clarius, quàm Ecclesiam *Catholicæ* nomine ab omnibus hæreticorum conciliabulis discerni, à quibus tamen nomine *Christiana* nullâ ratione discernitur.

Jam vide, qui non tantùm ab hæreticis, sed etiam à schismaticis, hoc est, ab omnibus pestibus fidei, unitatíque inimicis, eâdem appellatione separetur. *Velint nolíntve*, ait Augustinus *b*, *ipsi quoque hæretici, & schismatum alumni, quando non cum suis, sed cum extraneis loquuntur, Catholicam nihil aliud quàm Catholicam vocant. Non enim possunt intelligi, nisi hoc eam nomine discernant, quo ab universo orbe nuncupatur.* Et idem ille sanctus Pacianus, cùm docuisset, ingruentibus post Apostolos hæresibus, quæ Ecclesiam in partes lacerabant, opus fuisse proprio nomine, *quod incorrupti populi distingueret unitatem*, nullâ scilicet hæresi vel schismate divulsam, statim subjicit *c*: *Ne æstues, frater, Christianus mihi nomen, Catholicus verò cognomen. Illud me nuncupat, hoc ostendit: hoc prodor, inde significor.* Et sanctus Cyrillus Hierosolymitanus Antistes *d*: Μὴ δὲ ἐξέταζε, ποῦ ἐστιν ἁπλῶς ἐκκλησία, ἀλλὰ, ποῦ

E 6 ἐστὶν

a Pacian. epist. 1. ad Sympron.
b Lib. de Vera relig. cap. 7.
c Pacianus epist. 1. ad Sympron.
d Cyrill. Hierosol. catech. 18.

ἐστὶν ἡ καθολικὴ Ἐκκλησία. Τοῦτο γὰρ ἰδικὸν ὄνομα τυγχάνει τῆς ἁγίας ταύτης, καὶ μητρὸς ἡμῶν ἁπάντων. *Ne petas, ubi sit Ecclesia, sed ubi Catholica Ecclesia. hoc enim nomen proprium est hujus sanctæ Ecclesiæ, matris omnium nostrûm.* Catholicum enim propriè est nomen unitatis, atque communionis cum Ecclesiâ totius orbis, repugnans ex diametro scissioni unitatis Ecclesiasticę, sive per hęresin, sive per schisma divellatur. Ex quo nascitur, ut Catholicus hoc ipso, quo Catholicus, utrâque & schismatis & hæresis labe careat: quorum utrovis tota Catholici nominis ratio prorsus perit. *Nec hæreticus*, inquit Augustinus *a*, *pertinet ad Ecclesiam Catholicam, quæ diligit Deum; nec schismaticus, quoniam diligit proximum*, de quo non est jam pluribus dicendi locus.

Cùm hæc igitur, juxta antiquorum doctrinam, certa sint, ut nomen, *Catholicum*, rationem Christiani vagam, hæreticis schismaticisque communem, includat, contrahat, & à capitalibus Christianismi vitiis, hæresi atque schismate, discriminet, Hispaniarum Reges, ut Christianæ suæ fidei synceritatem, unitatisque Ecclesiasticæ dilectionem propriissimè potentissimeque testarentur, præclarissimo isto & propriissimo cognomine ipsius Ecclesiæ Dei, *Catholicos* se nuncuparunt, & à Præsulibus, Pontificibus, Ecclesiæque Comitiis appellati sunt. Quam nominis Catholici præ Christiano præcellentiam ut Augustinus designaret, plerumque quando non quolibet modo Christianum, cujusmodi & hæreticus esse potest, sed Orthodoxum, unitatique sociatum Ecclesiasticæ vult exprimere, *b Christianum Catholicum* vocat: *quarum* (hæreseon) *aliquam qui tenuerit, Chri-*

a *Aug. lib. de Fide & Symbolo cap.* 10. b *Aug. lib. de Hæres.*

*Christianus Catholicus non erit.* Et præclarissimè Collationis Carthaginensis Patres, quorum Augustinus choragus fuit *a*: *Afrorum Christianorum Catholicorum hæc vox est: Nos universo orbi Christiano communione cohæremus.* Nimirum, quia non sufficit esse Christianum, nisi sit in Christianæ fidei professione, in ipsaque Ecclesiastica unitate, sine hæresis, sine schismatis labe, Catholicus. Unde proficiscitur, ut, si Francorum Regum aliquis in hæresin laberetur, quemadmodum duos lapsos esse dicis, vel etiam in schismata, sine scrupulo se Christianissimos appellarent, Catholicos nullo modo. Τοῦτο γὰρ, ut Cyrillus dixit *b*, ἰδικὸν ὄνομα, τυγχάνει τῆς ἁγίας ταύτης, καὶ μητρὸς ἡμῶν ἁπάντων. *Hoc enim nomen proprium est hujus sanctæ Ecclesiæ, matris omnium nostrûm.* Ecce tibi causam, Arroye, cur Hispaniarum Reges, cùm *Christianissimi* titulo ab ipsis fidei suæ exordiis insignirentur, glorioso *Orthodoxi*, maximeque *Catholici* cognomine delectati ac designati sint. Ex quo perspicuum est, quàm imperitè dicas, *Catholici* nomen, non virtutis esse, sed amplitudinis vocabulum. Complectitur enim duplicem illam virtutem excellentem Christiani hominis, Orthodoxam Christi fidem, & gluten unitatis, hoc est, fidem, unitatisque charitatem: quarum alterutrâ qui caruerit, næ ille non Catholicus, sed Christiani hominis umbra, fumus, nihil est, quantumvis Christianissimus sub hæresi vel schismate appelletur. Quamquam casu rebus ipsis congruentissimo, vel potiùs magno arcanoque Dei consilio contigerit, ut illud ipsum, quod invidiosè carpis, Amplitudinis vocabulum, quo Ecclesia Dei vivi propriè *Catholica*



a *In Collat. Carth. 3. diei num. 100.* b *Cyrill. sup.*

cognominatur, ſolis iſtis Regibus communicatum ſit. Nulla quippe ab orbe cõdito Monarchia, ut fuſiùs paulò pòſt dicturi ſumus, potentiùs conſtantiuſque laboravit, ut Eccleſia glorioſiſſimæ iſtius nomenclaturæ effectu, hoc eſt, ipsâ ſuiipſius per totum orbem diffuſione potiretur, quàm ea, cujus iſti Reges habenas tractant. Quid ni igitur Sponſa Dei ſolos iſtos Reges glorioſi ſui cognominis participes afficeret, quorum fidelitate atque ſtrenuitate ſe vim nominis iſtius reipsâ per univerſum orbem impleviſſe, & quotidie implere gratulatur?

## CAPUT XXIV.

*Antiquitas tituli* Catholicus, *quatenus Hiſpaniarum Regibus tribuitur. Aliqua de titulo* Orthodoxus.

QVòd verò *Catholici* cognomen *à centum circiter annis* Hiſpaniæ Regibus adhæſiſſe cavillaris *a*, prodit hominis ſupini imperitiam atque temeritatem. Nam, ut prætercam Ferdinandum Magnum, qui ante centum & triginta circiter annos à Romano Pontifice; & prædeceſſorem ejus in Aragoniæ Regno Petrum, qui ante quadringentos annos ab Innocentio III. *Catholici* cognomento honorati ſunt; jam ante octingentos annos Alphonſus *b* primus, ſtatim ab irruptione Saracenorum, ſcriptorum omnium atteſtatione, glorioſo *Catholici* nomine illuſtris fuit. Poſt quem & cæteris Hiſpaniarum Regibus vulgò tributum eſſe, exemplis Ordonii primi, Sanctii Craſſi, Alphonſi

a FOL. 64. Les Roys Catholiques ſont appellez ainſi depuis environ cent ans.

b *Vazæus, Roderic. Arcb. Tolet. Luc. Tudenſ. &c.*

phonſi ſexti, Alphonſi octavi, Joannis primi, & aliorum, recentiores *a* plerique probant. Et ante diluvium iſtud infidelium, Reccaredo Regi, ante nongentos & quinquaginta annos, ab univerſis Epiſcopis Hiſpaniæ in Concilio tertio Toletano acclamatum eſt *b*: *Cui à Deo æternum meritum, niſi vero Catholico Reccaredo Regi?* Et quia Catholicus, ut diximus, ſine Orthodoxâ ſeu Catholicâ fide eſſe non poteſt, uſque adeò, ut Orthodoxus & Catholicus pro iiſdem ſæpè uſurpari ſoleant; hinc eſt, quòd communiſſimâ appellatione Reges Hiſpaniæ jam à nongentis & quinquaginta annis titulo proprio *Orthodoxi* vocabantur: quo nihil aliud Eccleſiæ Patres quàm Catholicos deſignare voluerunt. Nam anno Domini 693. Concilium Toletanum XVI. ſic inchoatur *c*: *Dum anno ſexto Inclyti & Orthodoxi Dom. Principis noſtri Egicani.* Et poſtea Concilii Patres laudant Deum, quòd *Orthodoxi Principis* ( cor ) *intimo igne ſui amoris reddiderit fervidum.* Et anno 691. Concilium Cæſarauguſtanum III. *d* inſcribit Conventum ſuum, *anno quarto Orthodoxi & Sereniſſimi Domini noſtri, Egicani Regis.* Et in fine Concilii: *Orthodoxo & Sereniſſimo Domino noſtro Egicano Regi multiplices gratiarum actiones perſolvimus.* Et anno Dom. 688. Concilium Toletanum XV. ſic exorditur *e*: *In nomine Dom.* IESV *Chriſti incipit Synodus Toletana XV. ſexaginta unius Epiſcoporum, acta anno primo Sereniſſimi & Orthodoxi Egicani Principis.* Et anno ſexcenteſimo quinqua-

a *Videndi Illeſcas, Beuterus, Ambroſ. Moral. Zurita.*
b *Concil. Tolet. 3. Æra 627. hoc eſt, anno Chriſti. 589.*
c *Concil. Tolet. 16. Æra 731.*
d *Concil. Cæſaraug. 3. Æra 729.*
e *Concil. Tolet. 15. Æra 726.*

quagesimo tertio Concilium Toletanum VIII. sic auspicatur acta sua *a: Anno quinto Orthodoxi, atque gloriosi, & verè clementia dignitate pracipui Recesuindi Regis.* Et anno sexcentesimo trigesimo octavo in Concilio VI. Toletano Antistites congregati dicunt *b: Convenientibus nobis Hispaniarum Galliciaque Pontificibus summis, Orthodoxi, & gloriosi Chintilani Regis salutaribus hortamentis,* &c. Et in ipsis primordiis susceptæ Catholicę fidei sub Reccaredo Rege, anno quingentesimo octogesimo nono, Concilium III. Toletanum totius Hispaniæ acclamat Regi suo *c: Cui præsens gloria, & aterna, nisi verè Orthodoxo Reccaredo Regi?* Quibus acclamationibus & inscriptionibus Conciliorum nil aliud indicatum volebant *Orthodoxi* nomine, quàm id, quod alio vocabulo *Catholicum* dicimus, ut perspicuum est ex Concilio VIII. Toletanó, quod de Recesuindi fide loquens, *Ob hoc,* inquit *d, sui Regni apicem à Deo solidari praoptat, si Catholica fidei pereuntium turmas acquirat, indignum reputans Orthodoxa fidei Principem sacrilegis imperare, & infidelium societate pollui.* Ubi Catholicam & Orthodoxam fidem, eamdem omninò duobus vocabulis indigetat. Et Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos, qui schismate ab Ecclesia discesserant, *Orthodoxum* disputatorem, tamquam Catholicum, *Luciferiano* opponit.

a *Conc. Tolet. 8. Æra 691.* b *Concil. Tolet. 6. Æra 676.*
c *Conc. Tolet. 3. Æra 627.* d *Concil. Tolet. 8. c. 12.*

CA-

## CAPVT XXV.

*Perstringuntur breviter Hispaniarum antiquorum gesta, quibus* Catholici, Orthodoxi, Christianissimi, *nuncupari meruerunt.*

NEc inani dumtaxat affectione titulorum Hispaniarum Reges se *Christianissimos*, *Orthodoxos*, *Catholicos*, sed rebus ipsis luculentè probavere. Cùm enim Deo per horribilem Saracenorum irruptionem Gothorum peccata flagellare placuisset, difficile dictu est, quid primùm in illius cladis reliquiis admirere; an fidem immobilem, quâ, totâ jam Hispaniâ per Saracenos occupatâ, primi religionis vindices se sublevari posse crediderunt; an spem infractam, quâ non desperaverunt; an fortitudinem incredibilem, quâ per octo sæcula Barbaros, Christianæ fidei pestes, repulerunt, attriverunt, extinxerunt? Quoties *a* quadraginta, *b* quinquaginta, *c* septuaginta, *d* octoginta, *e* ducenta, *f* quadringenta, & amplius, millia infidelium, Reges Hispaniæ uno prælio cecidere? Quoties neque *g* numerus cadaverum prostratorum iniri præ multitudine immensâ potuit? Quoties, undarum loco, hostilem sanguinē *h* flumina cruentata volverunt? Decem millia magnatum Saracenorum unum prælium cæsos vidit. Cantet Gallia Regum suorum adversùs infideles præclara facinora: non succensemus eorum virtuti, sed libenter

*a* Petrus 1. Rex Arag. *b* Froila, Alphonsi Catholici filius. *c* Alphonsus Castus, & Ramirus primus. *d* Ramirus 2. *e* Alphonsus 9. in prælio de las Navas de Tolosa. *f* Alphonsus 11. alii ducenta, alii quadringenta, quinquaginta millia. *g* Ordon. 1. & 2. itemque Alphonsus 9. juxta Luc. Tudens. *h* Sub Sanctio 5, Rege Lusitaniæ.

benter applaudimus. At duodecim citra hyperbolen, & plures, Hispania dabit, qui rerum adversùs infideles gestarum magnitudine, Saracenorum, nunc uno, nunc diversis præliis occisorum, multitudine, copiarum confligentium imparitate, æquent aut superent. Quot illic Reges [a] sanguine suo contra Mauros fuso sua delicta deleverunt, animas profuderunt, cadaveribus suis iter infidelibus obstruxerunt! Non est provincia, quaquà patet Hispania à Pyrenæis montibus usque Oceanum, quam non infesto Marte subegerint Christo; non oppidum, quod non hostibus crucis extorserint; non fossa civitatis, quam non corporibus suis impleverint; non mœnia, quæ non cruentaverint; non passus penè terræ, quem non Christianæ fidei sanguine suo redemerint [b]. Quàm crebrò desperatis rebus quasi ad certam carnificinam obtulerunt se, lacrymisque in cælum clamantibus auxilium impetrarunt! Omnia gentis illius insignia, quibus domi militiæque clari sunt, nil nisi facinora contra Saracenos, hoc est, hostes fidei, perpetrata, testantur. Quid enim leo rubeus Legionis, castrum in campo rubente Castellanum, nisi sanguinem Saracenicum à Pelagio Alphonsoque nono fusum profitentur? Quid Catenæ Navarræ, nisi ruptas à Sanctio Forti Maurorum catenas? Quid quinque scuta Lusitanica, nisi quinque Reges Agarenicos, ab Alphonso primo inauditâ strage superatos? Quid quatuor Maurorum capita antiquitùs Aragoniis, nisi tot Reges uno prælio cæsos clamant? Crux in arbore priscis

Su-

[a] Alphons. 5. apud Vazæum. Alphonsus 7. apud Phragam. Garsias Ennicus Rex Aragoniæ. Sanctius pater Petri, apud Oscam. Sebastian. Rex Lusit.

[b] Pelagius, Ramirus Primus, Alphonsus I. Rex Lusit.

Suprarbrensibus, flammea primis Aragoniis, cærulea Lusitanis, quernea Pelagii & successorum ejus, quæ *Crux Hispaniæ* dicta in Ovetensi Ecclesia etiamnum cerni dicitur, quid nisi auxilia cœlitùs in præliis impetrata protestantur? Quid denique cruentæ cruces in chlamydibus, sanguineus ensis in pectoribus, nisi decora illa prisca majorum à Saracenis reportata, & pectora neci devota pro gloria Crucis probant? Parum abest, quin exclamem, O felix culpa Roderici, quæ tales meruit habere expiatores! Uno infelix natio, quòd tot Achilles, tot facinora priscis Romanis invidenda, multorum sæculorum lapsu Homeris caruêre, quorum voce nobiliùs in totius orbis theatro, ad veritatis testimonium majoribus, virtutisque documentum posteris, resonarent. Sed quemadmodum olim ille de Romanis dixit *a*, *Optimus quisque facere, quàm dicere sua; ab aliis benefacta laudari, quàm ipse aliorum narrare malebat.* Barbaries etiam illa Saracenica, contrà quam tot sæculis luctati sunt, quemadmodum eorum virtuti campum præbuit patentissimum, ita, exstinctâ passim Græcâ Romanâque litteraturâ, posteritati invidens, præclarorum facinorum monumenta atque ornamenta subtraxit. Paucula dumtaxat in brevibus Chronicis vestigia rerum, in ipsisque Regum cognominibus, quasi extrema facinorum capita, vastarumque quasi ædium fundamenta remansêre: ex quibus conjicias, quanta eis substructionum moles incubuerit. Cùm enim in longâ Regum serie vix unus aut alter plerumque præ cæteris caput efferat, qui præclaro virtutis alicujus epitheto celebretur; quis non miretur, in hac una Iberica natione, plerosq; Reges, in quamcumque

*a* *Salust.*

cumque te Hispaniæ plagam verteris, fortitudinis bellicæ, aut civilis; humanæ, Christianæve virtutis nomine fuisse celebratos? Testes sunt tot illustria Regum cognomina, quasi totidem trophæa, quibus eorũ virtus æternitati consecrata est. Hinc enim à religiosa in Deum pietate alius *a Amator Religionum*, alius peculiariter *b Catholicus*, alius *c Christianissimus* dicebatur; alius à civili virtute *d Sapiens*, *e Bona memoria*, *f Castus*, *g Munificus*, *h Iustus*, *i Desideratus*, *k Benignus*, *l Honestus*, *m Pater pauperum*, *Defensor viduarum*, *Tutor pupillorum*, *Iustus Iudex omnium*; alius à bellica fortitudine, præclarísve facinoribus contra Saracenos perpetratis, *n Bellator*, *o Imperator*, *p Expugnator*, *q Magnanimus*, *r Nobilis*, *s Fortis*, *t Africanus*, *u Magnus*, *x Verè magnus*, *y Maximus & Fortissimus*. ut non Regis virtutibus fulsisse, sed de palma quasi inter se contendisse videantur. Hinc alii adversùs infideles in *z* Mauritaniam, alii in *aa* Africam, alii in *bb* Palæstinam trajecerunt, ut Crucis gloria in media infidelitatis nocte rutilaret.

CA-

*a* Sanctius 3. *b* Petrus 2. Rex Arag. *c* Ramirus 1. Arag. *d* Alphonf. 10. & Alphonf. 5. Aragon. *e* Ioannes 1. Rex Lusit. *f* Alphonsus 2. & Alphonsus 2. Arag. *g* Alphonsus 3. Arag. *h* Iacobus 2. Arag. *i* Sanctius 3. *k* Alph. 4. Arag. *l* Ferdinand. 1. Arag. *m* Sanctius 3. *n* Alphonf. 1. Arag. *o* Alphonf. 8. & Sanctius 3. Arag. *p* Iacobus 1. Arag. *q* Alphonf. 5. Arag. *r* Alphonsus 9. & Carolus Rex Navarræ. *s* Sanctius Rex Navarræ. *t* Alphonf. 5. Rex Lusitan. *u* Alphonsus 3. Ferdinandus 4. Petrus 3. Aragon. *x* Ioannes 2. Arag. *y* Carolus 5. Imp. *z* Sebastianus Lusit. *aa* Theobaldus 7. Navarræ. *bb* Theobaldus.

# Caput XXVI.

## *Gesta Hispanorum Regum recentiora pro fide Christi inter Paganos propagandâ.*

Sed quia proverbium incarnatæ Veritatis falsum esse non potest a, *Qui fidelis est in minimo, & in majori fidelis est*; par tantis animis ac virtuti stadium parabatur. Cùm enim gentem Ibericam Deus, & Reges ejus tantæ fidelitatis probavisset, ut, quidquid majorum quorũdam flagitia posteris ademerât, locupletato fœnore resarcirẽt, pulsis deletisq; omnibus, à quibus pulsi, tantumq; non deleti fuerant, æquissimam exploratæ virtuti mercedem dedit. De Christi imperio jam pridem Psaltes Regius cecinerat b: *Dominabitur à mari usq; ad mare, & à flumine usque ad terminos orbis terrarum.* Jam quindecim seculis exspectabatur, ut impleretur id quod Isaias vaticinatus erat c: *Ecce isti de longè veniẽt, & ecce illi ab Aquilone, & mari, & isti de terra Australi.* ubi textus originalis sonat, מארץ סינים *de terra Sinim. Aquilo* jam crediderat; sed saturatus, & impinguatus de veritate nauseabat. Restabat *mare*, quo nomine Scripturæ Occidẽtem notant. *Terra Sinim*, hoc est, Chinarum, Indiaque deerat: de quibus in eodem loco sponsæ suæ, Ecclesiæ suæ, interpositâ jurisjurandi firmitate, promiserat d: *Vivo ego, dicit Dominus, quia omnibus his velut ornamento vestieris, & circũdabis tibi eos quasi sponsa.* Sed qui, quâ ratione mirabili fiet, ut res tanta, tam exspectata compleatur? e *Ecce levabo ad gentes manum meam, & ad populos exaltabo signum meum, & afferent filios tuos in ulnis, & filias tuas super humeros portabunt.*

a *Luca* 16. b *Psal.* 71. c *Isaia* 49. d *Ibid.* e *Ibid.*

*bunt*. Hoc signum, hanc, inquam, Crucem filii sui in dexteris illis fixit, quæ illam octingentorum annorum laboribus, sudoribus, sanguine, Saracenorum manibus extorserant, & innumeris victoriis rutilantem in altissimâ Europæ speculâ constituerant; ut ad longinquas illas barbarasque nationes, gloriam ejus pari constantiâ circumferrent. Nec exspectationem Domini probata toties Regum istorum virtus ac fortitudo delusit. Quantâ enim Dominici signi gloriâ, quanto Religionis incremento, quantâ animarum ad Ecclesiam properantium vindemiâ, terram Sinim, Orientis & Occidentis Indias, extremos denique abstrusosque mundi recessus, vexillum Crucis Hispaniæ manibus gestatum circumvolitet, nemo potest nisi gloriæ Regum istorum æmulus diffiteri. Ipsa Ecclesia, rei inexspectatæ magnitudine quasi attonita, & præ lætitia tamquam impos sui, in eodem loco & sibi, & salutis tantæ auctoribus ita gratulatur a: *Quis genuit mihi istos? Ego sterilis, & non pariens, transmigrata, & captiva: & istos quis enutrivit? Ego destituta, & sola: & isti ubi erant?* Quanto affectu quærit, quanto stupore miratur! Ego jam in Europa sterilis, & non pariens: ego, hæreticis pleraque occupantibus, partim transmigrata, partim captiva: ego, Regibus Christianis me deserentibus, imò oppugnantibus, destituta & sola; quis genuit istos? quis enutrivit istos? ubi erant isti? quos quindecim sæculis quæsiveram, nec eorum vel famam audiveram; ubi erant isti? quis genuit? quis enutrivit? Nempe Hispaniarum Regibus provincia illa, laus illa solis debebatur: qui Crucis gloriam altiùs extulêre, qui Domini sui imperium latiùs dif-

a *Ibid.*

diffudêre, qui Ecclesiæ pomeria longiùs protulêre, quàm quidquid simul Regum & Imperatorum à Constātini Magni temporibus in hunc usque diem fuit. Nolite putare, me affectibus erga Deum, vel homines perturbatum, extra metas rapi, vel hyperboles beneficio rei ipsius magnitudinem velle superare. *a Veritatis & sobrietatis verba loquor*. Nec enim Italia, aut Gallia, aut Anglia, aut magna pars Germaniȩ, cujusquam Regis armis debet, quòd fidem veritatis acceperit, exstinctámve ab infidelibus recuperaverit. Pleræque plagarum istarum Christianæ Reges suos fecêre Christianos, non ab illis factæ sunt: aliæ traditam Regibus fidem, illis veritatem repudiantibus, aut indirectè oppugnantibus, iterum perdiderunt. Denique quidquid ab aliis Regibus Ecclesiȩ finibus adjectum est, Europȩ terminis ita comprehenditur, ut vix extremos Asiæ limites radat. Hi verò prȩclarissimam Europæ partem Deo suâ constantiâ reddiderunt; Africæ Asiæque diffluentem undique vestem veluti limbo quodam, Monasteriis, Ecclesiis, Christique Cruce variegato, cinxerunt; insulas remotissimas Dei laudibus impleverunt; partem Americæ, totâ Europâ vastiorem, Ecclesiæ imperio adjecerunt; Christi gloriam orbis terrarum limitibus terminarunt. Hoc verò, Arroye, est esse Christianissimum, *non verbo, neque linguâ, sed opere & veritate b*.

Sed hic occlamant, dominationis magnitudinem, non fidem Catholicam, Hispanos quærere. Quibus vicissim ego: Si facerent, pares essent Pipino, aliisque non paucis Galliæ Regibus, qui propter privata sua, aut publica Regni commoda,

a *Act.26.* b *1.Ioan.3.*

da, Sedem Apostolicam coluerunt. Quid enim? An majorem hîc intentionis puritatem à Regibus Hispaniarum exigere volunt, quàm à suis, quos inter præstantiores ponunt; quàm à Religiosis ipsis & Ecclesiasticis passim præstari vident, qui dextrum oculum in cælum, sinistrum in terram & temporalia commoda defixum gerunt? Nam quamquam satius, & rectius, & divinius esset, utroque oculo cælum aspicere, verumtamen ut possumus, quando non ut volumus. Et, ut hodie rerum cælestium frigus aut neglectus est, multùm promovisse nos arbitramur, si, non dico à Regibus, sed à vulgo mortalium impetraverimus, ut temporalium saltem utilitatum blandimento allecti, ad res spiritus divinasque se sublevari sinant. Mirum interim, Hispanorum Regum ambitionem, quam accusant, ita æquitatis ac Dei legibus esse temperatam, ut non se exserat, nisi cum fidei dilatatione conjuncta sit. Magnum profectò frenum esse necessarium est, cujus metas iste dominationis impetus ita vereatur. Utinam & Gallicam istis pietatis cancellis coërceret Deus! Utrum enim, quæso te, Reipublicæ Christianæ utilius, fidem Catholicam, aliquo temporalium emolumentorum impulsu, per Ortum & Occasum sparsum ire, an vano (sic plerique sapientes existimant) unius Gallici Regni metu, sparsam jam à temporibus Apostolorum in utraque Germania, per suppetias hæreticorum, exstinguere?

CA-

## CAPVT XXVII.

*Gesta pro fide Catholicâ contra hæreses tuendâ, quibus titulus* Christianissimus, & Catholicus, *debetur.*

ET hæc quidem adversùs eos, qui Christum execrantur, Saracenos, & pro illis, qui eum hactenus ignoraverunt, Paganis, per Hispaniarum Reges perpetrata sunt. Quòd si bella Christiana cum hæreticis gesta delibavero, quis Regum, ut isti, publicæ veritatis luce factis attestante, gloriari potest? Cùm Hispania penè ducentis annis sub Arianorum impietate gemuisset, simulatque Gothicam gentem Catholicæ radio fidei perfudisset Deus, Reges ejus, ipsâ coronationis & unctionis die *a*, *Catholicam fidem ante altare* profitebantur: deinde sacramento devovebant caput suum, se non permissuros, ut ab infidelibus illa violaretur. Nam in Concilio Toletano VI. *b*, sub Chintillano, à nongentis & nonaginta sex annis celebrato, sancitur, ut, antequam Regiam cōscendat sedem, inter reliqua conditionum sacramenta polliceatur, *hanc se Catholicam non permissurum eos violare fidem. Et si ipse*, inquit Concilium, *temerator hujus extiterit promissi, sit anathema.* Hinc tantus erat primorū Regum zelus, ut Chintillanus jam tum, testibus istius Synodi Patribus *c*, *non sineret degere in Regno suo eum, qui non esset Catholicus.* Et quindecim annis pòst, de Recesuindo Rege Concilium Toletanum VIII. testatur, quòd *d ob hoc sui Regni apicem à Deo solidari præoptaret, si Catholicæ fidei pereuntium turmas acquireret, indignum reputans*

F

a *Chron. Iuliani, & Roderic. Tolet. lib. 3. cap. 1.* b *Concil. Tolet. 6. cap. 3.* c *Ibid. c. 3.* d *Concil. Tolet. 8. cap. 11.*

*tans Catholica fidei Principem sacrilegis imperare.* Quod hunc usque diem Hispaniarum Reges in universis ditionibus suis, in Europa, Asia, Africa, America, imitantur, ubi nullùs publicus alterius religionis, quàm unius Dei in Catholica fide cultus floret. Et multis annis ante Recesuindum, & Chintillanum, statim in ipsa Gothorum conversione, Reccaredus *a neminem in regno suo* ne quidem *militare permisit*, qui regno Dei per hæresin hostis existeret. Quo ardenti Catholicæ fidei zelo hoc effectum est, ut, cùm ante Reccaredum vehementissimè ad usque carceres, & capitis supplicia in Catholicos Ariana secta sæviret; post paucos annos, quod admiratione dignum est, sub Cindasuindo *b* Rege, nullus in Hispaniâ infidelis reperiretur.

Hanc fidei synceritatem, post illatam Hispaniæ à Saracenis cladem, tantâ posteri æmulatione servarũt, ut ex gravium Scriptorum *c* testimonio, ab acceptâ primùm per Gothos Catholicâ fide, in hunc usque diem, nulla hæresis apud Hispanos publicè recepta fuerit.

Quid, quòd in hac horrendâ diversarum hæresium irruptione, quibus scelera Christianorum hoc præterito præsentique sæculo flagellata sunt, sola & omnia Regna, quæ Hispaniarum Regi parẽt, ab illis pestibus integra perstiterint, Castella, Aragonia, Lusitania, Navarra, Sicilia, Neapolis, Baleares, India, Orbis novus? Omnia cætera Europæ Regna, in Oriente Polonia, Hungaria; in Occidente Anglia, Scotia; in Septemtrione Suecia, Norvvegia, Dania; in Austro Francia, Navarra-

a *Francis Taraphs.* b *Roderic. Tolet. lib. 2. cap. 21.*
c *Roderic. Sanctius p. 2. c. 2. Alphons. à Carth. in Anaceph. c. 27 Ioan. Vazaus, Lambertin. &c.*

varraque Gallicana; in omnium meditullio Romanum Imperium, ac Bohemia, sectariorum erroribus dederint manus. Quid verò mirabilius, quàm quòd in ipsâ Hispaniâ, tot monarchiis olim distractâ (id quod inter Patriarchales Cathedras sola Romana Sedes meritò gloriatur) nullus unus in omnibus omninò Regnis Rex inventus fuerit, à primo Catholico Rege Reccaredo usque ad Philippum IV. qui ab avita Christiana, Orthodoxa, Catholica fide deviaverit? Quamvis enim hæreticorum ope non-nemo in thronum evectus, eis pristinam libertatem revocandam, aut indulgendam, quemadmodum nuper Henricus IV. Francorum Rex, præposterâ gratitudine cogitaverit, morum ille, non fidei error aut labes fuit. Navarræ tamen Gallicanæ Reges hîc excipio, qui statim à Regni laceratione, istâ cælesti benedictione caruerunt. Prodigii profectò loco non injuriâ hoc censuero, nisi tot sæculorum decursu compertum esse scirem, quemadmodum in insulæ Galatæ *a* terra scorpiones, & in Baleari serpentes, ita in Hispaniarum solo hæreses mori; &, ut manus Francorum Regum strumis, ita majori miraculo, Regum Iberorum oculos fidei pestibus esse fatales. Hoc probat illa quodammodò naturalis eorum cum sectariorum erroribus antipathia, quâ fidem Christi, ubicumque & quantumcumque per improbam perduellium pervicaciam licet, amissam revocant, collapsam integrant, stantem sartam tectam omnium thesaurorum suorum profusione conservant. Quis enim, nisi invidus vel rerum prorsus imperitus, neget, quidquid syncerae Religionis in Belgio, à pecuniis, fœderibus, militibus, armis Francorum & Batavorum intactum

a *Plin. lib. 35. c. 19.*

 per-

permanet, id Hispani Regis fidelitate defensum esse? Quidquid fidei Christianæ in Germaniâ, Francorum hæreticorumque fœdera, consilia, arma reliquêre; hoc Catholici Regis armis, militibus, sumptibus, Rempublicam debere Christianam? Non res in angulo, aut ultimâ Thule gestas loquor: totius, præter æmulos, Europæ theatrum annuit applauditque veritati. Propter hanc fidei defensionem sævit invidia; hinc rumpuntur ilia Codri; hinc impatiens jugi rebellio, & hæresis libertatis avida mordet frenum; hinc patrimonia Regia, hinc gentilitiæ familiæ decus periclitantur; cui nihil antiquius, quàm Christianam subditorum suorum salutem omni temporali Regnorum suorum tranquillitate, splendore, opibus, thesauris, habere potiorem. Nam quidquid Asia & Africa transmittit opulentiæ, quidquid opum visceribus Indiarum eruitur, quidquid omnium Regnorum census usitatus, & inusitata subditorum liberalitas fundit, hoc totum fidei Catholicæ propagandæ tuendæque dedicatur. Nimirum ut Regnorum omnium Regis Hispani opulentia, vires ac salus illius honori militent, qui Regibus summâ potestate dominatur; & quâdam Christianæ pietatis reciprocatione, cuncta in fontem refluant, unde cuncta prodierunt. Hoc verò est, Arroye, iterum dico, hoc est, inquam, esse Christianissimum, non apicum titulorumque suffragiis, sed rerum ipsarum testimoniis; *a non verbo, neque linguâ, sed opere & veritate.*

a 1. *Ioan.* 3.

CA-

## CAPVT XXVIII.

*Titulus* Gloriosissimus, & Religiosissimus, *antiquâ possessione, & novo jure est Regum Hispaniæ.*

QVæ cùm ita sint, nihil justius quisquam paulò æquior judex, nihilque rebus gestis congruentius arbitrabitur, quàm si Reges Hispaniarum duos illos titulos, *Gloriosissimus* & *Religiosissimus*, antiquissimæ certissimæq; possessionis jure postliminiò sibi vindicarent. Est enim compertæ veritatis, utrumque titulum fuisse priscis Gothis familiarissimum: quorum alterum quidem spectata pietas post susceptam fidem, alterum rerum gestarum magnitudo peperisset. Utriusque usus in monumentis antiquis ad Saracenicam usque vastationem testatissimus est. Nam statim in Concilio III. Toletano, ubi hæresis Ariana à Reccaredo Rege, totâque Gothicâ natione abjurata est, sic Antistites præfantur a: *Cùm pro fidei suæ sinceritate idem Gloriosissimus Princeps omnes Pontifices in unum venire mandasset.* Et in sermone, quem Catholicus Antistes ad Gothicam nationem ibidem habuit b: *Officii nostri curâ de fidelissimi ac Gloriosissimi Principis admonitione compellimur.* Ipsum quoque Concilium tertium inscribitur sub *Gloriosissimo Reccaredo* Rege celebratum: quæ honoris nomenclatura facilè sexies aut octies in eadem Synodo repetitur. Et sanctus Gregorius, Romanus Pontifex, ad S. Leandrum, Episcopum Hispalensem c: *Explere nullatenus valeo gaudium meum, quòd communem filium Reccaredum Gloriosissimum Regem, ad Catholicam fidem integerrimâ agno-*

F 3

a *Concil. 3. Tolet.* b *Ibid.* c *Gregor. lib. 1. epist. 41.*

*agnovi devotione conversum.* Ipse Reccaredus in Edicto, quo Synodum Toletanam confirmavit, ita sese nominat *a*: *Gloriosissimus Dominus Reccaredus Rex, universis sub regimine nostræ potestatis consistentibus.* Quod evidens argumētum est, fuisse titulum quasi gentilitium. Et sub Gundemaro Rege Synodus *b* Toletana quædam inscribitur habita *anno primo Gloriosissimi Gundemari Regis.* Et confirmatio Concilii vocatur *c decretum Gloriosissimi Principis nostri Gundemari.* Quid multis? Omnia passim Concilia antiqua usque ad ultimum Gothorum Regem Rodericum celebrata istis honorificis nomenclaturis plena sunt, *d* Narbonense, *e* Hispalense, *f* Cæsaraugustanum secundum, *g* Oscense, *h* Tarraconense, sub Sisebuto Rege, *i* Toletanum quartum sæpiùs, *k* Toletanum quintum sub Chintillano, *l* Toletanum sextum, *m* Toletanum septimum sub Cindasuindo, *n* Toletanum decimum sub Recesuindo, denique reliqua deinceps Concilia Hispanica usque ad *o* Toletanum decimum septimum sub Egicano, hoc est, paulò ante Rodericum Regem, sub quo prisca Hispaniæ Gothorumque Regum gloria per Saracenos exstincta est. Quod elogium usque adeò regiæ dignitati apud Gothos proprium erat, ut & *p* Reginæ eodem titulo compellarentur: & ejus loco, quod nunc

*Suam*

a *Edict. confirm. Synodi* 3. *Tolet.* b *Conc. Tolet. sub Gundemaro, Æra* 648. c *Ibid.* d *Initio Concilii, sub Reccaredo, Æra* 627. *hoc est anno* 589. e *in fine Concil. Æra* 628. f *initio Concil. Æra* 630. g *in inscript. Concil. Æra* 636. h *Æra* 652. i *initio & in fine, & Canone* 74. *Æra* 671. k *Canone* 9. *& in initio, Æra* 674. l *Canone* 17. *&* 19. *Æra* 676. m *Canone* 6. *Æra* 684. n *initio, & in decreto pro Potamio, Æra* 694. o *initio & Canone* 7. *& in gratiarum actione ad Regem, Æra* 732. p *vide Concil. Tolet.* 15. *&* 17. *Item Toletanum* 3. *de uxore Reccaredi,*

*Suam Majestatem* dicimus, tunc Reges Gothorum, *Sua Gloria*, vocarentur. de quo non pauca apud antiquos exstant testimonia; ut in *a* Synodo Toletana decima tertia sæpissimè, itemque duodecima, & aliis locis plurimis: usque adeò, ut singuli penè tituli vel subscriptiones Legum VVisigothicarum, quarum Codicem *b* Pithœus edidit, isto elogio consignatæ sint.

Alter honorificentię titulus erat, *Religiosissimus*; nota pietatis antiquorum Regum, ad tuendam Catholicam fidem. Qui quidem ante cladem Saracenicam Regibus tanto consensu attributus fuit, ut non minùs, quàm alter ille, *Gloriosissimus*, hereditarius fuisse videatur. Nam Concilium Toletanum XVII. sic inscribitur *c Decurrente Imperii anno Religiosissimi ac Serenissimi Domini nostri Egicani Regis septimo.* Et in gratiarum actione Antitistum, qui confluxerant *d: Orantes, ut Orthodoxo & Religiosissimo Principi nostro Egicano longævitatem largiatur.* Quæ nuncupatio Egicani Regis aliquoties in Concilio Toletano decimo sexto iteratur. Et ante Egicanum, Ervigius vocatur à Concilio Toletano XIII. *e Religiosissimus Princeps, divino igne succensus.* Et circa finem Antistites dicunt *f: Invictissimo quoque atque Religiosissimo Principi Ervigio Regi multiplicem gratiarum exhibitionem persolvimus.* Et ante Ervigium Concilium Toletanum X. inscribitur habitum *g anno octavo Gloriosissimi Domini & Religiosissimi Recesuindi.* Et ante Recesuindum Concilium Toletanum VI. Chin-

F 4 tillani

a *Concil.Tolet.13. in libel.* Ervigii *& in edicto confirmat,&c.*
b *Codex Leg.VVisigoth. 12. lib.editus per Pithœum.*
c *Concil.Tolet.17.* d *In Præfat.& post.libel.Regis.* e *Concil.Tolet.13.c.1.* f *Ibid.c.13.* g *Concil.Tolet.10.in frontispicio.*

tillani *a Religiosissimi Principis devotionem cum magna veneratione* suscipit. Et ante Chintillanum Concilium Toletanum IV. de Sisenando Rege loquens, *Dum studio*, inquit *b*, *Religiosissimi Sisenandi Regis convenissemus :* quam Regis nuncupationem sæpiùs ibidem repetit. Et ante Sisenandum fons Catholicæ religionis inter Gothos Reccaredus à Concilio Toletano III. vocatur non tantùm *c Princeps Religiosissimus*, sed etiam, propter ardorem fidei, summumque studium propagandæ religionis, *d Piissimus*, *Deo Fidelissimus*, *Gloriosissimus*; adeoque *e Sanctissimus*, in Concilio Cæsaraugustano.

Ut verò Hispani radicem scirent, unde tanta & tam constans in Regibus suis Catholicæ fidei æmulatio promanaverit, in eadem Toletana Synodo, ubi hæresis Ariana à tota Gothica natione, zelo Reccaredi Regis eam provocante, abjurata est, eidem Regi tamquam Apostolo suæ nationis acclamatur *f* : *Ipse mereatur veraciter Apostolicum meritum, qui Apostolicum implevit officium.* Et ista ratio est, cur in picturis Crucem Reccaredus, nempe tamquam Gothorum Apostolus, manibus tenet. Nam propter expulsionem hæresis Arianæ Crucem ei datam esse, testis est Alphonsus Carthagena *g*. Apostolatûs verò, quem ei Toletana Synodus tertia, hoc est, totius Hispaniæ Episcopi acclamarunt, Crucem esse documentum ac testimonium, S. Stephani primi Hungariæ Regis exemplo manifestum est. Is enim cùm Hungaros ad Catholicam perduxisset fidem, Pontifex Romanus

a *Concil. Tolet. 6. c. 2.* b *Concil. Tolet. 4. in Præfat. & c. 58. & 75. in fine.* c *Concil. Tolet. 3. cap. 1.* d *In Præfat. Concil.* e *In Concil. Cæsaraugust. initio.* f *Concil. Tolet. 3. in fine.* g *Alphons. Carthag. in anacephalæosi c. 27.*

nus ei facultatẽ dedit, ut Crux ante Regem, tamquam *Apostolatûs insigne*, gestaretur, cum hoc elogio, ut Chartuitius refert a, *Ego sum Apostolicus: ut ille meritò Christi Apostolus dici potest, cujus operâ tantum populum sibi Christus acquisivit.* Crux igitur in manibus Reccaredi, muneris *Apostolici* argumentum est: ut non miremur, ex tali Catholicæ religionis basi ac radice tam stabilẽ in fide surrexisse Monarchiam. Nam ex isto b *Religiosissimi, & Piissimi, Deoq; Fidelissimi, & Gloriosissimi, & Christianissimi, & Sãctissimi, & veri Orthodoxi, & veri Catholici, & Apostolici* Reccaredi sanguine, qui Catholicum imperium primus fundavit, & ex Pelagii, qui primus restauravit, & ex generi ejus Alphõsi Catholici, qui restauratum primus amplificavit, Philippus IV. cui hodie Hispaniarum Regna parent, non interruptâ majorum imperãtium serie propagatus est. Quapropter cùm fidei tuendæ propagandæq; zelo, & rebus gloriosissimè gestis, posteri post Saracenicam calamitatem majores suos, hoc est, omnes post Reccaredum usq; Rodericum longè superaverint, juxta id, quod S. Isidorus jam jam moriturus, post prophetatam Hispaniis imminentem cladem, in Synodo Toletana vaticinatus fuerat,

*Gloria major erit vobis, & gratia Christi*
*Extollet Gothos uberiore bono;*

quis non utrumque titulum, *Gloriosissimus & Religiosissimus* jure avitæ stabilisque possessionis, jure defensæ propagatæque Religionis, jure facinorum, omnem priscam Catholicæ nationis gloriam pietate, zelo, constantia, magnitudine, multitudine, splendore superantium, Regibus

F 5 Hispa-

a *Chartuitius in vitâ S. Stephani Regis Hungariæ.*
b *Ita vocatus fuit à Concil. ut suprà.*

Hiſpaniarum debitum eſſe fateatur ? Sed nimirùm factis præcellere malunt, quàm nominibus; modeſtiâ morum, quàm titulis honorum : ut, quod religioſius eſt atque glorioſius, non minùs mihi gloriam contempſiſſe, quàm gloriæ meritùm appetiſſe videantur. Et hæc de titulis ſufficiant, ad inſulſam jactantiam hominis iſtius retundendam, qui ex titulo *Chriſtianiſſimus*, qui meritò Chriſtianis venerationi eſt, rebuſque pro fide geſtis, neſcio quam ſupremæ ſuper omnes Reges poteſtatis prærogativam, juſtioremque bellandi cauſam ſomniavit.

## CAPVT XXIX.

*Mens Arroyi exorbitans de* Lege Salicâ *proponitur. Inanitas conatûs ejus.*

VEniamus nunc ad Legem Salicam, Scriptoris hujus Palladium, vi cujus Regum Franciæ auctoritatem, ſupremamque poteſtatem tuetur *a* morem eſſe, quàm cæterorum Regum, juſtioremque ſuſcipiendi belli cauſam effici. Nam iſta duo ſunt, quæ vinculis adamantinis ex Lege Salicâ ſequi ac dependere profitetur. Hinc nullius Hiſpanicæ Metaphyſicæ ſubtilitate vim argumenti, quod ex hac Lege petitur, enervari frangique poſſe putat. Lex enim Salica, ut ipſe citat *b*, ex titulo de matrimonio, iſta eſt: *De terrâ verò Salicâ nulla portio hereditatis mulieri veniat, ſed ad virilem ſexum tota terra & hereditas perveniat c*. Quâ lege ſancitur; ut Regia auctoritas, inquit ad ſucceſſores

a FOL. 69. Tant y a, on ne peut ſe defendre de cet argument : i'en deffie tous les Eſpagnols, qui ſont ſi grans Metaphyſiciens, ſi on n'apporte une loy ſuperieure, &c.

b *Apud Arroyum ſol. 67.* c *Vide fol. 67. & 68.*

cessores [a] masculos, majoris firmitatis ergò, tanta transmittatur, quanta in prædecessoribus fuit, exclusis omnibus extraneis, propter quos excludendos lex ista est condita. Cùm igitur Ludovicus decimus tertius Carolo Magno, cæterisque Regibus, masculinâ serie succedat; *eadem est in ipso auctoritas*, seu *idem jus*, quod in Carolo Magno fuit: sed hujus auctoritas sive jus in universam Germaniam, Italiam & Hispanias se porrigebat: igitur & Ludovici decimi tertii. Hanc igitur Legem, tamquam ex quâ tota Regum Francorum auctoritas & jus pendeat, immutabilem, omnibus telis inconcussam, omnibus tormentis inexpugnabilem reddere conatur, utpote quam [b] *naturalem, divinam, æternamque* legem sine tergiversatione agnoscere debeamus, omni lege *connubiali, testamentariâ, donatione, apochâ, præscriptione* superiorem. En tibi, Lector, mysteria Salicæ Legis arcana, abstrusa hactenus nec fado quidem Politicis aut Theologis audita. Lex ista naturalis, divina, æterna: hinc auctoritas Regum Franciæ super omnes Reges, hinc potestas in omnia penè Europæ Regna, hinc belli pacisque jura religata sunt. Hæccine monstra cogitationum, Arroye, ascendunt in cor tuum, & non perturbant frontem tuam?

Sed antequam de præclaris illis tuæ Salicæ Legis elogiis, natura, vi, ut ea tu depingis, quid-



[a] FOL. 68. L'auctorité de Charle Magne, qui a esté sur l'Alemagne, sur l'Italie, & sur les Espagnes, doit estre en Louis le Iuste. Ie le monstre clairement par la vertu de la loy Salique, &c.

[b] FOL. 70. On ne trouvera jamais une loy superieure à la nostre, qui l'ait ruinée: car elle est divine, eternelle, naturelle, & juste, selon le droit des gens.

ET FOL. 78. Doncques la loy Salique n'est pas seulement juste, mais eternelle.

ET FOL. 81. Or ces loix humaines ne sont pas au dessus de celle qui est si divine & eternelle.

ET IBID. D'ailleurs ces loix humaines, desquelles nos ennemis se peuvent prevaloir, sont loix de mariage, testamentaires, de donations entre vifs, de prescriptions : tout cecy sont de petites toilles d'aragnés.

quam dicam, attende, quæso, quàm levi impulsu universa machina tam operosa, quam struxisti, tota irrita & cassa corruat, nec aliud nisi crepundiorum instar puerilium, inanem strepitum excitet. Ecce nego ex Lege Salica tua majorem Regi Franciæ auctoritatem, sublimiorem potestatem, jus prægnatius in ulla Regna, vel Provincias accedere, quàm si citra Salicam Legem, jure successionis aliis Regnis usitato, etiam feminæ succederent. Veritas ista tibi ipsi, Arroye, velis nolis ineluctabilis est, nisi Regum tuorum auctoritatem, & potestatem, & jura, quæ tu Coronæ Franciæ indissolubili vinculo unita esse putas, uno ictu letali interempta velis. Quid enim; quando prisci Franciæ Reges masculâ prole destituti, non jure Salicæ successionis, sed adoptionis Regna sua transtulerunt, ut Guntranus, Rex Aurelianensis, in Childebertum, istâ verborum formulâ, *a Peto, ut hic nepos meus mihi sit filius: una nos parma protegat, unaque hasta defendat*; an auctoritas, potestas, & jura Regia, si nulla fuisset Lex Salica, diminuta transivissent? Et quando Odo *b*, non heres sanguinis, electus & consecratus fuit Rex, contra Salicam sanctionem; ideóne auctoritas, potestas, & jura Regia decolorata transierunt? Et quando Pipinus *c*, suppresâ penitus stirpe Merovingicâ, adhuc vivente, & Capetus Carolinâ, non jure successionis, sed electionis, Regno cum consensu omnium inaugurati sunt; ideóne minori auctoritate, potestate aut jure regnarunt? Quid, si etiam omnes rami sanctæ arboris Ludovici, ut Valesius nuper, ita & Bor-

a *Greg. Tur. lib. 5. cap. 18.* b *Otto Frising. lib. 6. cap. 10.*
c *Aimoin. lib. 5. c. 42.*

Borbonius, exarefcerent, quod de Merovingica familia & Carolina experti fumus; ideóne auctoritas Regum languidior, poteftas depreffior, jura Regia in aliquo labefactata cenferentur? Non arbitror, Arroye, nec arbitrabitur in Frãcia, quifquis tantillo acutiùs, quàm tu, fapit. Nimis pinguè de rebus iftis philofopharis. Auctoritas, & poteftas, & jus in Regna extranea, quod Regibus tamquam Regibus competit, non à mafculinæ ferie fucceffionis pendet. Nam five mafculi, five feminæ, fucceffione, adoptione, electione, vel aliâ quâcumque legitimâ tranfmiffione Regnorum fceptra fufcipiant; eâdem auctoritate, & poteftate, & majeftate, & juribus regnat, quifquis regnat, ac fi ex Salica Lege fuccederet. Quafi verò in Romano Imperio, & in Regno Poloniæ, ubi electio Imperatores & Reges facit; vel in Regno Hifpanico, & Anglicano, ubi & feminarum fucceffio locum habet, non eâdem prorsùs auctoritate, & poteftate, & alio quocumque in exteras Provincias jure potirentur, quo majores eorum potiti funt; haud fecùs atque ea ad Reges Franciæ integra à majoribus illibataque transferuntur. Regni, Arroye, non Regis jura funt, maximè juxta te, quæ fucceforibus majores tradunt. Coronæ, quæ nec oritur nafcente Rege, nec moriente moritur, auctoritate, poteftate, majeftate ac juribus fruitur, quifquis quacumque legitimâ fubftitutione, maximeque fucceffione, five mafculus fuerit, five femina, ad illum apicem dignitatis admovetur. Quâ enim poteftate primi populorum Rectores à Republicâ in illo majeftatis, & poteftatis, & auctoritatis culmine, jurifque plenitudine, five in Rempublicam, five in alias etiam exteras plagas ei con-

junctas, constituti sunt; eâdem etiam quâcumque probatâ, sive masculinâ, sive femininâ successione, sive etiam electione, Regnorum auctoritas suis numeris absoluta transmittitur. Sic Abbates, sic Antistites, sic Pontifices, non minùs nunc electione, quàm olim carnali masculorum successione, totâ præcedentium auctoritate, potestate, jure potiuntur. Quæ cùm sint plana, lippisque & tonsoribus nota, quid opus nescio ex quibus abstrusis Salicæ Legis antris tantâ falsitatis admixtione tenebrosis, Principalem auctoritatem in successores, perpetuaque coronæ jura proferre? Nimirum, ut imperiti ad Salicæ Legis nuncupationem attoniti, nescio quam mysteriosam præ cæteris Regibus potestatem, & jura in vicinorum Regna Provinciasque somniarent, & quasi pro tuendis aris & focis præcipites in arma ruerent. Huc enim tota ista ambitiosa & insidiosa spectat oratio: huc illi aculei, in Francorum animos hìc illic sparsi, quibus ad recordandum Salicæ Legis, & unctionis, & oblitorum rancidorumque jurium stimulantur.

## CAPVT XXX.

*Deteguntur errores ac deliria Arroyi de Lege Salicâ.*

CVm igitur tam inaniter lacertos tuos exserueris, ut neque stante Lege Salicâ, quæ solis masculis sceptrum defert, Frãcorum jura in extraneas terras juventur, neque cadente lædantur; sed potiùs, feminis in Francia sceptrum hereditantibus, roborentur; quidquid illâ de lege disputasti, tamquam somnium ægrotantis contemni poterat.

Sed

Sed ne infirmitate te potiùs, quàm judicio preteritum conquueraris, non gravabor nonnulla capita in tui gratiam perstringere, ut, quid de te sentire debeas, vel ipsi tibi, si aliquid luminis tibi reliquum est, vel certè aliis elucescat.

Primùm itaque, quòd tamquam Legem Salicam illa verba profers *a* : *De terra verò Salica nulla portio hereditatis mulieri veniat, sed ad virilem sexum tota terra & hereditas perveniat* ; vi cujus masculi soli Franciæ sceptra moderentur, perspicuè falleris. Lex illa non de Regno, & juribus ejus, sed de privatorum successione tractat. Loquitur enim, ut ex ipso titulo liquet, de *allodiis*, quæ juxta Iurisperitos cum jure Coronæ commune nihil habent. Itaque non ignobiles Galliæ Scriptores *b* *crassam ignorantiam* eorum, *erroremq́ popularem* vocant, qui Legem illam Salicam putant pro Coronę successione sancitam. Excute universum Salicarum Legum Codicem, sive à primis illis Consiliariis, VVisogasto, Bodogasto, Salogasto & VVidogasto conditum, sive à Clodovæo, ut volunt, correctum, & à successoribus ejus, Caroloque Magno, meliori ordine digestum; nullam invenies constitutionem, quæ de Coronæ successione quidquam, vel de juribus ejus sanciat. Ipse Legum prologus satis ostendit, eas ad privatos in officio, pace & concordia continendos, latas esse. Quamobrem quòd masculis masculi in Regnum Franciæ ab initio huc usq; successère, potiùs consuetudini, vim legis obtinēti, quàm Legi Salicę; vel certè Legi Salicæ à privatis, quos illa cōstringebat, per

a FOL. 67. b DV PLAIX PROLOG. 5. Leur ignorance est bien plus grossiere en ce, qu'ils ont creu que la loy Salique fust establie pour la succession de la Couronne, &c.

ET PLVS BAS: Partant c'est un erreur populaire de rapporter à la loy Salique la preference des masles aux femelles en la succession du Royaume.

per similitudinem ad Regni successionem translatæ, tribuendum est; utpote quæ multò potiorem in Regno, quàm in allodiis, vel feudis, rationem habere videbatur.

Secundò, quòd hanc legem latam esse dicis *a*, *ut extranei* seu *allophyli à sceptro arcerentur*, falsum est, & à te confictũ. Extranei sæpenumerò in Franciæ Regno rerum potiti sunt. Testis est Ægidius Romanus, qui Francis non invitis octo annos, fugato Childerico, præfuit. Testis Pipinus, qui, auctoribus *b* Galliæ Scriptoribus, ex Senatorio Romanorum sanguine per Ansbertum Principem Austrasium oriundus fuit. Testes Odo, & Robertus, cõsecrati Reges. Testis denique Hugo Capetus, viginti octo Regum parens, quos tres Saxonici generis fuisse, vel certè ex prisca Gallorum stirpe, non Francorum, Scriptores multi tradunt: ut sanè, si allophyli Reges esse nequeãt vi Salicæ Legis, Regibus legitimis à nongentis ferè annis, contra tuam Salicam Legem, carueritis. Itaq; non extranei seu allophyli à Regno, sed feminæ vi Salicæ istius Legis exclusæ sunt, quemadmodum ex ipsis verbis perspicuum est. Vera legis ratio duplex fuit Una, quòd sexus masculinus majori prudentiâ, fortitudine, auctoritate polleat, ad Rempublicam administrandam necessariis. Altera, quòd primi Franci, cùm Galliam subegissent, masculâ sibi virtute opus esse cernerent, ad tuendum armis, quod armis comparaverant. Quòd si non alia fuisset legis ad feminas arcendas ratio, quàm ne allophyli sceptro potirentur; quid expeditius, quàm

a FOL. 66. Si cette loy n'a pas voulu, qu'un estranger regnast dans l'Empire des François.

b *Paul. Æmil. lib. 1. De Saincte Marthe, Scipion du Plaix.*

quàm ut eâdem lege ad nubendum Francis homophylis feminæ cogerentur?

Tertiò, quòd Salicam Legem infringendam dicis, si alienigena sceptrum obtineret, falsum est. Non est apiculus in istâ Salicâ, quam retulisti, sanctione, quæ masculum alienigenam Regem Franciæ esse vetet, si Rex Francorum fortè sine liberis defungatur, vel liberos habeat, deficiente Regiâ stirpe Francorum, ad sceptrum regendum inidoneos.

Quartò, alienigenam Francis imperare *a Moysaica legi contrarium*, ideoque cavendum esse tradis. Error est, vel delirium. Quis ita peregrinus est in Ierusalem Christianâ, qui nesciat, neque Francos, neque Hispanos, neque ullos omninò Christianos judicialibus Iudæorum legibus adstringi: multaque à Christianis Regibus rectè usurpari, quæ Judaicis vetabantur? Nisi fortè libertatem Christianam in veteris legis abolitam redire servitutem velis. Quasi verò lex Moysaica Reges illos Christianos premat, qui aliâ, quàm Salicâ, utuntur successionis lege: vel sanctionibus ejus Frãcorum Reges premantur, ne uxores alienigenas ducant, vel, ne *multiplicent sibi equos b*, ut Deuteronomium jubet; vel, ut sibi *describant Deuteronomium, legantque omnibus diebus vitæ suæ*, aliaque sexcenta, quæ Judaicis Regibus præscribebantur.

Quintò, Legem Salicam ais esse *naturalem c*. Nihil falsius. Omnium Theologorum sensus est, legem naturalem ab humana distinctam esse. Ipse sanctus Thomas te retundat, quem toties iniquissimè

a FOL. 68. Vn estranger regneroit sur l'autre ( partie du Royaume ) qui est contre la loy Salique, & la loy de Moyse.

b *Deut.* 17

c FOL. 70. Elle est divine, eternelle, naturel, & juste, selon le droit des gens.

ſimè vaniſſimeque Doctorem tuum nuncupas *a*: *Ex præceptis legis naturalis, quaſi ex quibuſdam principiis communibus & inde monſtrabilibus, neceſſe eſt ratio humana procedat, ad aliqua magis particulariter diſponenda. Et iſta particulares diſpoſitiones adinventa ſecundùm rationem humanam dicuntur leges humanæ.* Quis enim niſi inſipiens dicat, legem Salicam eſſe principium commune, & indemonſtrabile? aut quis neſciat, eam, ſi aliqua talis eſt, ſecundùm rationem humanam à primis Regibus, vel ſapientibus eorum Conſiliariis, adinventam eſſe? Nec ipſe negas, quando dicis *b*, *Priſcos Francorum legiſlatores ita ſanxiſſe.* Quomodo ergo naturalis eſt, ſi homines eam ſanxerint? Nónne omnium doctorum judicio, lex naturalis, inſtar proprietatis naturæ rationalis, cum ipſa, & viſceribus ejus impreſſa naſcitur? Unde Auguſtinus *c*: *Furtum certè punit lex tua, Domine, & lex ſcripta in cordibus hominum, quam ne ipſa quidem delet iniquitas.* Et libr. de Serm. Dom. in monte *d*: *Quis ſcribit in cordibus hominum naturalem legem, niſi Deus?* Deinde, nónne, quòd iſta terra mea vel tua ſit, maſculorum vel feminarum, lege humanâ factum eſt? *Vnde quiſque*, inquit Auguſt. *e poſsidet quod poſsidet? nónne jure humano? Tolle jura Imperatorum: & quis audet dicere, Mea eſt iſta villa, aut, Meus eſt ille ſervus.* &c? *f Per jura Regum poſsidentur poſſeſsiones.* Quomodo ergo Lex Salica, quâ terra maſculis tribuitur, poteſt eſſe naturalis? An & illa Salica Lex naturalis eſt, quâ feminis res familiares, ſupellex, &

ET FOL. 74. Elle eſt naturelle, puis que naturellement, &c.

a 1.2.*q*.91. *art*.3.

b FOL. 66. La raiſon, pourquoy les anciens ſages legiſlateurs des François l'ordonnerent ainſi, fuſt, &c.

c *Aug.lib.2.Confeſſ.* d *Aug.de ſerm. Dom.c.9.*

e *Tract.6.in Ioan.* f *Ibid.*

& hujuſmodi conceduntur? Cùm verò nemini dubium ſit, naturalis legis violationem eſſe peccatum, an ceteras Reſpublicas & Monarchias, quotquot non utuntur Salicæ ſucceſſionis lege, contra legem dices peccare naturalem? Perge porrò, Arroye, adde & hoc paradoxis tuis, ut, abſolutâ comœdiâ, cum ſibilo pueri poſſint plaudere.

Sextò addis, eam eſſe *a legem gentium*, eò quòd lex gentium ſit, quæ ad *ſolos homines*, inquis, *pertinet*, non ad cætera animantia. Et ad illam inſulſam abſurditatem tuam cõprobandam etiam D. Thomam obtorto collo trahis. S. Thomas *b* ad ſolos quidem homines jus gentium pertinere teſtatur: ſed non ita ineptus eſt, ut quamcumque legem, ad ſolos homines pertinentem, legem gentium eſſe putet. Nam in eodem loco exſertè adducit ex Cajo Juriſconſulto *c*: *Quod ratio naturalis inter omnes homines conſtituit, id apud omnes homines, ſive gentes, cuſtoditur, vocaturque jus gentium.* Legémne Salicam inter omnes natura conſtituit? apud omnes homines illa cuſtoditur?

Septimò, eſſe *d legem divinam*, eò quòd *ſit naturalis*, inquis, *& ſingulariter à divina derivetur*: tum quòd Sapientia dicat, *Per me Reges regnant, & legum conditores juſta decernunt*: tum quòd eam *Deus ipſe per os Moyſis inſtituerit*. Quot ſententiæ, tot lapſus, Theologe miſerabilis. Lex Salica non eſt naturalis, non eſt à Deo per os Moyſis inſtituta. Alia lex eſt, quã Deus per Moyſem, ac de ſolis Iudæorũ

Regi-

a FOL. 74. Partant eſtant naturelle & des hommes, elle eſt des gens.
FOL. 72. Elles ſont dites loix des gens, quand elles appartiennent ſeulement aux hommes.

b 2.2 *q. 57. art. 3.* c *l. 9. D. de juſt. & jure.*

d FOL. 74. Elle eſt divine, en tant qu'elle derive particulierement de la divine providence, & qu'elle eſt naturelle: elle derive de la divine providence, 1. Parce que les Rois regnent par icelle. 2. Parce que Dieu meſme l'a eſtabli par la bouche de Moyſe.

*Vide & alia verba paulò antè citata.*

Regibus tulit. Ipse fassus es, & omnes unanimiter auctores, qui de Salicis Legibus aliquid litteris mandaverunt, humanum inventum esse, ab hominibus, Deum verum ignorātibus, Paganis, idololatris institutum. Quid hîc te juvat, quòd per sapiētiam conditores legum justa decernunt? Nónne omnes leges justæ, quibus vel populo, vel Optimatibus, vel Regibus, electione, adoptione, successione, sive masculorum, sive etiam feminarum, gubernacula committuntur, isto modo à divina lege derivantur? Humana quippe ratio scintilla quædam divinæ lucis est, quâ super homines fulgente constituitur, quidquid æquum & justum humanâ legislatoris cujuscumque lege sancitur.

Octavò, esse *a legem æternam.* Adjice, esse Deum; ut nemo imperitorum vim legis æternæ fortè nescientium dubitet, *multas te litteras ad insaniam convertisse b*, erroresque te severâ Sorbonæ censurâ dignos eructare. Quid enim est lex æterna, nisi ipse Deus? Omnium namque Theologorum consensu, S. Thomę concinentium *c, lex æterna est oratio divinæ sapientiæ, secundùm quod est directiva omnium actuum & motionum.* Ratio verò divinæ sapientiæ nihil est nisi sapientia Dei, atque ipse Deus. Quamobrem S. August. *Lex æterna est*, inquit *d, ratio divina, vel voluntas Dei, ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans.* Quantæ igitur dementiæ est, Legem Salicam etiam æternam perspicuis verbis appellare; & quidem excogitatis argumentis probare *e, quòd æterna esse debeat?*

Nam

a FOL. 78. La loy Salique n'est pas seulement juste, mais eternelle. *Vide suprà.*

b *Act.* 26. c 1. 2 *q.* 93. *a.* 1. *in corpore.* d *l.* 22 *cont. Faust. c.* 27.

e FOL. 75. Que la loy Salique doivet estre eternelle, il se preuve, parce qu'elle derive de l'eternelle, divine, &c.

Nam quòd lex Salica nonnihil in suo genere de æterna lege participat, adeoque data est, ut publicum bonum perseveret, nemo, nisi insigniter delirare velit, satis esse dixerit, ut propterea etiam æterna nuncupetur, ac sit. Etenim omnibus justis legibus convenit, ex æterna lege, sicut radios à Sole fluere, & commune bonum perpetuâ, quantum fieri potest, stabilitate munire. Quibus tamen cùm nihil vetet, per novas leges, & consuetudines, & contractus, & præscriptiones, & hujusmodi, fieri præjudicium, ut vel certis casibus fortiori cedant, vel etiam hominum voluntate prorsus intereant: ita nihil accidet impossibile aut inusitatum, si & lex Salica subinde multas patiatur exceptiones, quemadmodum secundùm principia tua nonnullas passa est, legibusque aliis & consuetudinibus fortioribus paulatim irrepentibus concedat locum, justis præscriptionibus cedat, aliâ humanâ potestate aboleatur. Quidquid enim humanâ potestate constitutum est, nihil absurdum, si humanâ potestate destruatur.

Cùm igitur tantâ dexteritate atque soliditate, quantâ vidimus, argumentum tuum ex *unctione* Regum Franciæ, ex *curatione strumarum*, ex elogio *Christianissimi*, ex *Lege Salicâ*, tam scilicet naturali, tam divinâ, tam æternâ, texuisses, concludis acutissimè solidissimeque *propositionem tuam*, quâ dixeras a, *Supremam Regum Francorum potestatem majorem esse, quàm cæterorum Regum totius orbis, esse indubitatæ veritatis.* Cùm quilibet potiùs, cui est mens sana in corpore sano, concludendum esse videat, penè totum, quod illis de rebus incomparabili

a FOL. 53. Ma propofition doncque eft indubitable, par laquelle je difois, que l'autorité fouveraine des Rois de France eft plus grande, que celle des autres Rois du monde, &c.

nititur, Salicâ videlicet successionis Lege, in omnia omninò, quæ majores Francorum armis sibi subegerunt; unio istorum omnium ad Coronam Franciæ; jus gentium, quod ipse prædicat, aliaque singularia in singulos quosque existimata jura, neminem istorum sinunt esse securum. Videamus igitur, quibus cardinibus vertatur vastæ & inauditæ prætensionis hujus immanitas.

Prima & capitalis ratio est *a Salica Lex* : vi cujus masculi soli majoribus suis in omnia sibi transmissa jura succedunt. Quæ lex semper, inquit, in usu Francorum fuit, quàm diu memoria eorum in monumẽtis reperitur: atqui Ludovicum XIII. *b* masculinâ serie ex Carolo Magno propagatum esse, ex auctoribus liquet: ergo in omnia Caroli Magni & successorum jura succedere debet. Ecce totam argumenti vim breviter comprehensam. Sed nonnulla istorum tot difficultatibus implexa sunt, vel potiùs tam perspicuè falsa, ut, si causa ex illo principio religata pendeat, nihil proclivius sit, quàm ingentem illum promissoris hiatum solidâ veritatis demonstratione frustrari, totamque prætensionum segetem uno ictu succidere.

Et quamvis non multum intersit ad hujus causæ victoriam, ut Scriptor iste putat, utrùm masculi, an etiam feminæ in sceptrum Franciæ jure succedant, omniumque bonorum paternorum heredes sint, ut jam suprà satis superque declaravimus; operæpretium tamen est ostendere, legem illam successionis, quâ masculos terræ Salicæ à majoribus relictæ heredes esse cõstituitur, eo sẽsu (sicut

a *Fol. 86 87. 88. & 89.*
b Louis le Iuste aujourd'huy regnant vient de tous les Rois ses predecesseurs par la voye masculine selon la mesme loy, &c. FOL. 87.

(ſicut iſte ſentit) ut non ſolùm feminæ, ſed etiam maſculi extranei per illam excludantur, non ita ſemper inter Francos obſervatam fuiſſe, quin quoties vel Regno vel Proceribus potentioribus uſu venerit, legem iſtam formamque ſucceſſionis immutaverint. Argumento ſunt exempla manifeſtiſſima. In ipſis Regni exordiis, jam inſtitutâ Salicâ Lege, Childericus maſculus Regno pellitur, &, prętermiſſis omnibus conſanguineis ejus, hoc eſt, filiis Clodionis, patris ejus, in quos, vel poſteros eorum, poſtea Clodovæus ſævìit, Ægidius Romanus Procerum conſenſu ei ſubſtituitur, nullâ Salicæ Legis habitâ ratione, multoſque annos Francis pręfuit, & in hunc fortè diem in poſteritate ſua præfuiſſet, niſi domeſticorum proditione periiſſet *a*. Quid? Childericus III. & Carolus Dux Lotharingiæ, nónne veri ex illâ Salicâ lege heredes erant? Nónne alter, non exſpectatâ ampliùs liberorum propagatione, tonſus ac depoſitus, alter etiam liberis florens præteritus fuit? Cauſas ſi probas, poſſunt ergo heredes maſculi, cùm Proceribus Regni viſum eſt, Salicâ illâ ſucceſſione dejici, ſi parens diſſolutior, ut Childericus primus; ſi ignavior, ut ille tertius; ſi Francis inviſus, ſicut Carolus fuit. Si non probas, jam prima familiarum veſtrarum capita uſurpationis & tyrannidis labe afficis. Et ubi jam illa præclara tua diſputatio de *æternitate*, *divinitate*, *naturalitate*, *immutabilitate* Salicæ Legis, adversùs quam nulli cõtractus, nulla donatio, nulla præſcriptio, utpote futiles atque fragiles, *tamquam aranearum tela b*, prævalere queant? Nam, quod deterius eſt, ſecundùm principia

a *Abbas Vrsp. Greg. Turon. in Epiſt. c. 18. & lib. 2. c. 42.*
b FOL. 81. Tout cecy ſont de petites toilles d'aragnée, &c.

cipia tua, utrique & Childerico & Carolo successerunt Principes, quorum neuter Salicus heres erat, & prosapiam suam, ut acceptiores essent Francis, ad Merovingicam & Carolinam stirpem ex sola feminarum propagatione referebant.

Quòd si ad aliorum Principatuum successionem oculos convertamus, quæ non minùs, quàm ipsius Regni, Salicâ illâ Lege gubernari debet; non rarò etiam feminæ terrarum hereditatem, contra præscriptum Salicæ, quam protulisti, Legis adierunt. Ducatum Normandiæ per Mathildem, matrem suam; per Leonoram verò Guilielmi Aquitaniæ Ducis heredem, uxorem suam, Ducatum Aquitaniæ, & Comitatum Pictaviensem, Rex Angliæ Henricus accepit. Frater S. Ludovici Carolus, cùm duxisset Beatricem Comitis Provinciæ filiam, Comitatum illum adeptus est: alter frater ejus Alphonsus Comitatum Tholosanum, uxore ductâ Raymundi filiâ. Comitatus Burgundiæ filiæ Ducis Othelini Ioannæ tamquam heredi cessit, quâ nuptâ Philippo Philippi Pulchri filio, Coronæ unitus est; rursumq; avulsus, ac Ioannæ Philippi Longi filiæ in dotem datus. Ioanna Henrici Navarræ Regis filia, tamquam heres patris, Philippo Pulchro nupsit, Comitatumque Campaniæ & Briensem in dotem attulit, qui ex illo temporæ Coronæ affixi manent. Quæ satis perspicuè probant Legem Salicam, prout illam explicuisti, tam in capite, quàm in membris, hoc est, tam in Regno, quàm in terris inde dependentibus, sæpenumerò esse violatam.

# CAPUT XXXII.

*Ludovicus decimustertius non est ortus ex stirpe Clodovæi masculinâ serie, & ita non ex omnibus Regibus prædecessoribus suis.*

SEd quia parum ad præsentem causam interesset, dum constaret, Ludovicum XIII. reverâ præcedentibus Regibus masculinâ procreatione succedere, ad alterum caput accedamus, quo Arroyus confidenter dicit, eum *ex omnibus Regibus prædecessoribus suis masculinâ serie propagatum esse* a.

Ubi mihi sine temeritate multò confidentiùs dicere posse videor, duobus ex capitibus hoc perspicuè esse falsum, idque tantâ certitudine, quantâ in rebus historicis jure à pervicacissimo quoque postulari possit. Ludovicus enim decimustertius Clodovæo succedit; ex cujus tamen progenie masculina constat eum nullo modo esse procreatum. Nam Historici uno ore testantur, Regnum Francorum ex Merovingica stirpe, cujus erat Clodovæus, ad Carolinam esse translatum; neque tamen Carolus Magnus, neque Pipinus Brevis, pater ejus, ex illa stirpe procreati sunt; multò minùs Ludovicus decimustertius, cujus prosapiam in Carolum Magnum usque subvehere conaris. Hanc Regni ex unâ familiâ in aliam translationem disertis verbis asserunt Annales Francorum b: *Hildericus Rex, qui ultimus Merovingorum Francis imperavit, depositus, & in Monasterium missus est: Pipinus verò*

a FOL. 87. *Vide verba paulò ante citata.*
b *Annal. Franc.*

*verò Regni honore sublimatus*, &c. Hoc idem testatur iisdem ferè verbis Marianus *a* Scotus. Hoc Otto Frisingensis *b*: *Pipinus, detonso Hilderico, & in Monasterium detruso, postmodum in Regem ungitur. Hic Merovingorum Regno finito, Carolinorum*, &c. *cœpit*. Hoc Andreas Sylvius *c* in Synopsi Merovingica, quam à quadringentis annis scripsit: nam ad Pipinum veniens, *Hic*, inquit, *est finis regni Merovingorum*. Hoc VVernerus Rollevvinck *d*, de Zacharia Papa loquens: *Regnum illud famosissimum transtulit de veris heredibus ad genus Pipini*. Hoc Paulus Æmilius *e*, qui Pipinum *de Regno transferendo à magni Clodovæi stirpe*, apud Pontificem verba fecisse scribit: *unumque Childericum Regem, aliquam fuisse magni Clodovæi sobolem, sine liberis*, cùm Pipinus Rex renuntiatus fuit. Hoc ante omnes istos profitetur Eginhartus, Caroli Magni Scriba, Pipino coætaneus *f*: *Gens Merovingorum, de qua Franci sibi Reges creare soliti erant, usque ad Hildericum Regem, qui jussu Romani Pontificis depositus, ac detonsus, atque in Monasterium trusus est, durasse putatur. Quæ licet in illo finita posit videri, tamen jam dudum nullius vigoris erat*. Ubi quòd languidis illis utitur vocabulis, *putatur, finita videri possit*, causa est, quòd Pipinus, ut populo Francorum esset gratior, videri vellet saltem per feminas ex illorum Regum stirpe satus. Nam alioquin sanguine masculino Romanus erat, ex stirpe Senatoria, ut Galli qui-



a *Marianus Scotus in Chronic.*

b *Otto Frisingens. lib. 5. cap. 23.*

c *Andreas Sylvius, lib. 1. Synops.*

d *VVernerus Rollevvinck in Fascic. tempor.*

e *Æmilius libr. 2.* f *Eginhartus in vitâ Caroli Magni.*

dam *a* Scriptores notant. Hoc deniq; magno consensu tradunt recentiores, Ioannes Tilletus *b*, qui dicit hoc necessariò esse confitendum; Claudius Fauchetus *c*, Belleforestus *d*, du Haillan *e*, Ioannes de Serres *f*, Scipio *g* du Plaix, aliique plurimi: quorum plerique magnum aliquid se Pipino tribuere putant, quòd eum femininâ saltem serie ex Clodovæo descendisse commendant. Nam scriptor *h* Vitæ S. Arnulphi, Andreas Sylvius *i*, itemque vetus quoddam Chronicon *k* sancti Martialis Lemovicensis, quo fortè Nangius adjutus fuit, prosapiam ejus ex Blithilde filia Clotharii, nempe secundi, vel rectiùs primi, trahit. Hæc enim ex marito suo Ansberto genuit Arnoldum, Arnoldus Arnulphum, qui, mortuâ uxore, Episcopus Metēsis fuit, Arnulphus Anchisum, hic Pipinum cognomine Grossum, Pipinus Carolum Martellum, Martellus Pipinum, primum Carolinæ familiæ Regem: quam genealogiam & Paulus Warnefredus *l* in serie Episcoporum Metensium agnoscere videtur. Vides igitur, Arroye, quantâ temeritate contra antiquorum Scriptorum fidem dicas, Ludovicum XIII. ex omnibus Regibus, prædecessoribus suis, masculinâ serie descendere. Hoc itaque est primum, quod dixi, falsitatis caput.

C A-

a *De Saincte Marthe.* b *Ioannes du Tillet.* c *Claud. Fauchet. lib 6.* d *F. Bellefor. in Pipino.* e *Bernard. du Haill. in Pipino.* f *De Serres.* g *Du Plaix.* h *Geneal. S. Arnulphi.* i *Andreas Sylvius in Synopsi.* k *Chronic. Lemovic.* l *VVarnefred. de Episcop. Metens.*

## CAPVT XXXIII.

*Scriptores tam antiqui quàm recentiores tradunt, Hugonem Capetum, & Ludovicum XIII. non esse satum ex progenie Carolinâ per masculos.*

ALterum falsitatis caput est, quòd non minùs perspicuè falsum sit, eum ex Carolo Magno, quemadmodum tu maximè cōtendis, masculorum procreantium serie esse propagatum. Sed ut nubem quamdam densissimam testium, paradoxam illam assertionem tuam jugulantium, à te avertas, aliquos esse dicis *a*, qui seriem illam, in Hugone scilicet Capeto, interruptam esse tradant, sed celebriores esse, qui tecum sentiant. O fidem qualiumcumque Theologorum! Itáne verò aliqui sunt, qui catenam propagationis Carolinæ per masculos fractam scribant, & celebriores, qui tecum negent? Veniam mihi dabis, Lector, si suis verbis loquentes antiquos novosque auctores proferam, qui uno ore Carolinum genus in Ludovico V. defecisse, & in aliam familiam Francorum Regnum translatum esse, testantur. Quid enim aliud significat scriptor perantiquus Glaber Rodulphus, Capeto pænè coætaneus, quando de Lothario & Ludovico, Capetum præcedentibus, dicit *b*, *In his duobus Regale seu Imperiale illorum genus regnandi finem fecit?* Et rursum, cùm alibi dicit *c*, *Finitum esse tam regnādi, quàm imperandi apud Italiam & Galliam magnorum Regum genus, ac sui generis cæterorum Regum?* Quid aliud significat



a FOL. 87. Il est vray, qu'il y en a des Historiens, qui ont escrit, que la loy a esté interrompue; mais aussi en y a il, & des plus celebres, qui soustiennent, & tesmoignent le contraire.
b *Glaber libr. 1. c. 2.* c *cap. 3.*

gnificat antiquus quoque scriptor, Continuator Aimoini *a*: *Eodem anno unctus est in Regem in Remensi civitate Hugo Dux. Hîc defecit Regnum Caroli Magni?* Et adhuc clariùs, quando Robertum, Hugonis Capeti avum *b*, *virum Saxonici generis* vocat. Quid aliud significant Gesta Francorum, ab Ivone Carnotensi in Epistolis introducta, in quibus similiter dicitur *c*, *Robertum Comitem Andegavorum*, ex quo Hugo Capetus propagatus est, *fuisse Saxonici generis?* Quid aliud significat ipsemet Ivo Carnotensis, quando dicit *d*: *Ludovicus captus à Francis Lauduni interiit; sicque progenies Caroli Magni defecit. Hugo filius Hugonis Capeti* (fortè Capetus) *Rex Francorum XXIX. regnavit annis decem?* Quid aliud significat auctor Genealogiæ S. Arnulphi ex Metensis scholæ membranis erutæ, quando dicit *e*: *Hoc* (Ludovico) *mortuo sinè liberis, translatum est Regnum ad Hugonem Capet, filium Hadevvidis?* Quid aliud significat Fragmentum quoddam historiæ ex antiqua membrana Floriacensis cœnobii in lucem a Pithœo editum, quando dicit *f*: *Ita*, mortuo scilicet Ludovico V. *Francorum Regum secundâ deficiente lineâ, Regnum in tertiam est translatum?* Quid aliud significat Andreas Sylvius in Synopsi ante quadringentos annos exaratâ, quando dicit *g*: *Eodem anno unctus est Hugo Dux in Regem: & hîc deficit progenies Caroli Magni?* quod paulò superiùs etiam pluribus declaraverat. Quid aliud significat Fragmentum historiæ de vita Ludovici VIII. ab Anonymo quodam antiquo scriptum, quando

a *Continuat. Aimoini lib. 5. c. 44.* b *c. 41.*
c *Apud Ivonem epist.* 70. d *Ivo Carnot. in Chronico.*
e *Geneal S. Arnulphi.* f *Fragmen. histor. Flor. cœnobii.*
g *Andr. Sylv. in Synopsi Merovingica.*

quando dicit *a: Hugone Caputio, Comite Parisiensi, & Duce Francorum Regnum invadente, translatum est de genealogia Carolorum in progeniem Comitum Parisiensium, qui de genere Saxonum processerunt?* Quod iterum iterumque ibidem repetit. Quid aliud significat Platina, quando in Gregorii V. Vita dicit *b: In Ludovico, Lotharii filio, genus Caroli Magni defecerat, Regnumque illud ad Hugonem Ducem, cognomento Caputium, venerat?* Quid aliud significat VVernerus Rollevvinck, quando dicit *c: Carolina stirps ejicitur de Regno Franciæ, & Comes Parisiensis arripuit Regnum circa hæc tempora?* Quid aliud significat Hermanus Scheidelius in Chronico, ante sesquisæculum circiter conscripto, quando dicit *d: Ludovico IV.* (alii Quintum esse volunt) *ejus nominis Francorum Rex & ultimus ex Caroli Magni genere natus,* &c. *Hugoni strenuissimo militi ex testamento Regnum & uxorem donat?* Quid aliud significat Ioannes à Leydis, Trithemio Abbati Spanheimensi coætaneus, quando dicit *e: Ludovico post tres annos Regni sui sine liberis defuncto, terminatâque in eo lineâ Caroli Magni, quantum ad Regnum Franciæ,* &c. *usurpat iterum Regnum Francorum Hugo Capetus?* Hoc ipsum tradūt & alii unanimiter; Nauclerus, quando dicit *f, translatum esse Regnum* à Ludovico *ad Capetum*; nimirum quia à stirpe in stirpem Regnum translatum fuit. Hoc ipsum tradit Sabellicus *g: In Ludovico, Lotharii filio, Caroli Magni gens defecerat, Regnumque ad Hugonem venerat, cognomento Caputium.* Et paulò inferiùs de Roberto, Capeti filio, addit: *Robertus primus bonis artibus Gallorum & cætera-*

 *rum*

a *Fragment. hist. Ludovici VIII.* b *Platina in Greg. V.*
c *VVerner. in Fasc. temporum.* d *Herman. Scheidel. in Chronico.*
e *Ioan. à Leydis lib. 7. Chron. Belgic. c. 14.* f *Nauclerus Gen. 33.*
g *Sabellicus Ennead. 9. libr. 2.*

*rum gentium studia de Caroli Magni stirpe ad novitatem sui generis traxit. Et cœperant non tantùm novum in Rege genus pati, sed novorum etiam virtutes mirari.* Hoc ipsum tradit Chronicon magnũ Belgarum *a: Cùm Ludouicus ultimus de stirpe Caroli Magni uno anno regnasset in Francia, veneno mortuus est. Et sic Regnum Galliæ à Caroli Magni familia post annos 237. ad familiam Comitum Parisiensium transfertur.* Hoc ipsum tradit Massæus in sua multiplici Chronicorum historia *b: Defuncto Ludovico, patruus ejus Carolus debebat succedere: sed Hugo Capetus Comes Parisiorum usurpavit Regnum. Et hic primus à stirpe Caroli Magni alienus.* Et infrà: *Quam stirpem Carolinam omninò abolere studuit Hugo.* Hoc ipsum tradit Paulus Æmilius *c: Ludovicus, Lotharij filius, ultimus, qui ex agnatione Caroli Magni Regium nomen gesserit.* Et paulò inferiùs: *Ita tertium stemma (* Hugo Capetus*) in solio locatur, haudquaquam Francis pœnitendum.* Hoc ipsum tradit Ioannes Aventinus in Annalibus Bojorum *d: Hugo nepos ex sorore Imperatoris Ottonis primi, paternam quoq; originem ex Saxonia trahens, Galliam Romanam invadit.* Et aliquantò pòst: *Progenies Caroli Magni, dum pro Germaniæ Imperio decertat, Celtarum quoque Regno exclusa est.* Hoc ipsum tradit Volaterranus in sua Geographia *e: Ludovicus postremus sanè in Caroli familia: cui Hugonem Capetum,* tamquam *tertii generis seu progeniei* caput, successorem subjicit. Hoc ipsum tradit Ioannes Tillius *f: Ludovicus Rex generis Caroli Magni & Francorum postremus.* Et ad Hugonem Capetum transiens, *Tertium*, inquit, *Regum Franciæ genus, quod usque ad nostra*

a *Chronic. magnum Belgic.* b *Christ. Massæus libr.* 15.
c *Paulus Æmil. lib.* 3. d *Ioan. Aventin. libr.* 5. *Annal Bojorum.* e *Raphael Volater. libr.* 3. *Geograph.* f *Ioannes Tillius in Chronico.*

*noſtra tempora regnat.* Hoc ipſum uno conſenſu volunt recẽtiores Franciæ Scriptores Belleforeſtus *a: Iſte*, Ludovicus, *poſtremus ex ſtirpe optimi Regis & Imperatoris Caroli Magni fuit: nullos enim liberos habuit qui ſuccederent, atque ita Regnum Franciæ extra ſtirpem Caroli Magni in genus Hugonis Magni tranſlatum fuit*, quem ex antiquis Gallis oriundum eſſe declarat. Bodinus in ſua Republ. *b Hugo Capetus, intermortuâ Caroli Magni ſtirpe, cùm Præfectus Prætorio opibus & gratiâ plurimùm valeret, Carolum, Lotharingiæ Ducem, qui unus cum Ottone filio ex omnibus Caroli Magni nepotibus reſtabat, de Imperio dejecit.* Ioannes du Tillet in Ludovico V. *c Ludovicus ultimus fuit ſtemmatis Caroli, quod non duravit niſi ducentos trigintaquinque annos.* Et mox maſculinum Capetiorum genus ex Saxoniâ accerſit. Claudius Fauchetus *d: In ipſo* (Ludovico) *defecerunt Reges Francorum ex ſtemmate Carolino, 235. annis, poſtquam Pipinus fuiſſet coranatus Rex à Bonifacio.* Stephanus Paſchaſius, antiquitatũ Franciæ explorator curioſus *e: Hugo Capetus Coronam Franciæ ex familia Caroli Magni ad ſuos tranſtulit*; prolixeque demonſtrat eum ex Saxonica familia propagatum eſſe. Bernardus du Haillan *f: Hugo Capetus ſacratus & unctus fuit Remis: atque ita Regnum Franciæ à ſtemmate Caroli Magni diſtractum eſt, & in novum ſtemma tranſlatum.*



a BELLEFOREST EN LOVYS V. Ceſtuy-cy fuſt le dernier de la lignée du bon Roy & Empereur Charle-Magne: car il n'euſt nuls enfans pour luy succeder, & par ce fuſt le Royaume de France hors de la lignée dudit S. Charle-Magne, &c.

b *Bodin. lib. 4. de Rep.*

c DV TILLET EN LOVYS V. A eſté le dernier de la lignée des Charliens.

d FAVCHET. En luy defaillirent les Roys Francois de la lignée Charliẽne, &c.

e PASQVIER LIV. 6. DES RECHERCHES CAP. 1. Hugo Capet tranſmit aux ſiens la couronne de France de la famille de Charle-Magne,

f DV HAILL. Et ainſi fuſt le Royaume de France diſtrait de la lignée de Charles le Grand, & transferé à une nouvelle race. ET PLVS BAS: Tant y a, que la couronne de France fuſt oſtée de la droitte & maſculine ligne de Charles le Grand.

*latum*. Et infrà, cùm dixisset, aliquos velle, quòd ex parte matris à Carolo Magno procreatus esset, subnectit ista: *Corona Franciæ saltem ex recta & masculina linea propagationis Caroli Magni ablata fuit*. Gilbertus Genebrardus, scripta Chronologiâ celebris *a*: Carolini *etiam ipsi Monarchiam perdiderunt, & in alienam familiam Hugonis Capeti transmiserunt*. Unde *novam & tertiam progeniem* vocat *Comitum Parisiensium*. Michael Nauclerus in sua Monarchia *b*: *Vltimus Regum Franciæ de generosissima religiosissimaque Caroli Magni stirpe Ludovicus hujus nominis quintus fuit*. Et sequenti capite Capetum inducit tamquam *c primum fontem Regum tertiæ radicis atque prosapiæ*: cujus stemma tantùm *maternum*, secutus Nangii Chronicon, ex Carolo Magno deducit. Ioannes de Serres in Inventario suo *d*: *Vt progenies Pharamundi, quæ Romanos pepulerat, è Pipino pulsa fuit, ita Hugo progeniem Pipini expulit*, &c. *Quid enim ad ostendendum, legitimum Regem fuisse Capetum, juvat, quòd ex sanguine Caroli Magni, ex parte matris Haigondæ filiæ Ottonis, Duxis Saxoniæ & Imperatoris, procreatus dicitur? Nam istâ consideratione illa non potuit esse ex stirpe Caroli Magni, quæ citra dubium in Ludovico quarto Arnulphi filio defecerat*. Iacobus Gordonius in Opere suo Chronologico *e*: *Obiit*

a *Genebrard. libr. 4. Chronolog.*

b *Naucler. de Monarch. parte 4. lib. 7. c. 12.*

c *Idem cap. 13.*

d DE SERRES EN SON INVENT. Comme la race de Pharamont fust depossedée par Pepin, ainsi Huges Capet chassa celle de Pepin, &c.
Car à quoy sert pour legitimer la royauté de Capet, de dire, qu'il estoit du sang de Charle Magne du costé de sa mere Avoye fille de Ottho, Ducq de Saxe, & Empereur? Elle en cet egard ne pouuoit pas estre du sang de Charle Magne, qui sans doubte defaillist en Louis IV. fils d'Arnoul.

e *Iacob. Gordon. in opere Chronol. ad annum 987.*

*Obiit Ludovicus Carolinorum Rex ultimus sine liberis. Hugo Capetus fortunâ, viribus, & mortalium studiis superior* ( Carolo Lotharingo ) *evasit primus Gallus Gallorum Rex*; hoc est, ex stirpe priscorum Gallorum, non Francorum, procreatus. Scipio du Plaix in suis Annalibus *a: Ecce secundas vices, quibus Franci fundamentalem Monarchiæ suæ legem infregêre, Regum sceptrum ex manibus naturalium successorum in extraneos tranferendo.* Dionysius Petavius, in historiis perquàm eruditus *b: Postremus è Caroli genere Ludovicus, Lotharii filius. In eo Caroli progenies, ac secunda Regum familia desiit, anno post inaugurationem Pipini ducentesimo tricesimoquinto.*

Sed omnium, quos produxi, testium, & omnium, quos produxisti, tamquam adversantium, auctoritatem superat Venerabilis ille Fulco, Archiepiscopus Remensis, coætaneus tam Corolo Simplici ex Carolinâ stirpe Francorum Regi, quàm Roberto & Odoni, fratribus germanis, ex eodem Roberto Forti natis: quorum Robertus, pater Hugonis Magni, avus Capeti, Odo propatruus ejus fuit. Testis est enim iste Fulco, Odonem, qui tamquam tutor impuberis Caroli, ut majori polleret auctoritate, Rex Franciæ cum solemnibus unctionis ceremoniis consecratus fuerat, à Regia Francorum prosapiâ, quæ tunc inter Francos in solo Carolo Simplice remanserat, alienum fuisse. Nam se excusans apud Arnulphum Trans-Rhenensem Regem, quòd Carolum Simplicem tra-



a SCIPIO DV PLAIX TOM. II. Voicy la seconde fois que les François ont enfraint la loy fondamentale de leur monarchie, en traduisant le sceptre royal de la main des successeurs naturels en vne estrangere.

b *Dionysius Petavius in Rationar. temp. lib. 9. cap. 16.*

tractandis Regni habenis admovisset, inter cætera dicit, se, cùm nullum ab Arnulpho, tamquam Caroli consanguineo, consilium vel consolationem accipere potuisset, coactum Odonis istius dominatum suscepisse a, *qui ab stirpe Regiâ existens alienus, Regali tyrannicè abusus fuerit potestate.* Hinc postea se hoc solùm, quod restabat, egisse, ut eligeret *eum Regem habere, quem solum post ipsum* (Arnulphum) *de Regiâ ipsius habebant progenie, & cujus prædecessores & fratres extiterunt Reges,* hoc est, Carolum Simplicem. Repetit iterùm, quòd, cùm *Regalis culminis successio semper huc usque viguerit, tunc verò ille tantùm Princeps, & hic parvus propinquus ejus Carolus de totâ Regali stirpe remanserint.* Addit denique, *tot jam de alienâ stirpe Reges existere, & adhuc esse plures, qui sibi Regium nomen affectent.* Ad extremum supplicat, *ut hi, qui ex alieno genere Reges extabant, vel existere cupiebant, non prævalerent contra eos, quibus ex genere honor Regius debebatur.* Quibus verbis aliquoties iteratis perstringuntur Odo & Robertus, qui sibi & posteris jam tum, cùm exarescere Carolinum stemma cernerent, ad Regium thronum viam sternebant. Siquidem utrique consecrationem Regiam adepti sunt, & sceptrum Francicum partim rapuerunt, partim tyrannicè moderati sunt. Quòd si Robertus, Capeti avus, & Odo propatruus ejus, germanus Roberti, *à Regia Francorum stirpe alieni* fuerunt, solusque Carolus Simplex in Francia ex illo stemmate superstes erat, quod Fulco Regii sanguinis & juris studiosissimus, & inter primos Regni Proceres, ignorare non potuit, profectò Capetū ex Regiâ Carolinâ stirpe per masculos propagatum esse,

a *Fulco in litteris ad Arnulphum apud Flodoard. lib. 4. hist. c. 5.*

esse, impossibile est. En tibi ultimas, Arroye, Carolinæ prosеminationis fibras radicitùs excisas, ex quibus germen aliquod Capeto, aut ejus posteritati, pullulare potuisset: en jus omne sanguinis ei extinctum, causamque damnatam, antequam nasceretur.

Sed quid opus pluribus? Plerique auctores etiam Hugonis genealogiam texunt, & ad Magnum usque Witikindum Saxonem perducunt, quem Carolus Magnus vix tandem multis præliis domuit. Witikindus enim, inquiunt, filium genuit Witikindum, cui quidam tertium eiusdem nominis adjungunt; Witikindus Robertum fortem, iste Robertum secundum Regem vel tyrannum Franciæ, Robertus Hugonem Magnum, Hugo Magnus Hugonem Capetum. Quæ latius tradunt Ioannes Tilletus, de Serres, Paschasius, du Plaix, locis citatis; ac breviter attingit du Haillan, Franciscus Haræus in Annalibus suis: itemque ex antiquis, Gesta Francorum apud Ivonem Epistolâ septuagesimâ, Continuator Aimoini, Fragmentum historiæ Ludovici Octavi, dum Robertum Hugonis Capeti avum, *Saxonici generis virum* appellant, Andreas Syluius in Synopsi, Auentinus, alii.

Vides arbitror, ex istis, Arroye, quanto consensu tum veteres tum recentiores, præsertim rerum Francicarum Scriptores, qui res istas ex professo indagarunt, & nihil intactum reliquerunt, ut familia Caroli Magni perpetuata videretur, tradant Carolinam prosapiam in Ludovico defecisse, & Regnum ad novam stirpem in Hugone translatum. Cujus rei constantissima veritas ita omnium Francorum animis hæret, ut inter eos nil sit celebratius,

bratius, quàm tres hactenus Regum familias Regni habenas tenuisse. Nónne istud cantent & in montibus pastores vestri, & in theatris poëtæ, & indocti in circulis, & docti in bibliothecis, & magistri in scholis, & ipsæ mutæ picturæ in parietibus vestris? Ad me quod attinet, neminem hactenus Historicum, vel Scriptorem antiquiorem, qui hoc cum aliquo fundamento inficias iverit, vidisse memini. Quid verò tibi, Arroye, si quid superest, post istos Historicorum flores, quos recensuimus, nisi fæces, reliquum esse potest? Videamus interim, quid tanto Scriptorum exercitui opponere, vel, quod mirabilius est, etiam præponere audes.

## CAPVT XXXIV.

*Transitus ad objectiones. Non adversatur nobis Ioannes Papa VIII.*

SVnt, inquis a, *ex celebrioribus, qui contrarium sustinent ac testantur: uti probatur duorum Pontificum testimonio, Innocentii III. & Ioannis VIII. nec non attestatione magni Cardinalis Baronii, qui non solùm istud asserit, sed etiam probat. Habemus pro nobis magnum illum Cuiacium, Guilielmum Nangium, antiquum Chronicum Senonense.* Hæc ex Cassano malâ fide rapuisti. Ipse vera dixit, tu falsa: ipse, ut probet Capetum esse ex stirpe Caroli Magni satum, nihil illo lòco de masculina vel feminina definiens, quod

a FOL. 87. & 88. Mais aussi en y a il, & des plus celebres, qui souviennent & tesmoignent le contraire, comme on verifie par le tesmoignage de deux Papes Innocent III. & Iean VIII. par l'attestatiõ du grand Cardinal Baronius, qui ne le dit pas seulement, mais qui le preuve. Nous avons ce grand homme Cujas pour nous, Belleforest, Guillaume de Nangis, l'ancienne Chronique de Sens.

quod aliquorum Scriptorum testimonio probari potest; tu substituis solitâ temeritate masculinam, vel, si fortè uterque masculinam intelligit, cæcus cæcum in foveam præcipitavit. Singulos presso pede exploremus.

Primus igitur, ut eum, qui tempore præcessit, præponamus, *Ioannes Papa Octavus* est. Verba, quibus niteris, ex inscriptione quarumdam litterarum ad Hugonem Abbatem petita sunt a: *Hugoni strenuo, nobili, Regali prosapiâ edito, atque excellentissimo Abbati.* Præclara basis, cui tanta moles, jus in maximam Europæ partem, imponatur. Sed multiplici responsione facillimè everti potest.

Prima est, Hugonem illum Abbatem non esse Hugonem Magnum, patrem Hugonis Capeti; sed alium longè seniorem, qui defunctus est anno octingentesimo octogesimo septimo, centum annis ante Regnum Capeti. Testis est Regino in Chronico istius anni b: *Eodem tempore Hugo Abbas, magnæ pietatis vir, & magnæ prudentiæ, Aurelianis moritur.* Cujus Ducatus traditur patruo Hugonis Magni Odoni, postea Regi Franciæ, qui in tutorem Caroli Simplicis assumptus fuit. Hugo verò Magnus vixit facilè septuaginta annos postea. nam mortuus est circa annum 956. Itaque quamvis ille Hugo Abbas Regalis esset prosapiæ, non continuò etiam Hugo Magnus, vel Capetus, filius ejus. Utrùm homonymia nominis (*Hugo Abbas*) te nòn fefellerit, ut, quemadmodum proclive est, id, quod de primo illo Hugone à Papa dictum est, tamquam de secundo Hugone, patre Capeti, prolatum arripueris, equidem nescio. Hoc scio, utrumque illorum, imò & Hugonem

a *Ioan. Papa ad Hugon. Abb. ep.* 305. b *Regino ad an.* 887.

nem Capetum, Abbatem fuisse nuncupatum. De Hugone illo seniore res est vulgatissima, de quo sic Continuator Aimoini *a: Robertus supradictus Princeps cupiditate magis ductus, quàm curâ animarum sollicitus, Abbatiam S.Germani accepit, seque Abbatem post supradictum Hugonem Abbatem vocari fecit*. De Hugone Magno, patre Capeti, sic ibidem *b: Sub hoc etiam Rege Rodulpho, Hugo Magnus Abbatis nomen post obitum patris sui Roberti supradicti sumpsit*. Qui Hugo Magnus, cùm jam defunctus esset apud *Dordingam villam*, sepultusque Parisiis, sic loquitur de filio ejus Hugone Capeto *c: Anno 4. Lotharii Regis sub Abbate Hugone, & Duce Francorum, Galtherius Archicustos exstitit Decanus cœnobii S.Germani*. Ex hac ergo nominum *Hugonis* & *Abbatis* homonymia fortasse contigit, ut Hugo Abbas, qui *Regalis prosapia* fuisse dicitur à Ioanne Papa, à te existimatus fuerit fuisse Hugo Magnus, itidem Abbas, pater Capeti.

Nam quòd aliqui putant istum seniorem Hugonem Abbatem fuisse fratrem Roberti primi, qui Hugonis Magni avus fuit, hoc nonnihil fluctuat. Etenim Regino & Aimoinus, qui sæpè istius Hugonis Abbatis meminêre, numquam eum fratrem Roberti nominant, cùm tamen in Roberti genealogia deorsùm pertexenda satis accurati sint.

Secunda est. Etiamsi Hugo ille primus Abbas esset Roberti frater, illius, unde Capetus natus est, non tamen idcirco *ex prosapia Regali* Caroli Magni fuisse, rectè probaretur. Possunt enim & alii esse, qui Regiâ vel dignitate, vel titulo fruerentur, vel sanguine nati essent extra stirpem Caroli, ad quos Hugonis istius stemma referretur. Sic enim vide-

a *Contin. Aimoini lib. 5. c. 41.* b *Ibid. c. 42.* c *Ibid. cap. 44.*

videmus nepotem Hugonis istius Rodulphum se *Regem Burgundiæ* vocasse, de quo Regino *a*: *Coronam sibi imposuit, Regemque appellare se jussit.* Eodem ferè tempore Berengarius & Guido, Lamberti filius, Principes Italiæ, se *Reges*, eodem Reginone teste, vocaverunt; cùm ille esset Dux *Forojuliensis*, hic *Spoletanus*. Ioannes verò Papa, quia Berengarii in Italia, non minùs quàm Hugonis Abbatis operâ in Galliis indigebat, utrique *prosapiam Regalem*, sive reverâ, sive quodam fortassis honorificentiæ magis excessu, quàm veritate, tribuit. Sic enim scribit ad Berengarium *b*: *Dilecto filio Berengario, glorioso Comiti, Regiâ prosapiâ orto*; quem nemo tamen ex Caroli Magni prosapia procreatum statuit. Antiquo usu non tantùm provinciarum, sed etiam urbium Domini, subinde Reges ac Reguli dicebantur, ut Gundebaldus Rex Burgundionum, Ragnacharius *c Rex apud Cameracum*, Charaicus, Sigebertus, & similes à Clodovæo devicti, Reges vocantur.

Tertia est, nihil mirum esse, si Hugo Magnus, ipseque adeò Hugo Capetus, *Regalis prosapiæ* diceretur. Constat enim, nonnullis antiquis attestantibus, Hugonem Capetum ex Hatvide, (alii *d* Aigundem vocant) natum *sorore primi Ottonis Imperatoris*, ut ait Sigebertus *e*. Nam Hugo pater ejus tantæ erat auctoritatis, ut nomine Magnus, connubiis major, duas Regum filias duxerit, Isabellam filiam Eduardi Regis Angliæ, eâque sine liberis mortuâ, Hatvidem filiam Henrici primi Imperatoris, quam Sigebertus sororem Ottonis dixit. Quid ergo mirum, si Hugo Capetus, vel Hugo

a *Regino l. 2. ad an. 888.* b *Epist. 85.* c *Greg. Turon. lib. 2. c. 32. 41. 42.* d *Gaguinus.* e *Sigebertus.*

go Magnus, vel Hugo Abbas, vel alius quispiam majorum, vel agnatorum ejus, *ex Regali prosapia*, stirpe scilicet femininâ, propter matrem, aviam aut proaviam, à Papa dictus sit? Nam hinc proficiscitur, quod nonnulli tradunt, Hugonem Capetum ex Carolo Magno per feminas, Mathildem scilicet, tamquam filiam Ludovici, Carolini generis, esse procreatum, Nangius, Belleforestus, du Haillan, Paschasius, & alii. Cùm ergo tot modis objectio tua ex Ioanne Papa evanescat, contemptu potiùs, quàm refutatione operosâ, digna est: ut mirum sit, hujusmodi ludibria ad universam Germaniam & Italiam absorbendam, à prudentibus proferri.

## CAPUT XXXV.

*Nec Innocentius III. nec Baronius.*

SEcundus testis tuus est *Innocẽtius Tertius*. Tantummodò ille dicit de Philippo Augusto, Rege Franciæ a, *quod Carolus* (Magnus) *innovavit, de cujus genere Rex ipse* (Philippus) *noscitur descendisse*. Sed non dicit, utrùm materno an paterno genere. Ex quo fit, ut Guilielmus Nangius b de maternâ stirpe loqui Innocentium, quem iste in illum finem citat, apertè tradat. Quid igitur generalia hujusmodi verba torquentur ad ea comminiscenda, quæ nemo vetustiorum graviorumq; Auctorum attigit, relictis iis, quæ certissimâ veterum novorumque consensione firmantur?

Tertius est, *Magnus ille*, ut ais, *Cardinalis Baronius, qui non solùm hoc dicit, sed etiam probat*. Næ tu magnus es imperitorum illusor, ut nil deterius dicam.

a *Innocentius III. cap.* Novit ille, *de judiciis*.
b *Nangius in Chron. ad ann.* 987.

cam. Baronius expressissimis verbis in eodē, quem citas, loco dicit a: *Ludovicus Francorum Rex novissimus Carolinorum moritur, anno vix uno Regno potitus.* Audis *novissimum Carolinorum?* Et rursum in eodem loco: *Cumq́ sine liberis decessisset, Regnum Francorū non collatum est Carolo Lotharii Regis defuncti fratri, sed magis, eo contempto, ad extraneos est delatum, nempe ad Hugonem, Ducem Parisiensem.* Audis, *extraneos?* Quod igitur Baronius inferiùs adducit, progeniem Carolinam non defecisse in Ludovico, Capetumque ex eâdem esse satum, de materna intelligit. Nam in probationem adfert Chronicon Guilielmi Nangii, & genealogiam S. Arnulphi: in quibus ex professo maternum Hugonis genus, non paternum, ad Carolum usque perducitur, eâ scilicet ratione, quâ suprà dictum est. Innocentius, quem allegat, eodem Nangio interprete, de materna stirpe loquitur. Quis credat hominum Sacerdotem, Theologum, Doctorem imperitis tanta cum licentia abuti velle, ut peritorum oculos non vereatur? Sed nondum est imposturarum finis.

a *Baron, ad ann, 987. Tom. 10.*

## CAPVT XXXVI.

*Nec Belleforestus, nec Guilielmus de Nangis.*

QVartus est, inquis, *Belleforestus.* Nimis enormiter istud falsum est. Verba ejus jam suprà dedimus. Vin' clariora? b *In isto* (Ludovico) *finita atque*

b BELLEFOREST EN LOVYS 5. A cestuy Roy, comme dit est, fust finie & terminée la lignée du grand Roy Charle Magne.

ET PLVS BAS: Et ainsi, comme dit l'annaliste Flamend, le royaume de Gaules fust rémis entre les mains des vrays Gaulois: en tant que Hue Capet estoit descendu non des Merovinges ou Pepins, ains de la vraye race ancienne des Seigneurs de Gaule, & des Princes d'Anjou: rendant la gloire de la Couronne aux Gaulois, que les Francois & Allemans leur avoyent usurpé.

ET PLVS BAS: Mais il m'est advis, que celuy Hue Capet peut estre, & fust en aucune maniere d'aucun costé, non pas directement en ligne masculine, du lignage de Sainct Charle Magne, si comme vous oirez cy apres dire.

*atque terminata fuit prosapia Caroli Magni*. Et ne relinqueretur ullus cõtroversiæ locus, mox uberiùs: *Sic, ut loquitur Annalium Belgicorum Scriptor, Regnum Galliæ in manus verorum Gallorum rediit. Hugo enim Capetus non ex Merovingicis, aut Pipinis, sed ex vera antiquaque stirpe Gallorum, & Principum Andegavensium ortus est*. Et quia dixerat, Hugonem ex Regali prosapia descendisse, statim explicat hoc de materno latere accipiendum esse: *Videtur mihi Hugonem istum Capetum esse posse atque fuisse aliquo pacto, ex aliqua parte, non tamen directè per lineam masculinam, ex prosapia Caroli Magni, ut statim audies*. Quod infrà exponit contigisse, quatenus Hugo Magnus, pater Capeti, filiam Ottonis Hatvidem, vulgò Avide vel Haygunde, uxorem duxit.

Quintus est *Guilielmus de Nangis*. Æquè falsum est. Nangius a perspicuis verbis deducit genus Capeti ex Carolina stirpe per feminas, hoc est, per Mathildem, uxorem Henrici Imperatoris, & matrem Ottonis primi: quæ cùm esset, ut ipse sentit, filia Ludovici junioris adhuc ex stirpe Carolina Imperatoris, peperit primum *Ottonem Imperatorem, & duas*, inquit, *filias, Gerbergam, uxorem Ludovici Regis, patris illius Ludovici, sine herede mortui, & Hatvidam, matrem istius Hugonis Caputti. Per quæ patet, quòd ipse descenderit de progenie Caroli Magni*. Sed quomodo patet, nisi quia ex Ludovici junioris stirpe per filiam ejus Mathildem propagatus est? Eodemque sensu addit de Innocentio: *Hoc etiam attestatur Innocentius Papa*, &c. Vidésne uno eodemque testimonio Nangii, & Nangium & Innocentium tibi esse subtractum, & te erroris vel imposturæ redargutum?

CA-

a *Guilielmus de Nangis in Chron. ad an. 987.*

## CAPUT XXXVII.

*Nec Chronicon Senonense, nec Cuiacius.*

SExtus est *Chronicon*, ut ais, *antiquum Senonense.* Hoc nondum ad manus meas venit. Fides verò tua nimium prostrata est, ut mihi fas sit acquiescere nudę assertioni tuæ. Juxta Cassianum, Chronicum Senonense tantùm dicit, Hugonem Capetum ortum esse ex Carolo Magno. Idem Innocentius III. Nangius, Belleforestus, aliíque nonnulli tradunt. Sed quid hoc ad causam nostram? De latere feminino se hoc intelligere plerique eorum palàm profitentur. Aliud quære, quò stringas eos, qui masculinâ propagatione ex Carolo fluxisse Capetum negant. Itaque ubique hallucinatio, & fallacia.

Septimus est *Cuiacius.* Falsum est. Non dicit aliud quàm Innocentius, cujus verba refert: *Notandum interim*, inquit Cuiacius *a*, *quod in hoc Cap. obiter ait Innocentius, Philippum Augustum (qui scilicet Augustus appellatus est, non quòd esset Imperator) descendisse ex genere Caroli Magni. Nam ex eo sequitur necessariò, Hugonem Capetum, cujus Philippus fuit trinepos, ex Carolo Magno originem genusq; traxisse: quod & verius esse hodie plerique autumant, tùm Franci, tum Itali.* Quid hîc Cuiacius novi dicit, quos nos non suprà diximus, auctoribus nonnullis suffragantibus? Sed ubi dixit, Hugonem ex Carolo Magno masculinâ procreâtium seriò traxisse genus? Quòd si Cuiacius sine teste antiquo & gravi, de re facti, à sexcentis annis præterita, nobis diceret, vel adversùs

a *Cuiacius ad cap.* Nouit. *tit. de judiciis, in opere paralipom.*

sùs unanimem tot tantorumque Scriptorum veterum & novorum auctoritatẽ, daret veniam, si non crederem. Vides, Arroye, si non oculi tibi exstincti sunt, quanto errore vel fallaciâ septem testes istos pro te produxeris: quorum nec unus quidem tibi favet, plerique damnant exsertissimè. I nunc, & gloriare de tua Casuistarum regula, quâ ridiculo, plus quàm dici potest, modo jactas in hac materia, *Plausibilius esse jus possidentis*; ideoque, quia Ludovicus XIII. est in possessione istius seriei masculinæ progenitorum Carolinorum, jus ejus esse firmius.

## CAPVT XXXVIII.

*Hugo Capetus, & posteritas ejus, ne quidem ex maternâ stirpe, prosapiæ Carolinæ est.*

ET hactenus quidem ita rem istam egimus, ut saltem ex materno latere Capetum Carolinæ stirpis fuisse fateremur: non tamen desunt, qui hoc ipsum firmo fundamento niti negant. Nam Scipio du Plaix disertè asserit, falli eos, qui propter Hatvidem, filiam Henrici Imperatoris, Capetum Carolino sanguine procreatum volunt, propterea quòd Henricum Saxonici sanguinis fuisse certum sit. Sed alii fortasse Scipionem redarguerent. Nam etsi Henricus pater Hatvidis esset stirpe Saxo; uxor tamen ejus, inquient, Mathildis, avia materna Capeti, ex Ludovico juniore, stẽmatis Carolini Principe, propagata est. Sed istis meritò opponi possent Scriptores graves, qui omnes, quotquot ea de re citavimus, ætate æquant aut superant. Testatur enim Sigebertus, Mathildẽ seu Mathildam, Henrici

ricî Imperatoris uxorem, matrem Hatvidis, ex qua Capetus natus est, non fuisse Ludovici junioris filiam, sed Theodorici seu Thiaderici, ex stirpe Magni VVitikindi Saxonis *a: Post quem* (Henricum) *Otto filius ejus ex Mathilda, filia Theodorici, Regis Saxonum, imperavit.* Nam iste Otto frater erat Hatvidis, matris Capeti. Et ante Sigebertum hoc tradidit Continuator Reginonis ejusdem sæculi cujus Mathilda, Scriptor: *Henricus Rex sexto Nonas Iulii diem clausit extremum, cui filius suus Otto ex Mathilde filia Theodorici, ex stirpe Magni VVitikindi Saxonis, consensu primorum Regni successor eligitur.* Quibus verbis auctorem istum citat Franciscus Haræus. Quamquam aliis exemplaribus Reginonis usus fuisse videatur, quàm vulgatæ editionis Francofurtensis, in qua ista verba citata non reperio. Et paulò ante Continuatorem Reginonis, vel certè eodem tempore, Luitprandus Diaconus Ticinensis, ac postea Cremonensis Episcopus, vir propter conditionem ac prudentiam magnæ auctoritatis, patris Hugonis Capeti & Mathildæ coætaneus, cùm corpus Henrici defuncti in Saxoniam deportatum, & in ipsius Regis prædio Quintelingaburch repositum esse narrasset, mox subjungit *b: Vbi & venerabilis ejus conjux, Regniq; consors*, EX EADEM GENTE *nomine Mathildis, ultra omnes quas viderim & audiverim matronas, pro delictorum expiatione celebre exequiarū officium vivamq; Deo hostiam offerre non desivit.* Audis hic *ex eadem gente* fuisse, quâ Henricum? quem stirpe Saxonē fuisse unanimiter Auctores tradunt. Et eâdem ætate VVitichindus Saxo, Scriptor gravis, Mathildæ itidem contemporaneus, sub cujus filio Ottone primo Imperatore, adhuc

a *Sigebert. ann. 937.* b *Luitpr. lib. 4, cap. 7.*

huc vivente Mathilda, floruit, & Saxonum historiam ejusdem istius Imperatoris filiæ dedicavit, disertissimis verbis isti veritati testimonium reddit. Nam cùm de liberis Mathildæ præmisisset a: *Aliam quoque filiam genuit, quæ nupserat Hugoni Duci*, patri Hugonis Capeti, de cujus stemmate disputamus, de prosapia ejus rem ita definit: *Erat namque ipsa domina Regina* (Mathilda) *filia Thiaderici*, hoc est, ut recentiores loqui malunt, Theodorici: *cujus fratres erant VVidekind, Iaumet, Reginbern. Reginbern autem ipse erat, qui pugnavit contra Danos, multo tempore Saxoniam vastantes, vicitque eos, liberans patriam ab eorum incursionibus usque in hodiernum.* ET HI ERANT STIRPIS MAGNI DVCIS VVIDEKINDI, QVI BELLVM POTENS GESSIT CONTRA MAGNVM CAROLVM PER TRIGINTA FERME ANNOS. Quid in re historicâ evidentius & certius postulari possit ignoro. Exprimit enim & patrem & fratres Mathildæ sibi coætaneæ; gesta eorum describit; nomina ipsa clamant esse Saxones. Quàm pudendæ esset imperitię & impudentiæ, imò stoliditatis non ferendæ, prosapiam Mathildæ matris, cum quâ vivente vixerat, sub cujus filio florebat, cujus nepti genealogiam ejus nuncupabat, ex Saxonia accersere, si ex Gallia fluxisset! in vasallum rebellem & victum terminare, si ex ejus victore Imperatore prodiisset! Itaque talium, tam gravium, tam veterum, imò oculatorum, ut ita dicam, testium, res sui temporis enarrantium b, auctoritate nixus, fidenter asseruero, falli quotquot eis posteriores Capetum ex Carolina matre, Mathilda tamquam Ludovici filia, geni-

a *VVitich. Saxo lib. 1. de gestis Saxon.*

b *Luitprandus dicit se explicare narranda, quibus interfuit. lib. 4. cap. 1.*

genitum tradunt. Primis enim istius auctoribus opinionis, Capetianæ stirpi fortasse blādientibus, (cui nihil gratius fieri poterat, quàm Gallis suis Carolini sanguinis propagatione commendari) non erat difficile fucum apud imperitos prosapiæ Germanorum jam ab uno aut altero sæculo defunctorum facere. Cæteri recentiores bonâ fide præcedentium istorum vestigiis institerunt.

Ex his, arbitror, luce meridianâ clariùs liquet pessima fides Scriptoris hujus, quâ in auctoribus citandis usus est; animus quoque haud scio an satis Christianus, qui per tot fraudes ad victoriam, animosque popularium suorum in arma concitandos nititur; causa denique desperata, in qua nec unus auctor, contra torrentem Scriptorum omnis generis & ætatis, ab eo inveniri potuit, qui cum aliquo colore Capeti genus per masculos ad Carolum usque Magnum subvexisse doceretur. Ita inflati istius montis parturitio, qui totius Europæ Imperiis gravidus erat, ridiculi muris, imò inanis ludibrii, nativitate detumuit. Ut illis mihi similis esse videatur, qui multâ febre insanientes, coronas & sceptra totius orbis terrarum somniant, de quibus mirum in modum sibi delirādo blandiuntur: sed mox universa, redeunte sanitate, velut inania furoris domestici simulacra disparent. Quid enim inanius, quid insipientius, imò verò quid insaniæ vicinius, quàm totius Imperii, prout omnia penè Europæ Regna comprehēdit, successionem, tamquam hereditario masculorum succedentium jure Ludovico XIII. debitum, asserere, ambitionisque magnitudine omnium ferè Christianorum Principum status absorbere: cùm verò ad rem venitur, totam hujusmodi

successionis excogitatæ scenam, tamquam inani mentis ludificatione confictam, evanescere?

Cùm ergo nihil omninò juris Ludovico XIII. ex ista sola carnali per masculos Carolini stemmatis propagatione competat in Europæ Regna vel Imperium; videamus, utrùm solidius erit jus, quod ex Unione aliorum Regnorum & Imperii cum Corona Franciæ proficiscitur.

## CAPUT XXXIX.

*Secunda justitiæ ratio est Unio subactarum Provinciarum cum Corona Franciæ. Ostenditur, nec omnia uniri solere, nec Imperium ei unitum fuisse.*

SEcunda igitur juris ratio ex istâ unione petitur. *Quidquid enim*, ut ais [a], *à Regibus Franciæ acquisitum est, Coronæ ipsorum unitum fuit; uti testantur ea, quæ Clodovæus & Carolus Magnus armis pepererunt.* Titulus iste latior atque firmior est. Jus enim parat Regibus, non solum illis qui masculi ex masculis prædecessoribus propagantur, sed omnibus, quotquot legitimè sibi tradita capessunt sceptra sive masculi, sive feminæ, Principatum, sive naturali propagatione, sive adoptione, sive electione, consequantur. Hoc igitur juris patrocinium ut ad occupandas Christianorum Principum ditiones tibi servire possit, hanc velut basin ei collocas, Omnia, quæ sibi Francorum Reges armis aliquando subegerunt, sub Coronæ ambitum nexu indissolubili esse comprehensa, nec esse fas ut inde divellantur. Næ tu mihi perperitus ratiocinationum architectus videris. Nam ubi alii

a FOL. 90. Tout ce qui a esté acquis par les Roys de France, a esté uny à leur Couronne: tesmoin les conquestes de Clouys & de Charle Magne.

alii certis perſpicuiſque ad incerta demonſtranda principiis uti ſolent, tu perſpicuè falſa ſumis, ut paradoxis hallucinationibus tuis concilies fidem. Nam ſive hiſtorias ab orbe condito, bellorúmve primordiis, luſtremus univerſas, ſive Francicis viciniſque contenti ſimus, victis victores provinciis quas voluerunt leges impoſuiſſe comperiemus; ut victoriæ ſuæ præmio ad arbitrium uterentur, conjungendo, divellendo, alienando, donando, aliiſque utendo, ut viſum eſſet, modis. Populus Iſrael ſubegit Regem Arad, delevit Moabitas, nec tamen hæreditati ſuæ eorum Regna univit, ſed ſuis eos Regibus uti permiſit. Saul univerſam Amalecitarum regionem ſubjugando vaſtavit; quam tamen non eſſe coronæ Iſraelis unitam, poſteriora teſtantur Amalecitarum latrocinia. David quarumdam gentium Reges vicit, urbeſque cepit, quas non eſſe in unum Regnum redactas, ſatis manifeſtum eſt. Quis neſciat Regnum Iſrael à Salmanaſſar eſſe ſubjugatum, Regnum Iuda ab Aſſyriis ſub Manaſſe, ab Ægyptiis ſub Ioachaz, qui alio Rege conſtituto, in Ægyptum captivus ductus eſt; à Chaldęis ſub Ioakim, & iterum ſub Joachin, filio ejus? Nec tamen Regna iſta toties devicta, Regnis Aſſyriorum, aut Ægyptiorum, aut Chaldæorum, hoc ipſo unita ſunt, ſed ex victorum Regum voluntate propriis legibus ac Regibus uti ſinebantur. Non omnia in provinciam Romanos confeſtim redegiſſe notum eſt. Nam &, victos licet, eſſe tamen permiſerunt Reges, novoſque creaverunt, in Judæa Herodem & Agrippam, alios alibi; terraſque gentibus integris habitandas, Regibuſque propriis ſuo jure poſſidendas regendaſque donaverunt. Alexander

nónne quidquid armis decennali bello pepererat, non Regno univit Macedonico, sed in quatuor vastas Monarchias *a divisit Regnum suum, cùm adhuc viveret?* Cujusmodi exempla, quibus & Romana & barbara historia plena est., perspicuè ostendunt, in libera victorum potestate plerumq; constitutum esse, ut vel Regnis suis provincias bello partas uniant, vel Regibus, sive tributariis, sive liberis; uti sinant, vel denique Principatus earum plures solâ in unam Regis personam, non in unam Regni coronam, associatione cõjungant: quos iterum à se invicem divellant, cùm vel plurium liberorum successio, vel regia munificentia, vel alia publica privatáve ratio postulaverit. Nullibi testatior, quàm in Francorum Regibus, hujus rei fides: qui Regna plura, tam armis à se primùm parta, quàm à parentibus transmissa, multorum sæculorum decursu non aliter partiendo distraxerunt, quàm privati homines relictum à parentibus patrimonium: ut sanè per primos quingentos annos non sit ullum hujusce unionis, neque Imperii cum Corona Franciæ, neque provinciarum potissimarum ipsius Franciæ inter se, vestigium.

Quantum ad Imperium, hoc satis perspicuè declarat, quòd Carolus Magnus ipsum Regnum Galliæ veluti provinciam Romano Imperio annectere meditatus sit, ut sic unum ex utrisque Regnum fieret. *Carolus Augustus*, inquit Æmilius *b*, *Imperium virtute bellicâ longè lateque propagatum, legibus ab se conditis firmare statuebat, & quàm proximè poterat, ad antiquam urbis Romæ gloriam magnitudinemque pervenire. Pulchrum esse, in terris exstare.*

Unum

a 1. Machab. 1. b Paul. Æmil. lib. 3. in Carolo Magno.

Unum *summum regimen rerum*, *quod mortalibus jura reddat*; *cui Reges omnes gentesque peraquè pareant*, *quod supra catera emineat*; *quod* Unum *secundùm Deum optimum maximum rerum arbitrium moderetur*; *ad quod* Unum *mortales omnia referant*; *quod sanctum sit*, *unde cuncta petantur. Et ut ceteras gentes Imperio venerando assuefaceret*, *primos Francos Augustorum legibus teneri volebat*, *easque ipse novas condere*. Sed Franciæ Proceres unionem istam aversati, *Cur*, inquiunt, *milites tuos*, *Regnum tuum*, *Franciam tuam*, *Imperii provinciam facere studes*, *Imperioque subjicere?* Argumento profectò perquàm evidenti, non existimasse Carolum, unum ex omnibus provinciis subactis, ipsaque adeò Francia, Regnum coaluisse, utpote quod adhuc unire cogitabat. Quid enim opus erat istâ cogitatione, si jam unum Regnum, ex unione cum Corona Franciæ coagmentatum?

## CAPUT XL.

*Olim Provincia*, *etiam Francia*, *non ita fuerunt Corona unita*, *quin in liberos Regum distraherentur*, *ita ut singuli summo jure regnarent*.

QVantum verò ad ipsam Franciam attinet, etiam Provincias ejus divelli à se mutuò in diversa Regna, & à Coronæ unitate, quæ præcessisse videbatur, alienari potuisse, evidenter probat prima illa partitio filiorum Clodovæi. Nam illo *defuncto*, teste Gregorio Turonensi *a*, *quatuor filii ejus*, *id est Theodoricus*, *Chlodomeris*, *Childebertus atque Clotharius*, *Regnum ejus accipiunt*, *& inter se æquâ lance dividunt*. Hoc probat secunda partitio filio-



a *Greg. lib. histor. Franc. cap. 1.*

filiorum Clotharii, de quâ idem dicit a: *Sic inter se hi quatuor, id est, Charibertus, Gunthramnus, Chilpericus atque Sigebertus divisionem legitimam faciunt: deditque sors Chariberto Regnum Childeberti, sedemque habere Parisios: Gunthramno verò Regnum Chlodomeris, ac tenere sedem Aurelianensem: Chilperico verò Regnum Clotharii patris ejus, cathedramque Suessionas habere: Sigeberto quoque Regnum Theodorici, sedemque habere Remensem.* Hoc probat tertia partitio, quam inter filios suos fecit Dagobertus, de qua Aimoinus b: *Rex suggerentibus iis, qui utilitatibus Regni consulere videbantur, æquâ lance inter hos duos filios Regnum dividere statuit. Sigebertum itaque seniorem ex liberis, Austrasiæ, ut prælibatum est, Regem instituit; Clodovæum verò minorem natu pari dignitate Neustriæ ac Burgundiæ præfecit.* Ecce etiam Regno utilem talem partitionem Consiliarii putant. Nempe quia tunc stabilis videtur fuisse lex, ut omnes filii Regum ex æquo Regnum, & omnes parentum opes, partirentur. Hac enim de causa cùm Clodovęus iste jam dictus Dagoberti filius, omnes patris thesauros occupasset, Sigebertus nuntios ad fratrem misit c, *qui debitam sibi portionem ex paternis poscerent thesauris.* Cui petitioni tamquam justæ tantum Clodovæus detulit, ut *omnis thesaurorum Dagoberti supellex in speciebus variis, inter fratres æquâ lance divisa sit;* tertiâ parte *ex omnibus, quæ acquisiverat* Dagobertus, Reginę viduæ reservatâ. Hinc etiam duæ pręcedentes partitiones filiorum Clodovæi, itemque Clotharii, nõ tam à patre, quàm ab ipsis filiis, tamquam ex lege successionis ordinariâ, peractæ sunt. Ex Germania quippe cùm originem traxissent, Ger-

a *Idem lib.4, cap.22.* b *Aimoin. lib.4. c.2[?].* c *Cap.36.*

Germanicæ ſucceſſionis ratio inter eos, & poſteros eorum, aliquot ſæculis obſervata eſt. Hoc rurſus probat quarta partitio filiorum Pipini, qui vivente patre Reges à Stephano Papa *a* uncti & conſecrati ſunt:& poſt mortem ejus ſuam quiſque portionem diviſæ hereditatis accepit. de qua Regino : *b Pipinus diem clauſit extremum octavo Idus Auguſti. E[illegible]minus Carolus* ( Magnus ) *& Carolomannus elevati ſunt in Regnum, Carolus in Noviona civitate, Carolomannus in Sueſſiona ſeptimo Idus Octobris.* Cui *c* Sigebertus & *d* Aimoinus concinit. Hoc probat quinta partitio, quam fecit Carolus Magnus multis annis antè quàm eſſet Imperator Occidentis, de qua Adelhelmus Continuator Aimoini *e: Baptizavit Pontifex* ( Adrianus ) *filium ejus Pipinum, unxitque eum in Regem : unxit etiam & Ludovicum, fratrem ejus, quibus & coronam impoſuit. Quorum major, id eſt Pipinus, in Longobardia, minor verò, id eſt Ludovicus, in Aquitania Rex conſtitutus eſt.* Hoc probat ſexta partitio, quam idem Carolus diu ante mortem ſuam, defuncto jam Pipino, fecit *f: Habito generali conventu evocat ad ſe apud Aquaſgrani filium ſuum Ludovicum, Aquitaniæ Regem, coronam illi impoſuit, & Imperialis nominis conſortem fecit, Bernardumque nepotem ſuum, Pipini filii ſui filium, Italiæ præfecit, & Regem appellari juſſit.* Hoc probat ſeptima partitio, quam idem Carolus Magnus teſtamento jam antè fecerat, de qua Adelhelmus & Regino *g : Imperator cum Primoribus & Optimatibus Francorum de pace conſtituenda, & conſervanda inter filios ſuos, & de partitione Regni placi-*



a *Ado, Regino, Sigebertus in Chronicis & Aimoin.* b *Regino ad ann. 768.* c *Sigebertus ad ann. 768.* d *Aimoin. Contin. ad ann. 768.* e *Adelhelm. apud Aimoin. ad an. 781.* f *Adelhelm. ad ann. 813.* g *Idem ad ann. 806. Regino eodem anno.*

*placitum habuit. Et diviſione factâ in tres partes, Imperium ſuum partitus eſt inter tres filios, ut ſcilicet unuſquiſque ſciret, quam partem tueri & regere debuiſſet, ſi ille patrem ſuperviveret. De hac diviſione teſtamentum fecit, & ſacramentum interpoſitum à Francis confirmatum eſt, & Leoni Papæ tranſmiſſum, ut hac decreta manu ſuâ firmaret; quod & factum eſt.* Porrò diviſio iſta in tres partes talis fuit, ut, ſi quis [illegible]m filiorum ſine liberis ànte cæteros duos decederet, portio ejus rurſum in duas partes à duobus ſuperſtitibus divelli juberetur. Exſtat ipſum teſtamentum apud Nauclerum *a*, Baronium *b*, & Hulricū *c* Mutium, in quo limites primùm trifariàm, deinde ſeptifariàm, factæ diviſionis accuratè deſcribuntur. Hoc probat octava partitio, quam Ludovicus Pius, Caroli Magni ſucceſſor, inter filios ſuos fecit; de qua Aimoinus, ſeu Continuator ejus *d*: *Imperator æquo, ut ſuis ſibiq; viſum eſt, libramine omne ſuū diviſit Imperium: præter Bajoariam, quam Ludovico reliquit, atque ideò in partem eorum nemini ceſſit. His peractis, & filiis univerſoq; populo evocatis, datâ ſibi optione, Lotharius à fluvio Moſa Auſtralem ſibi tenendam delegit partem, Occiduam verò Carolo fratri habendam reliquit, & ut haberet, coram cuncto populo ſe velle, verbo ſignavit. Imperator verò lætabatur in his, & cunctus populus talibus factis applaudens, omnia ſibi placere dicebat.* Poſt quam diviſionem, cùm inter ſe contenderent fratres, aliâ, quæ nona eſt, diviſione Regna partiti ſunt *e*. *Carolus* enim, *qui appellabatur Calvus, Regnum Francorum, & poſtmodum Imperium Romanum, obtinuit; Lotharius verò partem Franciæ ſibi vindicavit; quæ uſque in hodiernum diem, ex ſuo nomine,*

a *Nauclerus gen.28.* b *Baron.an.806.* c *Hulric.Mutius l.8. Chron.German.* d *Aimoin. li.5.c.18.* e *Idem lib.5.c.19.*

*nomine, Lotharii Regnum appellatur; Ludovicus autem Burgundiam sibi vindicavit, unctusq́ est in Regem: Pipinus autem Aquitaniam possedit.* Hoc probat decima partitio, quam idem iste Lotharius, filius Ludovici Pii, fecit, antequam in Prumiensi Monasterio sæculi vanitatibus valediceret: *a Lotharius Imperator*, inquit Sigebertus, *partito inter filios Regno, abrenũtiat sæculo.* In qua partitione Ludovico *b* Italia, Lothario Lotharingia, Carolo obtigit Provincia, omnibus Regio nomine ac dignitate imperantibus. Cùm verò Lotharius iste corpore & sanguine Domini ad innocẽtiæ suæ probationem irreligiosè sumpto periisset, Carolus Calvus & Ludovicus fratres undecimâ partitione *c æqualiter inter se Regnum fratruelis*, hoc est Lotharingiam, *divisere*, cujus divisionis limites apud Aimoinum accuratè describuntur. Hoc denique probat illa duodecima partitio, quâ Ludovicus & Carolomannus, filii Caroli Calvi, Regnum Franciæ inter se ita partiti sunt Ambiani *d*, *ut Ludovicus, quod de Franciâ residuum erat ex paterno Regno, sed & Neustriam cum Marchiis suis haberet, & Carolomannus Burgũdiam & Aquitaniam cum Marchiis suis obtineret.* Quæ postrema divisio non nisi centum circiter annos *e* ante Hugonem Capetum contigit. Quæ toties iteratæ divisiones cuilibet, quantumvis pervicaci, ad oculum probant, nullam omninò Provinciarum sive Regnorum, quæ Clodovæus jure vel injuria belli occupaverat, & Carolus Magnus multùm auxerat, esse factam unionem: sed eos de omnibus, tamquam de patrimonio, propriâ virtute & armis parto,

H 5 sum-

a *Sigeb. ad an.* 855. b *Du Tillet.* c *Sig. ad an.* 871. d *Aimoin. lib.* 5. *c.* 25. *&* *c.* 40. e *Anno* 880. *Hugo verò successit an.* 987.

summâ potestate tractasse; summo jure filios quoque velut propriam hereditatem, consuetudine successionis ordinariæ divisisse.

Quid enim refert, quòd istæ partitiones inter filios contigerunt? Coronæ unitas *a* nec in filios distrahi potest, quemadmodum ex usu Francorum hodierno perspicere potes; quo subsidium quoddam fiduciariũ Reges filiis secundò genitis, cum Coronæ recognitione, sine Majestatis læsione, largiuntur. Olim verò jus Regni ex æquo dividebant, & quilibet eorum in limitum suorum sorte summâ auctoritate regnabat, sine ulla ab altero dependentia; Imperiique majestatem, quoad posteritas deficeret, ad filios filiorum, & qui nascerentur ab ipsis, transmittebat, perinde ac si nostrâ ætate duo fratres Regum Galliæ casu aliquo in sceptra divisa Daniæ, Bohemiæ, Angliæve succederent. Quis igitur neget Germaniam, Italiam, cæteraque externa Regna, imò ipsas quoque nobiliores Galliæ Provincias, mansisse etiam sub eodem Rege separatas, vel certè pro libitu divelli potuisse, nisi qui nesciat quid loquatur? Nam in ipso statim exordio per multos annos distinctis Regibus servierunt; Italia Pipino & Bernardo; Aquitania Ludovico; Germania filiis Ludovici Pii, eorumque successoribus. Quòd enim uno fratre defuncto pars hereditatis ejus ad superstitem redibat, non ex unionis, sed usitatâ successionis lege nascebatur; quemadmodum & inter privatas personas consanguineas usu venit. Quantumvis enim singulorum patrimonia separata sint, nulloque unionis vinculo in unum corpus nexa, pars tamen morientis sine liberis ad superstitem redit. Quod ergo quingentorum annorum consuetu-

a *Appennage.*

ſuetudine à Francorum Regibus, & Proceribus probatum fuit; id extra Franciam jam inde à primis Monarchiarum exordiis, jam tandem velle, novo potiùs vanitatis quàm ſubtilitatis impetu, tamquam injuſtum reprehendere, hominis eſſet contentioſi magis, quàm religioſi, qui ad perſpicuam hodieque in Europa lucentem veritatem claudit oculos, ut, quando ejus ſplendore victus fuerit, quaſi in tenebris viciſſe videatur. Quaſi verò quemquam, qui ultra paterni agelli limites tantillum ſapiat, latêre poſſit, quot Regna & Principatus unus Monarcha, nullâ Coronarum confuſione, vel Principatuum unione, poſſideat atque regat; quos à ſe divellere, liberiſque vel conſanguineis conſignare, citra injuriam cujuſquam poteſt. Quod enim Philippo ſecundo in Belgio ab Hiſpaniis nuper diſtrahendo licuit, & in Legione à Caſtellà divellenda à quingentis penè annis Alphonſo Imperatori dicto, & à ſexcentis Ferdinando, hoc in Caſtella ab Aragonia, Luſitania, Belgio, aliiſque nonnullis Principatibus abſtrahendâ, quoties libet, licet. Ut ſic intelligamus, ſi Principatus, naturali ſucceſſione in Reges devoluti, non propterea ſtatim Coronis eorum, ſed perſonis dumtaxat, uniuntur, quantò rectiùs hoc de Provinciis illis Regniſque ſentiamus, quæ ſibi Reges virtute ſuâ, vulneribus ſuis, ſceleribus ſuis parricidiiſque pepererunt.

Cujus ſanè rei evidentia tam luculenta eſt, ut Scriptores Galliæ prudentiores, etiam qui ex profeſſo jus Francorum in Imperium ſtabilire conati ſunt, utrumque caput, hactenus à nobis aſſertum, ingenuè verum eſſe fateantur. Iacobus enim Caſſanus, Chriſtianiſſimi Regis Conſiliarius,

 duos

duos errores in Imperii inauguratione à Carolo Magno commissos esse tradit [a]. *Unus est*, inquit, *quòd Carolus Magnus, cùm ei satis esset quòd Imperium esset hereditarium familiæ suæ, non unierit & annexuerit illud Coronæ, vi fundamentalis alicujus legis. Hoc enim fuisset vinculum perpetuum & inviolabile, quo duæ istæ Coronæ conglutinatæ numquam divelli potuissent. Alter in partitionibus filiorum commissus est, quòd status suos sine ullâ reservatione post mortem suam obtinendos ita divisit, ut quisque partem sibi relictam ex æquo, ut propriam, possideret. Consuetudo ista pessima, in prima secundaque stirpe observata fuit.*

[a] CASSAN. lib. 2. DE LES RECHERCHES DES DROITS, &c. L'une (faulte fust) que Charle Magne se contentant, que l'Empire fust hereditaire à ceux de sa maison, mancqua de ne l'avoir uni & annexé à sa Couronne par une loy fondamentale: car ce fust esté un lien perpetuel & inviolable, qui auroit tousjours joint ces deux Couronnes sans pouvoir estre separées, &c.

L'autre faulte fust au partage, qu'il fit à ses enfans, ayant divisé ses estats entre eux apres son decés, sans aucune reservation, chacun possedant égalément & en proprieté ce quo luy avoit esté laissé. Coustume tresmauvaise practiquée en la premiere & seconde race: qui a failli en demembrant cette Monarchie de mettre tout l'estat en pieces, &c.

## CAPUT XLI.

*Reges Franciæ etiam Provincias Regni extraneis dederunt.*

Quæ sanè ratio videtur esse, ut prisci Reges Franciæ, qui meritò nemini nisi Deo & gladio suo Regnum se debere gloriantur, non solùm provincias in liberos cum summæ Majestatis imperio distrahendo, sed etiam exteris largiendo, aliisq; modis testati sunt, in Regni non solùm administratione, sed etiã ipsius alienatione, nullâ se cujusquam lege constringi. Hinc enim est, quòd nonnulli, de quibus diximus, etiam adoptione sibi heredes cooptarint, alii in magnificentiæ suæ testi-

testimonium Duces exteros, vel etiam Reges, quamvis cum Coronæ recognitione, creaverint. Carolus enim Calvus Bosonem, uxoris suæ fratrem, Ducem; ut alii, Regem Provinciæ; Balduinum, Comitem Flandriæ constituit. Quod enim ad hodiernam normam, Arroye, cuncta vis exigere, quâ Regnum indivisum ad primogenitum transmitti vides, nec inde quidquam licet, nisi formularum multarum observatione, distrahi, non animadvertis, vel posteriorum istud sæculorum consuetudine, vel Principum sanctione esse constitutum. Capetus enim Prudens Princeps, cùm Imperii firmitatem ac majestatem istis partitionibus infringi cerneret, intestinisque bellis & cladibus Regni vires atteri, tranquillitatem turbari, primus, ut multi *a* volunt, auctor fuit, ut indivisum Imperium primogenito, cæteris exclusis, & fiduciariâ quâdam sorte contentis, traderetur. Quod etiam à Roberto, filio ejus, quamvis uxore Constantinâ in favorem alterius renitente, usurpatum, & in hunc usque diem inviolabili lege observatum fuit. *Sed ab initio non fuit sic.* Ut enim Paponius observavit, nemoque nisi imperitus rerum antiquarum diffiteri potest *b*, *antiquo usu Regnum inter filios dividebatur: postmodum fiduciaria sors introducta fuit.* Ex quo usu Coronam, & ejus jura, quatenus à prędecessore unita, quantum ad ejus personam saltem, possidebantur, dividi necesse erat, singulasque tamquam hereditatis divisæ partes in perpetuum alienari, haud secus atque

 priva-

a *Carolus le Bret. libr. 1. de la souveraineté des Rois c. 4. Du Plaix in Childebert. Cassan. lib. 2. c. 1.*

b *Papon. libr. 4. titulo 20. art. 1. in fine.* Convient noter, qu'anciennemens les decez du Roy advenant, le Royaume distribuoit entre les enfans, depuis a esté introduit l'appennage.

privatorum patrimonia ; nullo amplius manente unius Coronę jure, ad quam redintegrandam partes deberent coalescere.

Quæ quidem alienandi potestas, quamvis in Capetianis Regibus restrictior propriâ voluntate fuerit, in aliis tamen Coronæ juribus distrahendis, priscorum Regum licentiam imitata est. Nam ipsi, Belleforesto *a* auctore, magna multaque feuda ex dominiis suis divellerunt: cùm pleræque familiæ Francorum potentiores ortum suum ex Regum liberalitate traxerint, quemadmodum ex ea, quam præstant Regibus, fide, ex reunione, quę multis casibus accidit, iterataque subinde divulsione, perspicuum est. Quod munificentiæ genus posteriores Reges non rarò in subditos exercuêre, ut facillimo negotio pluribus exemplis demonstrari potest. Quid arctiùs Regno junctum est, quàm jus quod *Regalium* vocant? hoc tamen nonnumquam à Regibus alienatum esse ferunt. Quæ quidem quamvis minora sint, hoc tamen evincunt, Reges Galliæ non solùm priores, sed etiam posteriores, non tantùm in liberos suos, sed etiam in extraneos, partes Regni sæpius validâ alienatione distraxisse, ita ut novâ unione esset opus, per quam, exstinctis heredibus, rursum cum Corona necterentur.

a *In Hug. Capeto.*

CA-

## CAPUT XLII.

*Arroyi principia convincunt, omnia donaria, quibus Pontifices à Regibus Franciæ affecti sunt, esse nulla, & armis repetenda.*

DE donatiis verò, quæ Reges Franciæ Romanis Pontificibus largiti sunt, quid, Arroye, dicere, quid obtendere potes? Si donatio eorũ rata fuit, quidquid de lege Salica, de unione cum Corona, de alienationum nullitate, de conscientiæ Regum præjudicio protulisti, totum instar pulveris à facie venti dissipatum est. Jam enim non minuta quædam jura, non feudatarias Baronias & Comitatus, sed urbes, terras, provincias integras in perpetuum jure Regio alienare possunt. Nec mirum sanè. Nam simile quid jam olim in assignato etiam divinitùs Regno fecit Salomon, qui Regi Hiram dedit *viginti oppida in terra Galilææ a.*

Sed quis credat, animum, totius Europæ Imperiis gravidum; propter Pontifices omnibus principiis suis velle valedicere; omnes ambitionis suæ machinas dissolvere; vastissimas nationis suæ prætensiones interimere; consequentiarum scilicet insuperabilium suarum nervos succidere? Arroyus enim sic adsumit *b*; *Reges Franciæ non possunt*

a 3. *Reg.* 9.

b. FOL.92. Cette loy d'inalienation est si juste, que les Rois de France qui y contreviennent, pechent, &c.

FOL.97. Les estrangers retenants ces biens, soit par usurpation, soit par cette injuste alienation, retiennent le bien, qui est deu à autruy, & ne luy rendent pas: donc les Rois qui ont injustement donné, & ceux qui ont injustement receu, pechent contre la justice.

FOL.91. Les Rois de France en leur Sacre jurent d'observer, & de faire observer les loix du Royaume; ils pechent doncques contre la religion de leur serment d'y contrevenir, &c.

*possunt bona semel acquisita, quia Coronæ unita sunt, alienare: peccant contra justitiam, jurisjurandi sui sanctitatem violant; tenentur possessores ea restituere; tenentur Franci animo, manu, armis ea repetere.* Franci subsumunt: Reges nostri Romam, Ravennæ Exarchatum, magnamque Italiæ partem sibi subegerunt, Coronis univerunt, Pontificibus dederunt. Non ego, sed ratio insuperabiliter concludit, præmissis illis positis: Ergo Roma, Exarchatus, Italia per Francos armis repetenda sunt. Suspicor Romanis non tam fungeum esse cerebrum, vel obesas nares, quin syllogismi istius virus odorentur, cujus conclusionem jam sentire cœperunt, cujus executioni jam in Italia, Lotharingia, Alsatia palàm, in reliqua Germania per cuniculos, viam sterni vident: ad quam promovendam Arroyus Francorum animos tam ardenter ciet, tam disertè buccinat. Hæ namque sunt voces ejus, quibus egregius iste tubicen, postquam nihil à Regibus Franciæ, Pipino, Carolo Magno, & successoribus, alienari potuisse probavisset, universis penè Principibus Europæis bellum indicit; & peractâ quasi legatione classicum canit a: *Bona, quæ nobis exteri detinent, ô generosa soboles Francorum, nostra sunt: vis hostilis, ne repetamus, impedit. Sed neque natura, neque ratio sinit, ut occasiones recuperandi*

a ARROY FOL. 98. Le bien que les estrangers nous retiennent, genereux Francois, nous est deu, la violence de l'enneiny nous empesche de le reconquerir: mais la nature, ny la raison ne nous doit point faire perdre le courage, ny les occasions de le r'avoir Dieu, la nature, le droict des gens, & la justice mesme sont les grands, qui autoriseront nos justes entreprises: & il y va de nostre conscience ne l'entreprenant pas, si nous le pouvons: car nous sommes negligens ou imprudens, & en l'un & en l'autre contraires à la justice, qui est une liberté de l'ame, rendant à un chascun ses honneurs, ses biens, & ses dignités. Ce n'est pas tout de ne nuire à personne, il faut empescher, qu'on ne nous nuise, & qu'on nous satisface du dõmage. Car ne nuire à personne n'est pas justice, mais abstinẽce du bien d'autruy. Or le bien, qui n'est pas bien acquis, n'est pas à celuy qui le tient, mais à autruy. La guerre doncques est juste, quand elle est faite pour oppresser une nation, qui neglige de reparer le tort, que ses predecesseurs ont fait, ou de rendre ce qui a esté injustement osté.

*randi negligamus, Deus, natura, jus gentium, ipsa justitia cœpta nostra tuentur, & probant. De conscientiis nostris agitur, nisi, quando possumus, aggrediamur. Vel enim negligentiæ, vel imprudentiæ rei sumus, quarum utrâvis justitia violatur: quæ cùm sit libertas animæ, suos cuique honores, sua bona, suas dignitates tribuit. Aliis non nocere non est satis; impediendum est, ne noceatur nobis: nemini nocere non est justitiæ, sed abstinentiæ. Bona injustè parta aliena sunt, non possidentis. Iustum igitur bellum est, si suscipiatur ad opprimendam nationem, quæ injurias à majoribus factas resarcire detractat, vel quæ injustè ablata sunt, restituere.* Hæ tuæ insanæ voces, quæ ex commentitiâ tuâ masculorum successione, confictaque alienationis injustitia, ac donationis nullitate, fluunt, non minùs Pontificum, quàm aliorum Principum, caput petunt.

Quid enim Pontificum causam juvat, quòd, cùm adversùs sæculares Principes bacchareris a, *Imperator, aut prædecessores ejus, nobis Imperium rapuère: quidquid parvorum Principum in Europa reliquum est, nihil possident, nisi quod, intestinis in Francia sævientibus dissidiis, contra nos usurparunt:* statim tuis rationibus & clamoribus æquè Pontifices stringi videns, eorum capita demulcendo, *Non hîc*, inquis b, *Summos Pontifices comprehendo. Vt enim eos Reges nostri magnis bonis auxerunt, & auctoritatem eorum armis propugnarunt, ita nihil spectamus, nisi ut fides fiat auctior, & Ecclesiæ splendor gloriosior*; quemadmodum videlicet Gravia, Sylvaducis,

a FOL. 100. & 101. l'Empereur ou ses predecesseurs nous ont ravy l'Empire. Tout le reste des petits Princes de l'Europe n'ont que le bien qu'ils ont envahy sur nous pendant les troubles & divisions intestines de la France.

b FOL. 101. Icy je ne comprends point les souverains Pontifices, parce que, comme nos Roys leur ont donné de grands biens, & conservé leur autorité par leurs armes, ainsi n'ayons nous autre pretension, que de travailler à l'augmentation de la foy, & de conserver, & d'accroiltre le lustre de l'Eglise.

ducis, Veulona, Ruræmunda Trajectum in Belgio, præsertimque Germania locuples testis est. Si seriò Pontifices tutos esse cupis, dele, quod scribis, non potuisse Reges ditiones armis partas alienare; retracta, quod clamas, eos jam ab oct ingentis scilicet annis peccasse, justitiam violasse, pejerasse. Sin istud ratum ac fixum esse putas, dele putidam & adulatoriam inconstantiam tuam. Dexterâ quippe armatâ rapis, quidquid sinistræ lenocinio porrexisti, ut & Pontificum sis assentator, verbo tenus dando; & Regum tuorum, rationibus repetendo. Utrobique perduellis innocentissimæ veritatis, quam & ficto Regiæ donationis patrocinio, & seriâ Coronæ defensione atrociter lædis. Jam enim ostendimus, insulsos tuos de lege Salica errores nihil omninò ad rem præsentem facere, neque Ludovicum XIII. ullis omninò Carolini stemmatis, qui provincias Francicæ ôlim dominationis justè hereditarunt, masculinâ propagatione succedere, ut heres eorum esse posset; neque provincias bello partas Coronæ Francorum unitas fuisse; constantissimum denique priscorum Regum usum, quo provincias non solùm extraneas, sed ipsa viscera quoque Francicæ, tamquam nullo populi suffragio ad se delata, sed suâ industriâ, bellicâque virtute comparata conjunxere, distraxêre, alienavêre, donavêre, quibus, quando, quoties videretur, nemine non solùm resistente, sed neque querimoniam præ se ferente, vel injuriam suspicante, quâ vel Corona, vel quisquam mortalium læderetur. Funditùs ergo corruit omne jus Coronæ, quod in Imperium, & exteras Provincias, tamquam sibi unitas, numquam habuit; omne quoque jus masculinæ succes-

successionis, quod post Ludovicum V. Carolini sanguinis postremum, in Francia nusquam fuit. Arbor quippe Carolina ramorum omnium præcisione, ipsiusque adeò radicis exstirpatione, mortua est. Si esset, qui redderet, non esset, qui vi successionis masculæ reciperet. Quid ergo Arroyus, nisi magnarum venditor præstigiarum erit, ad insigne plebis & omnium imperitorum ludibrium?

## CAPUT XLIII.

*Provinciæ Coronis unitæ, integraq; Regna præscriptione aliisq; modis legitimè retineri possunt à posteris, etsi à majoribus illegitimè occupata sint. Ostenditur id ex multorum Regnorum exordiis.*

SEd ut rationum tuarum infirmitas luculentiùs innotescat, statuamus aliquem, discutiendæ veritatis ergò, liberaliter tibi largiri, quidquid postulas. Esto, inquiet, Italia, Germania, Europaque adeò universa, sicut satagis, Coronæ Francorum per Carolum Magnum unita fuerit, quid promovebis, quid obtinebis? An inde numquam ullo fortunæ vel providentiæ casu, excidere potuisse? Nimiùm te imperitum rerum humanarum arbitrum peritior quisque demirabitur. Etiam gemmæ coronis excussæ in alienas subinde deferuntur manus. Nónne Theologorum atque Jurisperitorum calculo, quæcumque tandem hominum vocantur bona, etiam sacratissima, præscriptionis beneficio transferuntur? Quidquid enim tu de tuæ Salicæ legis (quæ ad hoc negotium nil omninò pertinet) æternitate divinitateque contra

contra præſcriptionem diſputaſti, Juriſprudentiæ non minùs quàm Theologiæ Myſtæ, tamquam cerebri ęgrotantis delirium, rident. Etiam Urbes, Provinciæ, Regna, non minùs quàm Romanę Ecclesiæ patrimonia, præſcriptionis, quamvis prolixioris, aleám ſubeunt. Non eſt difficile in tanta diſtrahendarum Provinciarum licentia, quâ primi Reges vſque ad Capetum uſi ſunt, bonam ſubeſſe fidem, titulum ſive verum, ſive probabilem, temporis longitudinem. Quę ſi concurrerint, fruſtrà de injuriis queritur, quiſquis ſe poſtea tritavorum ſuorum, primorumque Francorum bonis exutum videt. Cùm enim ſæculum dictum ſit, *quòd ſit tempus longiſſimum ſeneſcendorum hominum*; nihil rectius eſt, nihil æquitati naturali magis conſentaneum, quàm ut ſæculo ſaltem, ſi non tempore breviori, omnes hominum inquietudines, & controverſiæ de rebus tranſitoriis nugatoriiſque ſopiantur.

Sed quid ego hìc temporum lapſum, bonamque fidē, ac titulos coloratos memoro? Omnium penè Regnorum legitimorum exordia intuere: videbis hujuſmodi ſcrupulos Theologicos, nec per ſomnium in mentem veniſſe primis Monarchiarum fundatoribus. An ideo ſucceſſores eorum priſcos Provinciarum poſſeſſores heredeſque quæſituri ſunt, ut hereditarii peccati, quod à majoribus aliena rapientibus perpetratum eſt, religione liberentur? Nec uſus habet, nec mores hominum ſinunt, nec Theologia poſtulat, nec veritas jubet. Non quòd Chriſtianam doctrinam iniquitatum patronam rapinarumque faciamus; ſed quòd nihil vetet, iniquam parentum occupationem in legitimam detentionem tranſire poſterorum,

rum, longâ serie in avitorum bonorum possessionem succedentium. In privatorum patrimoniis hoc quotidie fieri, quis, nisi rerum humanarum hospes & ignarus, neget? rectè fieri, quis, nisi veritatis? Doctorum virorum consensus probat, ratio suffragatur. Quę in Provinciis Regnisque transferendis eò exploratior est, quò pluribus hoc modis, & fortassis expeditioribus, longeque brevioribus ac solidioribus contingere potest. Quâ de re uberiori sermone dissererem, si argumenta tua postularent. Unum dico, miseram esse, ac ter miseram Regum sortem, nisi vitia majorum, quibus Regnorum suorum fundamenta locaverunt, Coronisque unita excusserunt bona, nullis legitimis detinendi rationibus, sive præscriptione longâ, sive alio breviori compendio, de successorum conscientiâ deleantur. Quis enim Regum se cor castum habere gloriabitur, si Regnorum penè omnium prima exordia repetamus? Quo jure Childebertus & Clotharius filios fratris sui Chlodomeris trucidarunt *a*, *& ejus Regnum aquâ lance* diviserunt? Quo jure Clodovæus tot miseros Principes vicinos, & sanguine junctos, interfecit, ut eorum terras occuparet? Quo jure Gothos *b* pepulit Aquitaniâ, quæ multis nominibus erat eis obnoxia, quasi proprium gentis istius patrimonium? Nam eam Alarico Gothorum Regi Honorius Imperator ex pacto cesserat *c*. *Cui* (Honorio) *ad postremum sententia sedit*, inquit Iornandes, *quatenus provincias longè positas, id est, Gallias Hispaniasque, quas jam penè perdidisset, Gizericique VVandalorum Regis vastaret irruptio; si valeret, Alaricus* *sua*

a *Gregor. Turon. l. 3. c. 18.* b *Idem l. 2. c. 41. & 42.*
c *Iornand. de rebus Geticis.*

*sua cum Gente* , TAMQUAM LARES PROPRIOS VINDICARET , DONATIONE SACRO ORACULO CONFIRMATA. *Consentiunt Gothi, hac ordinatione, & ad traditam sibi patriam proficiscuntur.* Et Paulus Diaconus *a*: *Post hæc autem* ( Alaricus ) *Italiam ingressus, cùm ab Honorio sedes, quò cum exercitu consistere possit, expeteret, Honorius deliberato consilio* GALLIAS EISDEM CONCESSIT. Cumque pacem istam, sive Stiliconis perfidia, ut aliqui volunt, sive alia causa turbasset; vastatâ Româ, Placidiaque Honorii sorore captâ, & in uxorem ductâ, Ataulphus blandimentis ejus & prudentiâ delinitus, pacem ultrò ab Honorio expetiit, Galliasque suis concessas, tamquam dotem videlicet Placidiæ, consentientibus Romanis adiit. *Mariti animum acerimo ingenio*, inquit ibidem *b*, *subtilibus blandimentis inflexit, ut ultrò à Romanis pacem expeteret. Qui ad Gallias proficiscens, deinde ad Barcinonem fraude suorum occisus est.* Et post Ataulphum Vallia rursus novo contractu sibi Aquitaniam, & quasdam vicinas urbes ab Honorio donatas accepit. *Hoc in tempore*, ut idem Paulus *c*, *fœdus firmissimum cum Rege Gothorum Vallia pepigit, tribuens ei ad habitandum* AQUITANIAM PROVINCIAM, EIUSDEMQUE PROVINCIÆ ETIAM QUASDAM CIVITATES VICINAS; quas fuisse Arvernam, Massiliam, & similes vicinas civitates, paulò pôst ab Eurico occupatas, non abludit à vero. Et S.Isidorus Hispalensis Antistes in Chronico Gothorum *d*: *Qui* ( Vallia ) *per Constantium Romanum patricium ad Gallias revocatur*, DATA AB EO GOTHIS OB MERITUM VICTORIÆ AD HABITANDUM

a *Paul.Diacon.lib.13.Miscell.* b *Ibidem.* c *Idem lib.14.*
d *S.Isidor.Hispal.in Chron.Gothor.*

DVM SECVNDA AQVITANIA VSQVE AD OCEANVM, *cum quibusdam civitatibus confinium provinciarum.* Et rursum post Valliam *Theodoricus* Gothorum Rex, ut idem ipse S. Isidorus tradit *a*, *pro eo, quòd Imperatori Avito sum̃i nũi Imperialis fastigii cum Gallis auxilium præbuisset*, AQVITANIAS *cum ingenti exercitu*, ET CVM INGENTI LICENTIA EIVSDEM AVITI IMPERATORIS INGREDITVR. Toties igitur iteratâ Imperatorum donatione munitus Euricus Gothicę nationis Rex Aquitaniam, & quascumq; potuit ei vicinas urbes, tamquam suis majoribus donatas, suo jure occupavit. quod aliquoties testatur Iornandes scriptor perãtiquus *b*: *Euricus Vesegetarum* ( seu Visigothorum ) *Rex crebram mutationem Romanorum Principum cernens*, GALLIAS SVO IVRE *nisus est occupare.* Cumque occupatam Arvernam, Arelatum, Massiliam, quarum antè meminimus, exposuisset, iterum adjicit: *Quod Euricus c grato suscipiens animo, totas* HISPANIAS GALLIASQVE SIBI IAM IVRE PROPRIO TENENS, *simul quoq; & Burgundiones acccepit.* Hinc ergo fluxit, quòd Gallia Narbonensis aliquot sæculis a Gothis possessa, adeoq; Gallia Gothica nũcupata est: cujus Antistites usq; ad irruptionẽ Saracenicã Conciliis Hispaniæ, ad quã Gallia ista pertinebat, interesse consueverant, queádmodum in Conciliis Toletanis, tertio sub Reccaredo, quarto sub Sisenãdo, quinto sub Cinthillano, octavo sub Recesuindo, decimotertio sub Ervigio, decimoquinto ac decimoseptimo sub Egicano, partim ex præfationibus, partim ex quibusdam Canonibus, partim ex subscriptionibus Præsulum Narbonensis, Carcassonensis, Nemausensis, Agathensis, Maga-

a *Ibidem.* b *Iornand. de rebus Geticis.* c *Ibidem.*

Magalonensis, &c. perspicuè patet. Ut sanè, si principia Gallicana ab Arroyo prodita defensaque, vera sunt, nihil profectò justius sit, quàm ut Hispaniarum Rex Galliam Narbonensem, Aquitaniam, vicinasque civitates Massiliam atque alias repetat, recuperatasque non restituat, quas Antecessores ejus diversis contractibus ac fœderibus debitas, secutâque multorum annorum possessione tamquam proprias tenuerũt. Quid enim ineptius ac stolidius, quàm Francis, aliena rapiendi, Coronisque suis indivulsè nectendi privilegium asserere; exteris verò spoliatis sua repetendi aditum intercludere? Quo igitur jure Gothos pepulit Aquitaniâ Clodovæus? Eodem nempe, quo majores ejus homines vagi, terrarum indigi, Tungros, Tornacum, Cameracum, Galliam Belgicam, inde reliquam, cædibus & incendiis omnia vastantes, pulsis Romanis, quadringentorum circiter annorum possessoribus, invaserunt. Eodem Gothi primùm Græciam, Macedoniam, Illyricum, depopulati sunt: inde Aquitaniam & Hispaniam, VVandalis, Romanorumque reliquis fugatis, occuparunt: sic VVandali Silingi Bæticam, quam Andalusiam quasi VVandalusiam dicunt, deinde Africam; Suevi Galiciam; Longobardi Italiam; Burgundiones Transrhenanam; vagabũdo populorum confusaque manu Adriatici insulas maris; Scoti Pictique Britanniam, ut florentissimorum Regnorum ac Principatuum primordia nascerentur. Quid horum initiis injustius fuit? quid progressu, tempore in plerisque raptæ possessionis vitium purgante, justius? inspectantibus licet Romanis Imperatoribus, quorum purpuram laceraverant, & ex laciniis, vicina quæque consuendo,

novas

novas Regnorum totas concinnaverant, quæ similes injuriarum subirent rapinarumq;vices. Omnium quippe rerum vicissitudo est. Ludit in humanis curis Deus. a *Ipse mutat tempora, & ætates, transfert Regna, atque constituit.* Hanc providentiæ divinæ rotam nemo Regum aut Pontificum sistere potest. Altior est, qui eam torquet, quàm omnis humana cogitatio; fortior, quàm ut eam ulla Salicæ legis vis, ulláve Coronarum unio remoretur. Nam si antiquiora repetamus, etiam alia vetusta Regna suas habuerunt immobilis successionis leges, suasque cum Coronis uniones, & nexus adamātinos, quos eodem jure, quo nationes illæ barbaræ, quas jam diximus, quasi plexas aranearum telas diruperunt. Eodem jure Nemrod b *cœpit esse potens in terrâ, robustusq; venator* populorum *coram Domino fuit.* Cujus, ut putatur, filius Ninus *primus,* inquit ille c, *intulit bella finitimis, & rudes adhuc ad resistendum populos, ad terminos usque Lybiæ perdomuit; quæsitaq; dominationis magnitudinem continuâ possessione firmavit.* Eodem Chaldæus Assyrios evertit, Persa Chaldæos, Macedo Persas: qui novis etiam inhiabat mundis, quos eâdem juris æquitate subjugaret. Nam, ut rectissimè Augustinus d, *inferre bella finitimis, & inde in cætera procedere, ac populos sibi non molestos solâ regnandi cupiditate conterere, & subdere, quid aliud quàm grande latrocinium nominandum est?* Hoc jure Respublica Romana, prostratis protritisq; cæteris Imperiis, successit. Nam ex facinorosorum hominum manu, quam e *contra civitates, quarum leges timebant, mercede impunitatis* 

I arma-

a Daniel.2. b *Genes.*10. c *Iustinus lib.*1. d *Aug.lib.*4 *de civit.cap.*6. e *August.lib.*1, *de consens, Evang.cap.*12.

*armaverant*, veluti torrente proxima quæque secum rapiente, maximam effecerunt. Qui enim sine injuriis vastum illud sibi imperium pepererint, qui nec prima mœnia sua, nisi fratricidio; nec prima conjugia, nisi raptu; nec primas nuptias, nisi socerorum sanguine; nec primum Regni consortium, nisi Tatii amici Regis morte; nec primam Albanorum societatem, nisi Albæ matris suæ deletione, dedicarunt? nimirum ut Romulus atque Roma sine cujusquam, aut fratris, aut Regis, aut Urbis æmulatione & consortio, latiùs securiusque regnarent. Causa enim dicatur Albæ, cur deleta sit, sicut Troiæ adulterium dicebatur. Nulla talis, nulla similis. Tantùm ut desides moveret

*Tullus in arma viros, & jam desueta triumphis*
*Agmina.*

Libidine videlicet dominandi Roma victa Albam se vicisse gestiebat, suique sceleris laudem gloriam appellabat. Hoc vitio Romanis proprio Regnum istud inchoatum, Respublica dilatata fuit: iisdem quippe artibus, quibus cœpit, & crevit; iisdem, quibus crevit, & stetit, penè quamdiu sub idololatria stetit. Erat enim eis cum populis, Regibus, Rebuspublicis una vetusque bellandi causa, cupido profunda Imperii, quam vehementer in eis culpavêre Christiani *a*. Sed peritissimi amplificandæ Reipublicæ artifices dextrè noverant bellum ex bello serere, & fœderatis infirmisque sociis, sive jure sive injuriâ lacessitis, opitulando, sternere fortiores, quorum ruinis ipsi crescerent. Hac prurigine laborantes Deæ *Quietis* Ædem extra portam Colli-

nam

*a August. libr. 5. de civit.*

nam constituerant, nec eam publicè recipere voluerunt. Quamvis igitur hoc Imperium non sine magnis latrociniis in tantam surrexisset magnitudinem, non solùm tamen à piissimis postea Imperatoribus sine conscientiæ noxâ administratum, sed etiam cùm adhuc falsos Deos coleret, à Christianis militibus defensum, & Sanctorum orationibus stabilitũ fuit. Nam hinc illa Dionysii apud Æmilianum Præfectum oratio a: *Καὶ τούτῳ διηνεκῶς ὑπὲρ τῆς βασιλείας αὐτῶν, ὅπως ἀσάλευτος διαμείνῃ, προσευχόμεθα. Huic etiam sine intermissione pro eorum* (Valeriani & Galeni Cæsarum) *regno, ut stabile & firmum maneat, preces adhibemus.* Et illa Tertulliani b: *Precantes sumus semper pro omnibus Imperatoribus, vitam illis prolixam, Imperium securum, domum tutam, exercitus fortes.* Sciebant vitia Regnorum ingentia, sine quibus effici magna vix possunt, non solùm temporis ac præscriptionis, sed etiam alio forsan, ut suprà indicavimus, breviori fortiorique beneficio oblitterari posse; ut quod patres, uvam acerbam comedendo, comparaverant, hoc filii filiorum sine dentium stupore retinerent. Quasi verò Capeti successores, Franciæ Reges, Regnum adversùs Carolum Lotharingum, & proles ejus usurpatum, conscientiæ religione restituerent, nisi ille cuncta regnandi obstacula removendo, legitimum hæredem occidisset. Fallunt me Principum mores, si facerent; fallit me ratio, si facere debuissent. Hugonem enim contra legitimos Carolinæ stirpis ramos Franciæ Regnum usurpasse, non ignobiles Francorum Scriptores tradunt.



a *apud Euseb. l.7. Hist. c. 10.*
b *Tertull. in Apolog. c. 30.*

*Hugo Capetus*, inquit Gaguinus *a*, *animi magnitudine & rebus potens, cùm ejus conatus nemo reprimeret, vi atque armis se diademate insigniri obtinuit; jactans ad eam rem se à sanctis VValerico & Richerio per quietem fuisse admonitum.* Et infrà: *Hugo Magnus hunc Regni usurpatorem Capetum ex Aigunde primi Ottonis Imperatoris sorore tulit.* Et ante Gaguinum Continuator Aimoini, qui non ita multum post Capetum vixit *b*: *Cui* (Ludovico Regi Franciæ) *successit Carolus, frater Lotharii Regis. Eodem anno rebellavit contra Carolum Hugo Dux Francorum, eò quòd accepisset Carolus filiam Herberti, Comitis Trecarum, &c.* Itemque Sigebertus *c*: *Ludovico Francorum Rege mortuo, Francis Regnum transferre volentibus ad Carolum Ducem, fratrem Lotharii Regis, dum ille rem ad consilium defert, Regnum Francorum usurpat Hugo filius Hugonis Parisiensis.* Concinit Andreas Sylvius, scriptor antiquus, in Synopsi Merovingicâ *d*: *Hugo Caputius, Comes Parisiensis; & Dux Francorum contra dominum suum, & consobrinum Carolum, Ducem Lotharingiæ, Regnum Francorum, contra præceptum Romanæ Ecclesiæ, quod omnes invasores Regni anathematizaverat, injustè invasit.* Ubi respicit ad illud interdictum Stephani Papæ, qui cùm consecraret Pipinum, teste Reginone, *d*, *Francorum Proceres auctoritate sancti Petri à Christo traditâ obligavit, & obtestatus est*, ut nũquam Regem nisi ex stirpe Pipini sceptris admoverent. Quam Hugonis usurpationem agnovit & antiquus ille Anonymus, cujus de Ludovico VIII. fragmentum superest *f*: *Hugone Caputio, Comite Parisiensi, & Duce Francorum* Regnum

a *Gaguin. lib. 5.* b *Continuat. Aimoini lib. 5. c. 44.* c *Sigeb. in Chron. ann. 986.* d *Andr. Sylv. Marchian. in Synopsi.* e *Regino in Chron.* f *Fragmentum vitæ Ludovici VIII.*

*Regnum invadente, translatum est de genealogiâ Carolorum.* Ubi etiam istius anathematis à Stephano interpositi mentionem facit.

Nec meliori jure Pipinus, secundæ familiæ caput, Regnum assecutus est, si Scriptoribus recentioribus Francorum credimus, vivente adhuc hærede legitimo Childerico. Ex quibus Scipio du Plaix apertè *a usurpationem Pipini adversùs Merovingicam stirpem* nuncupat: cumque supplantasse Childericum ambitu suo tradit, contra *fundamentales monarchiæ istius leges.* Quod utrùm verum sit, alia quæstio est: de quâ nonnihil juxta sensum nostri alibi locuti sumus: propterea tamen commemoratum volui, ne quis Francus impossibile judicaret, ut injustitiæ & apertæ usurpationis nota, quæ parentibus inoleverat, in posteris, quasi exstinctâ originali labe, deleatur. Nam etiam heredes legitimi istius Caroli post Capetum superstites fuerût. Quòd si igitur & côtractibus, & præscriptione, sive cum titulo, sive sine titulo, à posteris continuatâ, & aliis remediis efficacioribus atque brevioribus, usurpationes majorum, legitimæ possessiones posterorum fieri queunt; etiamsi sanè & progenies mascula Carolina superesset, & Coronæ suæ Franci, Germaniam, totamque Europam nexuissent, nihil omnino efficeres, nisi etiam ceteros omnes juris titulos, quibus Regna transferri solent, omni ex parte defecisse constaret. Et hactenus de istius duabus primis Quæstionibus. Nunc, præteritâ tertiâ, quæ de ju-



a SCIPIO DV PLAIX: La Royauté de Pepin usurpée sur le race Merovingienne, &c. FOL. 294. Tom. 1.
Et FOL. 285.
Estant faite directement contre les loix fondamentales de la monarchie Françoise.

*Vide dicta supr. c. 19. ex Regin. & Annal. Franc.*

Regibus singularibus in singulas Provincias vel Regna tractat, eò quòd à diversis historiarum Scriptoribus, vel Jurisperitis, ad quos propriè spectat, delibata est; ad quartam, de fœderum cum infidelibus & hæreticis paciscendorum naturâ, transeamus, tamquam quæ Theologiæ fines irrumpat, & ejus principiis decidenda sit.

*Finis libri primi.*

# ALEXANDRI PATRICII ARMACANI, THEOLOGI,

## De Iustitiâ Armorum & Fœderum Gallicorum cum infidelibus,

## LIBER SECVNDVS.

### PRÆFATIO.

INTER *alia Reipublicæ Christianæ mala non illud postremum est, quòd nihil in sacratioris ejus doctrinæ sanctionibus ita ratum fixumq; sit, quod non pruriente quâdam ingeniorum petulantiâ, novandiq; libidine, in dubium revocetur. Nam ex isto fonte hæreses scaturiunt, sectisq; subnascentibus Ecclesia in frusta scinditur: dum infrenis disputantium animositas suo ipsius arbitrio statas à Deo regulas Christianæ fidei vult figere & refigere; atque instar torrentis impetuosi nullis Ecclesiasticæ auctoritatis repagulis coërceri potest. Quem animi lascivientis impetum si qua scintilla pietatis intra limites fidei compescuerit, non desinit tamen indisciplinatis argutandi motibus vellicandiq; quidlibet, quod non palàm Scripturarum aut Traditionis auctoritate*

*munitum sit, intra ipsa Ecclesiæ septa tumultuari. Cui malo si qua placēdi Magnatibus, eorumq; perspectis cupiditatibus blandiendi pestis accesserit, nihil est post fidei decreta ita in moribus usu doctrinaq; tritum, quod labefactare vel tentare non audeat; nullum ita manifestum, insolens, & alienum ab omnium verè Christianorum ore & corde paradoxum, quod non verisimilibus ratiunculis asserere moliatur. Hinc alii damnatas à Scripturâ fornicationes in Ecclesiâ palliare ausi sunt; alii omnem usuris fœditatem detrahere, ut pulsa foro vix nisi in palæstris disputantium vivat; alii Sacramentis necessitatem auferre; alii penè nova condere; alii ceremoniis Ecclesiasticis characteres affingere: ut sanè sæculum Philosophorum, de omnibus omninò rebus innumerabilium opinionum varietate disceptantiũ, in Ecclesiâ Christianâ revixisse videatur. Quòd si exquisitior veritatis ratio nonnihil abstrusa lateat, vel phantasmatum, velut atomorum oculis obvolitantium, similitudine in popularibus animis obumbretur, ut non ita facilè vultum veritatis à falsitate discernere queant, quos non triumphos, ridentibus eruditis, & lugentibus piis, erroribus ebrii quasi de victoriâ partâ canunt? Sufficit enim eis imperitorum quoquo modo assensum rapuisse, vel potiùs oculis illusisse, quorum aciem rerum similium discrepantia, & verisimilium discretio fugere solet.*

*In quo sanè Scriptorum genere auctor iste mihi*

*non*

*non injuriâ reponendus videtur, qui fœdera cum infidelibus, non quæcumque, sed in interitum Religionis ac virtutis armata, non solùm à labe purgare ausus est, sed etiam velut justa, & recta, & laude digna defendere. Cujusmodi fœderum patrocinium in nullo, fateor, Catholico, bonæq; notæ scriptore, à conditâ Christi Religione in hoc usque sæculum, quo refrigescente, prô dolor, multorum charitate fervere cœperunt, & abundante paucorum assentantium iniquitate laudari, me vel vidisse, vel legisse, vel audivisse memini. Quid igitur? ideóne solidioris doctrinæ, Christianæq; disciplinæ amatores receptui canere debebunt; & silentio contumelias veritatis ulti, de conscientiæ portu errantium ridere naufragia? Non hoc benignitas patitur, atque charitas, quam generi humano debent: non fiducia, quam in Deo fixam gerunt, ut qui fecit de tenebris lumen splendescere, gratiæ suæ beneficio candescere faciat veritatem: cujus luce adjuti, rectum à pravo, verum à verisimili, pium ab impio, judicij sanitate discernant; ut cognitâ fœderum istorum certâ fœditate, pacem Ecclesiæ reddere, suæ saluti consulere, piorum lacrymas abstergere, omnium Catholicorum gemitus de tantâ Religionis desolatione lugentium, pacare dignentur.*

## CAPUT I.

*Quarta Quæstio de fœderibus, & sensus ejus proponitur.*

HAc igitur spe bonâ pleni, quartam Arroyi Quæstionem aggredimur, quam ipse proponit his verbis a: *Utrùm Rex Franciæ fœdus inire possit cum infidelibus & hæreticis.* Quæstio ista, quamvis generalibus verbis per modum thesis expressa, vim tamen hypothesis valde singularis habet, ex factis orta, quæ in murmura & reprehensiones Catholicorum incurrerunt. Non enim agitur de quacumque confœderatione, quam quis posset cogitandi libertate comminisci, sed de illâ particulari, quâ Rex Christianissimus Hollandis, Palatino, Protestantibus Germaniæ, Suecis, ad illa bella, quibus Religio Catholica vastatur ac pessumdatur, gerenda, fœderatus est, & olim Turcis fuit. Quidquid igitur hîc ab Arroyo de aliâ quacumque confœderatione profertur, quâ infidelibus fidelis jungitur; sive ut habitet quietè instar peregrinantis in terris ejus, ne illi sibi, vel ipse illis noceat, ut Abraham cum Abimelech, Israëlitæ & Ioseph cum Ægyptiis; sive ne infidelem fidelis interficiat, ut Josue cum Gabaonitis, tamquam servis futuris ac subditis suis; sive ut in civilibus officiis infideles fideli serviant, ut Moyses cum Hobab, ut per deserti loca ductor esset exercitûs ejus; sive ut vitam in terris infidelium à persecutionibus tutam servet, ut David cum Achi; sive ut fidelis cum infideli, sine bellorum tumultibus, pacem atque

a FOL. 190. q 4. Sçavoir si le Roy de France peut s'allier avec les infideles & heretiques.

atque fraternitatem colat, ut Judæi cum Spartiatis: nihil ad illa spectat fœdera, de quibus nata est ista controversia. Solùm ideo ab Arroyo coacervata sunt, ut tanto fœderum diversorum strepitu, ad rem præsentem non pertinentium, nihil dicendo, aliquid imperitis dixisse videatur. Quamobrem cuncta exempla fœderum, ex Scripturis petitorum, quibus tamquam basi præcipuâ totius probationis Arroyi moles niti videbatur, sicut machina succisis nervis, solâ quæstionis explicatione, jacent inutilia. Unus inde dumtaxat fructus in Lectorem redundabit, ut ex eorum veluti colorum antithesi clariùs videat, quanto intervallo fœdera Francorum à fœderibus istis, quibus se tegunt, pietate superentur.

## CAPVT II.

*Prima ratio adversùs fœdera Francorum, quia quemadmodum rebellio, ita favor, & fomes ejus grave crimen.*

QVapropter ne super arenam ædificando, lubricis incertisque probationibus Lectoris animum distineam, hoc immobile fundamentum orationi meę substerno: Humanis divinisque legibus damnatum esse subditorum adversùs legitimum Principem rebellionem. Hoc nemo mihi Principum, neque Christianorum, neque hæreticorum, neque Turcarum inficiabitur. Omnes enim Monarchias & Respublicas funditùs eversas cupit, qui obediendi præcipiendique subordinationem inter Principem ac subditos tollit, illaque vincula incidit, quibus membra capiti ad

motum gubernationemque subnectuntur. Hinc illla tam sollicita Apostoli inculcatio *a: Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas, nisi à Deo. Itaque qui resistit, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* Et vim talis obligationis exponens, *Ideò*, inquit; *necessitate subditi estote, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Hinc acerba illa Moysis contra Iudæos increpatio *b: Audite rebelles & increduli.* Ut verò istius criminis execrabilis magnitudinem Propheta patefaceret, ait *c: Quasi peccatum ariolandi est, repugnare: & quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere* d, non solùm imperanti Deo, sed etiam, qui per Deum regnant, Regibus, & per ipsum imperant, Principibus. Etenim ipse per os incarnatæ Sapientiæ de vicariis suis præfectis dixit *e: Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit.* Quam ob causam Augustinus inter cetera belli injusti mala, rebellandi feritatem graviter culpat *f: Nocendi cupiditas, ulciscendi crudelitas, impacatus atque implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & si qua similia, hæc sunt, quæ in bellis jure culpantur.* Sed quid in re perspicuâ, Christianæque religionis ac pacis fundamento capitali, opus pluribus satagere? Reges, Principes, Rectores rerum quarumcumque publicarum, utilissimam istam sanctissimamque doctrinam esse, uno omnes ore clamant; eamque Christianissimi Reges præcipuè probant: adversùs quos, nescio quo suo vel gentis fato, rectus ille jubendi & serviendi ordo, crebriùs, quàm vellent, rebellandi levitate ac feritate turbatur.

Sed

a *Rom.* 13. b *Num.* 20. c 1. *Reg.* 15. d *Proverb.* 8.
e *Luc.* 10. f *August.* l. 22. *cont. Faust.* c. 74.

Sed non molestè, obsecro, ferant etiam reliquam Christianissimæ doctrinæ partem, ut plenissimâ Regni sui tranquillitate potiantur. Quemadmodum rebellare legitimis Principibus, injustissimum est; ita rebellibus opitulari perversissimũ, & eâdem humanâ, & divinâ, & æternâ lege damnatum. Perversissimum est igitur, ac divinis humanisque legibus contrarium, Batavis, Palatino, Protestantibus Germaniæ, Principi suo legitimo pertinacissimè rebellantibus, opem ferre; rebellionemque consiliis, armis, fœderibus, pecuniis, incitare, fovere, roborare. An fortè aliquis diffitebitur, scelerum apertorum cooperationem esse scelus? Non arbitror. Nefarium scelus esse rebellionem nemo Principem prudentum negat. Eamdem ergo suscitare, fovere, roborare, gravissimum profectò fateatur necesse est. Nam, ut Apostolus de *contentione & inobedientiâ*, & aliis criminibus, rebellione longè mitioribus, dicit a: *Qui talia agunt, digni sunt morte*: ita de consentientibus, multoque magis incitantibus, ac foventibus subnectit b: *Et non solùm qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.* Quâ Apostolicâ veritate nihil sanctius esse sentiunt, dicuntque Reges, quando eorum Imperium rebellione subditorum quatitur, quorum audaciam extraneorum Principum opes, favor, ac miles muniat. Tunc enim occultiùs in cordibus Principum scripta veritas indignissimum facinus esse vociferatur, adversus legitimum Regem, quem Deus populis ac natura præfecerit, rebelliones machinari; nec multò inferiùs esse crimen, consiliis, armis, nummis, fœderibus rebellantium ferociam accendere, & nutrire pervicaciam. Rectissimè. Sed quid tibi veritas fecit, Christianis-

a Rom. 1. b ibid.

ſtianiſſime Rex, ut eam cauſæ tuæ patrocinantem probes, exoſculeris, in cœlum feras; teipſum verò redarguentem reſpuas, & æquiſſimam ejus vocem averſeris? Memento immobilis oraculi æternæ Veritatis: *Quod tibi non velis fieri, nec alteri eſſe faciendum.* Rebellionum fautores damnas, quando premeris; damna, cùm premis. Amas lucentem tibi veritatem; ama pungentem. Ipſa ſemper innocentiſſima, & blandiſſima eſt, ſine fuco rectiſſimam æquitatis regulam proferens: ſed cui animus gloriæ, vel invidiæ facibus incitatus ardet, illi moleſta eſt veritas, quæ omnes omnium rebelliones cum omnibus earum incentoribus & fautoribus damnat. a *Palato* enim *non ſano pœna eſt panis, qui ſano ſuavis eſt: & oculis ægris odioſa lux, quæ puris amabilis.* Sed ita juſtus & miſericors Deus eſt, ut, qui nullis internis externiſque clamoribus æquiſſimæ veritatis erudiri potuerint, factis ejus, eventiſque doceantur. Reddere enim ſolet in caput eorum id, quod aliis ipſi reddidêre. Conjurationibus, hæreſibus, rebellionibus injuſtitiam eorum diſtortam contundit, & animoſitatem frangit: ut vel ſic diſcant rebellium patrocinio non perturbare alienæ Reipublicæ tranquillitatem, qui in ſuâ pacem & obedientiam quærunt. Non animadvertunt, quid populis ſibi ſubjectis, quid Principibus extraneis propinent imitandum. Nam qui rebellibus opitulatur, ſubditos ſuos rebellare, exteros eis opitulari docet. Si tunc domeſtici, ſi vaſalli Principes, ſi populi adversùs hujuſmodi Reges tumultuentur, non eſt, quòd de ſummi Dei conquerantur injuſtitiâ. *Amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam.* Hoc enim juſtum, hoc æquum, hoc immutabilibus Dei legibus cōſentaneum eſt, ut ſubditi do-

a *Aug. l. 7. confeſſ. c. 16.* b *Matth 6.*

ctrinæ

ctrinæ tyrocinium in ejus Regno faciant, à quo illam didicerunt: quique rebelles in alieno Principatu fecit, aut juvit, in suo vicissim rebelles ipse patiatur. Quam inculpabilem justitiæ regulam, in plectendis criminibus intuebatur Augustinus, quando dicebat a: *Injustum erat, ut, qui non crediderat Deo vero, non deciperetur à falso*. Et propinquius alibi b ad rem præsentem: *Injustum erat, ut obtemperaretur à servo suo ei, qui non obtemperaverat domino suo*. Ecce & ego dico, nec vereor, ne redarguar: Injustum est, ut, qui rebelles adjuvat, non subditos quoque suos rebelles, & extraneos rebellium adjutores ferat. Non quòd cujusquam crimina, sed justitiæ æquitatem defensam velim; cujus immutabili normâ sancitum est, ut, *per quæ peccat quis, per hæc & torqueatur*. Sed quis sapiens, & intelliget hæc? Scio equidem, rariores in Principibus sunt, quorum oculi in illam justitiæ cynosuram ita fixi sint, ut non foveāt seditiones ac rebelliones, quas pati nolint. Sed cur de illo desperemus, qui præclarum sui cognominis decus à justitiâ trahit? Veniet, spero, annis labentibus ætas, quâ remotis perversorum consiliorum flabris, quibus à statu illius æquitatis dimovetur, velut aqua ab igne circumstante liberata, ad naturalem justitiæ splendorem redeat, & omnes hujusmodi pravissimorum fœderum nexus, non sibi minus, quàm exteris Principibus perniciosos, abrumpat.

a *Aug. lib. 5. cont. Iul. cap. 4.* b *lib. 1. de nupt. c. 6.* c *Sap. 11.*

## CAPVT III.

*Batavi perfectissimè rebelles Regi suo.*

SEd jam diu tacitum quorūdam murmur mihi audire videor, non esse rebelles Batavos Prin-

cipi suo, non Palatinum, non Protestantes. Ut proinde percussa cum eis, & cum Sueco, propter illos adjuvandos; fœdera, nullâ rebellionis participatione maculentur. Nam omnibus rebellium adjutoribus & fautoribus istam fœdissimam labem adhærere tam perspicuum est, ut nec ipse Arroyus hoc voluerit aut potuerit diffiteri. Cùm enim statuisset, neminem subditum, quisquis fuerit, posse adversùs Principem suum arma capere; sic de rebellium patronis loquitur a: *Quod ad bellum attinet, quotquot sequuntur eum* (rebellem Principi suo Ducem) *sive milites, sive tribuni arma ferant, ejusdem criminis rei sunt, cujus auctor: nec enim eis nescire fas est, arma contra Principis sui obsequium ferri, si ejusdem sint nationis: sin verò extranei, scire debent, eum, cui serviunt, non esse supremum Principem. Itaque quisquis in bello Domini cujuspiam non supremi stipendium facit, scire debet, illum, quandoquidem subditus est, arma ferre non posse.* Et infrà adhuc luculentiùs b: *Omnes, qui rebellioni magnatis, sive verbo, sive scripto, favent, licet fortè aliquid reprehensione dignum ex parte Principis inveniretur, eodem peccant crimine, quo rebellis. Turbant enim pacem Reipublicæ, nam, ut S. Thomas ait, leges etiam injustæ Principum supremorum subditos obligant,*

a FOL. 205. Pour la guerre, tous ceux qui le suivent, soient soldats ou Capitaines, portant les armes, sont coulpable du mesme crime, que leur auteur, parce qu'ils ne peuvent ignorer, qu'on ne porte les armes contre le service de leur Prince souverain, s'ils sont nationaires: & s'ils sont estrangers, ils doivent sçavoir, que celuy qu'ils servent, n'est pas souverain. Or qui sert en guerre un Seigneur, qui n'est pas souverain, doit sçavoir (qu'estant subject) il ne peut lever les armes.

b FOL. 212. Tous ceux qui favorisent la revolte d'un Seigneur par parolles ou par escrit, quand mesmes il y auroit quelque chose à redire du costé du souverain, peschent du mesme crime, que le rebelle, parce qu'ils troublent le repos publicq: parce que, dit S. Thomas, les loys mesmes injustes des souverains obligent les subjects, quand elles ne peuvent estre mesprisées sans scandale, & sans trouble, excepté celles, qui obligeroient à suivre l'idolatrie ou à quiter la vraye religion: Si tels fauteurs sont homagers & tributaires, ils sont felons: & s'ils sont souverains, ils pechent contre les loys des gens; & peuvent estre attaquez comme ennemis, par ce qu'ils font injure, & favorisent la brutalité des revoltes,

*gant, quando sine scandalo ac perturbatione sperni nequeunt; illis exceptis, quibus ad idololatriam, vel veram religionem deserendam cogeremur. Si tales fautores vasalli ac tributarii fuerint, majestatis rei sunt: si supremi, jus gentium prævaricantur, & hostiliter tractari possunt. Injuriam quippe inferunt ac rebellionum brutalitati favent.* Ita Arroyus asserit istius criminis injustitiam, cuius nos radices paulò clariùs detegere conati sumus. His ergo in hunc modum constitutis, paulò attentiùs ponderemus, quo loco Batavi, Palatinus, Protestantes, haberi debeant, ut, quod par est, de fœderibus Francorum, subsidiisque statuamus.

Batavos perfectæ rebellionis reos esse, nemo, quantumvis expers Theologiæ, vacuus Jurisprudentiæ, ac tardus ingenio, infitias ire poterit, si animi æquitatem ponderibus lancis afferre velit. Rerum tantummodò gestarum cognitione imbutum esse oportet, ut quis absque fluctuatione & erroris periculo judicium ferat. Duo omninò sunt, quæ rebellionis naturam absolvunt: ut legitimum quis habeat Principem seu superiorem, cui pareat; &, ut ab ejus fide deficiat, detrectando imperium ejus: quod Græci apposito vocabulo ἀφηνιάζειν, hoc est, *frænum excutere*, vocaverunt, quemadmodum contumaces equi solent. Regem Hispaniarum legitimum fuisse Principem confœderatarum Provinciarum, nec ipsi Batavi negant. Numquam eò adhuc erupit insolentia, ut istud vel dicerent initio tumultuum Belgicorum, vel etiam nunc dicant. Habet enim nonnumquam veritas vocem ita manifestam, ut eam cujuscumque frontis impudentia dissimulare non possit. Quis enim nesciat, Philippum Secundum, Belgarum

rum Principibus esse satum? Nec enim eis bello Belgium parta præda est, ubi novum jus arma plerumque cudere solent; sed longâ progenitorum serie transmissa indubitatæ successionis hereditas. Quod ita perspectum iis fuit, qui telam istius rebellionis orsi sunt, ut in illo temulento cõvivio *a*, quo Bruxellæ trecenti fœderati nobiles strenuè publicarum rerum curam, atque consilia, inter pocula, in ædibus Culenburganis, agitabant, nihil clamarent vehementius, quàm, *Vivat Rex, vivant Geusij*. Nam & numisma cudi *b* curarunt, in cujus uno latere effigies Principis his verbis circumscripta, *Fideles Regi:* in altero duabus fœderatis manibus quasi symbolo conspirationis implicata mantica, cum hisce characteribus, *Usque ad manticam*.

Quid, quòd per multos annos, quibus jam fervebat rebellio, sub obsequii Regis prætextu actitabantur omnia? Nam Regis abdicatio non nisi quindecim integros annos post inchoatam seditionem, anno 1581. septimo Kalendas Augusti proclamata est. Tunc enim, crescente rebus jam firmatis audaciâ, detracta larua est, & fronte retractâ Regem ejurantes, publicum Edictum Hagæ-Comitis affixerũt, cujus inscriptio promittebat *c*, *Regem Hispaniæ excidisse Præfecturis ac Dominiis Provinciarum inferiorum:* & prohibebat, *ne quis deinceps ejus Nomine, aut Insigniis, in dictis Provinciis uteretur*. Batavos ergo & fœderatas eis Provincias Regem Hispaniæ, legitimum Belgarum Principem, agnovisse, extra controversiam est.

Quid igitur? Dubitabimus fortè, an à fide sui Principis defecerint, atque ejus imperium detrectave-

a *Anno 1566. mense Aprili.*
b *Floren. vander Haer lib. de initiis tumult. Belgic.*
c *Edictum datum Haga-Comitis 26. Iul. 1581.*

ctaverint? quod erat alterum rebellionis constituendæ caput. Sed eò insaniæ necdum ab ipsis Batavis ventum est. Vela prætexerunt facinoribus suis, ut sub iis, tamquam ficuum foliis, quemadmodum à primo rebellionis auctore factum noverant, impudentia delitesceret. Nec enim existimo, si omnes historias revolvamus, expressior idea, & iniquior causa rebellionis sese offeret, quàm ea, cujus effigiem in scenam orbis terrarum Batavi protulerunt. Etenim ut majestatis læsæ, ita & rebellionis, gradus sunt. Teterrimus ille est, quando non temporalis cujuspiam commodi assequendi cupiditate arma capiuntur, ut sæpè fieri solet, quo obtento, salva manet aut redit subjectionis erga Principem fides; sed quando ipsa in universum obedientiæ Principalis fides horretur, impugnatur, evertitur, & seditionum rabies in odium ipsius Monarchici Principatûs erumpit. Hoc verò ipsissimum hujus rebellionis Belgicæ malum fuit. Nam cùm factio illa popularis primùm in Religionem execrandis modis, excusso Magistratuum Regiorum & municipalium jugo, sæviisset; mox credendi libertate in licentiam rebellandi versâ, armis impietatem tueri conati sunt. *a* Nobilium quippe conspiratione & *b* Conventibus, Magnatumque *c* freti conniventiâ; nihil insolentiæ non sibi audendum consueverunt. Hinc *d* urbium occupatio, *e* delectus militum, *f* præsidiorum recusatio, *g* Regiorum Legatorum contumelia & captivitas, antequam ullus

cum

a *Ann.* 1565. & 1566. b *Breda mense Martio ann.* 1565. & *Bruxellæ Nonis Aprilis.* c *Orangii, Hornani, Egmundani, &c.* d *Valencena, Buscïducis, &c. an.* 1566. & *initio* 1567. e *à Bredenrodio, Tholousio & aliis.* f *Valencena, Buscïducis.* g *Sylvaducis per Bombergium: Amstelodami per Brederodianos*

cum Albano Duce in Belgium appulisset miles. Hinc legati in Gallias, Angliam, Germaniam, dimissi; hinc consilia turbandæ Reipublicæ quibuscum videretur, suscepta; hinc subsidia ab exteris postulata.

Cùm verò, crescente successu cum insolentiâ, impunitatem sibi ex auctis viribus pollicerentur, publicis Edictis *a* abjurarunt Regem suum, ac deturbatis Insignibus ejus, Diplomata lacerarunt, atque à se nova, tamquam summis rerum moderatoribus, petenda curaverunt. Nimirum non solùm persona Principis, sed, quod culmen rebellionis, Principatus ipse displicebat. Hoc enim ipsum in Gubernatoribus sibi adsciscendis, hoc in Principe novo deinceps diligendo spectavit rebellantium furor. Nam Archiduci Matthiæ, quem in Gubernatorem adsumpserant *b*, tot articulis atque conditionibus circumscripsêre potestatem, ut tamquam statua nomen Gubernatoris quasi frontibus inscriptum gereret, ipsi totâ agendi auctoritate pollerent. Hinc pertæsus ignominiosæ potestatis, & ludibrium se Belgarum ratus, in Germaniam, unde venerat, se proripuit. Id ipsum Lycestrius Comes & litteris *c* ad Junium datis, & peculiari libello graviter adversùs Ordines questus est. Speciosior, non melior, Ducis Andegavensis, quem & Alensonium dicunt, conditio fuit: *d* quem Ducem Brabantiæ & *e* Comitem Flandriæ, sed potestatis expertem, inauguraverant. Itaque postea coram Ordinum Legatis questus est *f*. *Ipsos tutores, se pupillum: Ipsos legumlatores, se circumscriptum*

*earum*

a *Anno* 1581. *Hagacomitis* 26. *Iulii*. b *An.* 1577. 17. *Sept.*
c *Littera data* 10. *Iunii an.* 1587. 7. *Sept. ejusdem anni.*
d *Mense Ianuario anno* 1582. e 25. *Augusti ejusdem anni.*
f *In Oratione ad Deputatos Ordin. Antverpia anno* 1582.

*earum executorem esse*. Quamobrem, ut sibi securitatem pararet, auctoritatemque Duce dignam, præcipuas Belgii civitates occupare conatus est. Quâ spe postquam cum jacturâ militum suorum, & nobilitatis excidisset, in Franciam reversus est; reipsâ edoctus, quod spargebat, *Non Principem Belgas, nisi cui imperarent: non veritatem ejus, sed umbram postulare*. Nempe hactenus ignoraverat, non Principes, nō Gubernatores, haud secùs Gallos, Anglosque, quàm Hispanos, eos quæsivisse, sed fulcra rebellionis, personata ludibria potestatis, larvas auctoritatis: ut ipsi dominatum sibi assererent, tragœdiamque, quam jugi Regii excussione auspicati fuerant, omnis odio Principatus, præterquam sui, se agendam suscepisse testarentur. Quâ calumniarum impudentiâ non lacerarunt Principem suum? quas conjurationes ei non concinnarunt? quos æmulos ei hostesque non excitarunt? Ab Oriente in Occidētem totum terrarum orbem terrâ marique lustraverunt, ut aliquem ei satanam, tempestatemque commoverent. Hæc si Rex Christianissimus probat, si violatæ fidei damnatæque rebellionis notâ carere putat, quam portam subditis suis aperiat profectò videt. Exēplum enim illustre præ oculis habent; successum fœdera Francorum conciliarunt optatissimum; animum audēdi facilè occasio proclivis dabit. Et quid non meritò audeant sub tanto fœderum Christianissimorum adversùs legitimos Principes patrocinio? sub tanto rebellium Batavorum magisterio? Ad inflammandam seditionis rotam paratissimi sunt: odio est ipsis, quisquis ubique locorum Princeps, aut Principatus est, nisi fortè, qui ipsis adversùs Proprium opituletur. Jam spiritus eorum sensit ipse

ipſe Francorum Rex in clandeſtinis eorum cum Hugonottis contra ſe machinationibus. Et quis in Europâ Princeps non eorum expertus eſt in difficultatibus inteſtinis pervicaciam? Emdanus, Brūſvicenſis, Brandenburgenſis, Anglus, Cæſar interrogentur. Quid enim niſi rebellionem rebellis pariat? Inde nutritur unumquodque, unde naſcitur.

Sin verò nemo, quantumvis humani diviniq́ue juris imperitus, dubitat, execrabiles iſtiuſmodi conjurationes factioneſque ſubditorum adversùs legitimum Principem, omniū tam fidelium quàm infidelium judicio, illicitas, omnium gentium legibus proſcriptas, omnium jurium, civilis, Eccleſiaſtici, diviniq́ue ſanctionibus damnatas eſſe; illicita igitur, proſcripta, damnata fœdera ſunt, quibus Chriſtianiſſimi Reges rebellibus iſtis ad eumdem Principem amicum terris ſuis arcendum, conſiliis, pecuniis, armis, militibus ſuppetias ferunt, omnibuſque modis id unum agunt, ne saniora capiant, depoſitâ rebellione, conſilia.

Quæ quidem eò magis in Chriſtianiſſimo Rege miranda ſunt, quòd neque plenæ pacis veneratio, neque [a] pactorum religio, quæ à majoribus jurata ſunt, fœdera iſta cum rebellibus retardare potuerunt. Nam inter cæteras Pacis Vervinianæ leges una capitalis fuit, ut illo tractatu *renuntiaret omnibus fœderibus, commerciiſque, quæ quoquo modo in præjudicium* Regis Hiſpaniæ redundare poſſent, *neque cuiquam favorem* in ejus detrimentum præſtaret. Adversùs quæ jam inde ab initio in hunc uſque diem ſubſidia militum atque pecuniarum

[a] ARTICLE SECOND DE LA PAIX DE VERVIN : Ils ne ſouſtiendront ni favoriſeront perſonne, quel qu'il ſoit au prejudice l'un de l'autre.
ITEM : Ils renonceront par ce preſent traicté à toutes les practicques, ligues, & intelligences, qui pouroient en quelque maniere reſulter au prejudice de chacun d'iceux, &c. en l'an 1598.

rum Batavis destinata sunt, quibus diu ante inducias Belgicas ex pacto ad bellum adversus Regem conferendis Henricus Quartus se devinxerat: quemadmodum & auctores *a* Galli, & ipsæ *b* pactorum leges, & effecta inde consecuta testantur. Nam nõ ita multò post initam pacem, duæ legiones Francorum in Ordinum confœderatorũ exercitu militabant: quorum operâ Gravia Catholico Regi extorta in hæreticorum potestatem venit. Ita ipse Pontifex *c* Clemens VIII. Henrici IV. Legato graviter de fœderibus istis, suppetiisque questus est, ut quæ nõ minùs initæ juratæq; pacis pietate, quàm fotę rebellionis impietate, dãnarentur.

a SCIPION DV PLAIX EN HENRY IV. Il estoit bien aise de faire condescendre les Estats de ces Pais Bas à une bonne paix ou à une longe treve avec l'Hispagnol, afin de se decharger luy mesme DE LA CONTRIBVTION A LAQVELLE IL S'ESTOIT OBLIGE EN LEVR FAVEVR DVRANT LA GVERRE.

b L'ARTICLE 4. DE L'ALLIANCE FAICTE AVEC LES ESTATS L'AN 1608. PARLE AINSI : En recognoissance de quoy, & des autres grandes faveurs & assistences, que les dicts Sieurs Estats ont receu de sa Majesté, ils ont promis & serout tenus, &c.

c *Apud Ossatum Cardinalem epist. 327.*

## CAPVT IV.

### *Libertas novæ Religionis appetita non purgat maculam rebellionis.*

QVid enim ad maculam rebellionis eluendam facit, quòd de novis Religionibus repressis, Edictisq; sanguinariis, tam invidiosè Batavi cónqueruntur? Hæc enim Princeps Orangius & *d* Responso ad citationem Regis, & postea in *e* Apologiâ suâ, & ipsi Ordines confœderati in *f* Edicto, quo Regem suum abdicarunt, præcipuè & vehementer inculcant. Quasi verò non

*d Edita est anno 1567. e Edita est an. 1580. & 27. Septemb. in Ordinum conventu exhibita. f Editum est ann. 1581. Hagæ-Comitis 26. Iulij.*

non ante omnem Albani severitatem universa penè Belgii templa spoliassent, calcataque avitâ Religione, Deo ac Regiis Magistratibus rebellassent. In circulis hæreticorum aliquid loci & ponderis habeant istæ querimoniæ, quibus licentia novandæ Religionis lapis Reipublicæ condendæ angularis est. Nam isto obtẽtu & Hugonottæ in Franciâ egregiè purgant causam suam: qui severitatem Francisci I. & Henrici II. & Caroli IX. matutinasque Parisienses invidiosissimè canunt. Sed apud Christianissimos Reges quis talia nugamenta probari credat? Christiani sunt, Catholici, ac Romani sunt: duodecim sæculorum usu sciunt hæreses à Regibus, & à Cæsaribus compressas esse, legibus, mulctis, gladio. Nihil actum à Belgarum Principe, quod non duriùs antiquissimis tam civilibus quàm Canonicis legibus præscriptũ fuerit. Sciunt easdem difficultates majores suos esse passos; licentiam cõcionum hæreticarum primô repressisse, deinde dicta *a* laxasse, sicut ea & in Belgio in ipsis initiis relaxata sũt. Quid in hac tota re Christianissimi Reges culpent, quod non à majoribus eorum vel factitatum sit, vel justissimè ab ipsis, aut seipsis factitari posse concedant? Quis ergo Catholicus, sive Belga, sive Francus, non omnibus numeris absolutam istam rebellionem fateatur, nisi qui velit capitalem legem atque sententiam adversùs Regem etiam suum, antiquosque Cæsares, ipsiusque adeò Ecclesiæ Catholicæ disciplinam scribi?

*a* *An. 1565. 24. Martii pro Brabantiâ: & postea mense Aprili pro omnibus Provinciis.*

## CAPVT V.

*Diluitur objectio ex Induciis petita, quibus Provinciæ confœderatæ* liberæ *declarari videntur.*

SEd alia est in ore Francorum frequens tergiversatio, Regem Hispaniarum liberas agnovisse, vel fecisse Provincias fœderatas. Nam Induciarum primus articulus, ab Hispaniarum quoque Rege probatus, fuit a: *Serenissimi Archiduces profitentur, tum suo, tum Catholici Regis nomine, se paratos agere cum Ordinibus Generalibus Provinciarum fœderatarum, sub qualitate, & tamquam eas liberas agnoscentes, in quas nullum dominii jus prætendant; & cum iis inducias transigere, iisdem nominibus & qualitate, uti his præsentibus scriptis transigunt in hunc modum.* Objectio ista popularis est, ex ignoratione non solùm phraseos istius, alioquin per se perspicuæ, sed etiam juris summi imperii, & subditorum, & rerum gestarum profecta. Quo efficitur, ut eam viri in Republica tantillum versati, non solùm extranei, sed etiam ipsi Batavi, velut frivolam prætereant. Nam verborum formula per se ipsa clamat, non Provinciis absolutam libertatem adseri, sed personis tractantibus certam ad tractandum qualitatem tribui; quam nisi induerent, ne pacisci quidem cum Principibus ullâ ratione potuissent. Nam Ordines fœderatarum provinciarum esse jure subditos suos, Belgarum Principes, tamquam rem luce meridianâ clariorem, semper statuerunt. Hoc est autem imperii summi, Principumque supremorum jus,



a *Artic. 1. Induciarum pactarum ann. 1609. 9. Apr. Ant.*

ut cum eis vel pacisci de propriis eorum urbibus, provinciis, atque Religione, subditis capitale sit, nisi ultrò ipsi Principes suo jure decedant. Partitur enim imperium unius in multos, Majestatemque Principis lædit, quisquis ei subditus conditiones ponit: nam hoc ipso vel subjectum Principi, vel Principem subjecto parem facit. Principi verò subditos dominatu ac potentiâ æquare, aut Imperii socios adjungere, criminis gravissimi loco semper habitum fuit. Nam ista paritas, aut adjunctio Monarchicum principatum tollit, atque in Aristocratiam vel Democratiam degenerare facit. Unde nata illa usitata sententia, quam à Themistocle & Catone, principibus Reipublicæ suæ viris, profectam volunt, Nec mortales adversùs Deum immortalem, nec privatos adversùs Rempublicam, hoc est, adversùs summum imperium, præscribere posse. Et quisquis privatus aut subditus quâcumque potestate in jura Majestatis involaverit *a*, capitali fraude obligatur. Irritum est igitur ipso jure, quidquid subditus cum suo summo Principe de urbibus ejus, & provinciis, & jurisdictione, & similibus, paciscitur, nisi expressâ vel tacitâ Principis consensione vel renuntiatione ratum fiat. Subditi est enim, conditiones accipere, non Principi suo dare; obedire, non præscribere; multoque magis à Majestatis ac Sceptri juribus temperare manus. Unde fit, ut non cum Principe suo tantùm de jure Principatûs, sed neque cum exteris quidem jungere possit, sine Principis veniâ, propriæ securitatis fœdus. Quam ob causam cùm Dux Aurelianensis, qui Lutetiæ cæsus est, multorum calumniis preme-

*a* *Lib.* Sacri affatus, *Cod. de Diversis rescript.*

premeretur, nihil gravius cæsi manibus obiectum ferunt, quàm quòd fœdus cum Duce Lancastrio clàm percussisset. Quod quidem si quibus, cùm sint subditi, licet, hoc ipso erga illos jus supremæ majestatis relaxatum est.

Quapropter, ut omnis suspicio fraudis, de qua ex isto fortassis etiàm capite solliciti erant Ordines confœderati, trepidantibus omni ex parte tolleretur; conceptis illis pactorum verbis Principes expresserunt, se (quantum ad illum tractatum attinet,) ex Principibus se fecisse pares, hoc est, se jus majestatis exuisse, & conditionum pactarum ultrò subiisse jugum. quod nemo subditorum sine crimine eis injicere potuisset. Nam *æquum fœdus*, ut loquuntur, numquam inter Principes, tamquam tales, atque subditos coalescere potest. Numquam ergo ex Principibus Belgarum auditum est, se Provincias fœderatas *absolutè liberas agnoscere*, se *nullum dominii jus prætendere*: numquam dictum, numquam scriptum est: cujusmodi renuntiatio in re tanta, multò majori profectò solemnitate fieri debuisset. Ubi enim hîc cessio juris? ubi resignatio? ubi abdicatio proprietatis? ubi donatio? ubi translatio dominii? sine cujusmodi formulis ex ordine consueto juris, nec privatorum prædia & hereditates, quantumcumque coram publicis pactorum perscriptoribus, quos Notarios dicimus, atque testibus stipulationes consignentur, in possessores novos transeunt. Quanto minùs Dominia, Ducatus, Principatus, Coronæ? Nudè igitur & solertissimè dixerunt, se cum Ordinibus Provinciarum fœderatarũ paratos agere, *sub qualitate*, itemq; *tamquam* eas liberas agnoscentes, in quas nullũ dominii jus prætenderẽt:

 & rur-

& rursum, cum iis transigere inducias *iisdem nominibus, & qualitate.* Si de industria cavillationibus Batavorum occurrere studuissent, non potuissent accuratiùs absolutam renuntiationem Provinciarum à personarum paciscentium temporariâ qualitate secernere, utpote quas istis clausulis, tamquam quâdam summi Imperii voluntariâ depressione, habiles ad paciscendum secum declarare, securasque de conditionum pactarum præsenti obligatione, & futura observatione, reddere voluerunt.

Enimverò, si vim verborum ipsorum justis ponderibus trutinemus, quis nesciat, *tamquam*, plerumque similitudinis, non veritatis, esse notam? *Hic error*, inquit Sapiens a, *tamquam lex custoditus est, & tyrannorum imperio colebantur figmenta.* Et Apostolus b: *Tamquam purgamenta hujus mundi facti sumus, omnium peripsema usque adhuc.* Et ipse Christus de se c: *Tamquam ad latronem existis.* Quemadmodum igitur his verbis nec error iste *lex*, nec Apostolus *purgamentum & peripsema*, nec Christus *latro* constituitur: ita nec Provinciæ confœderatæ agnoscuntur liberæ; sed *tamquam liberæ*, *tamquam* in quas nullum dominii jus prætendant, hoc est, eò, quantum ad istam conventionem, habentur loco, ut, quamvis Dei atque hominum prudentum judicio rebelles sint, cum Dominis tamen ac Principibus suis *æquo fœdere* pacisci possint, de illis ipsis urbibus, provinciis, statibus, dominiis, juribus, quæ Principibus suis per fas & nefas rapuerunt; nec eis fraudi sit abjectio propriæ conditionis, quę non ex æquo cum Dominis suis loqui, sed dignitati eorum modestiam,

a *Sap.* 14. b 1. *Cor.* 4. c *Matth.* 26.

ſtiam, majeſtati verecundiam, juſſis obedientiam debet. Hinc ergo proficiſcitur, ut iſta agnitio libertatis, ſicut propter tractatum illum inchoandum & peragendum præfractis ingeniis indulta fuit, ita etiam non niſi ad præfixum induciis tempus protendatur: quo præterlapſo, in eumdem cuncta redeunt, quo ante pacta conventa fuerunt, ſtatum; jus Principale quaſi nubibus tectum rurſus emicat; radii Majeſtatis ſupremæque poteſtatis iterum ſubditorum ſuorum vultum feriunt; nota Rebellionis tantiſper quaſi ſopita reviviſcit.

Verùm enimverò Belgarum Principibus numquam in mentem veniſſe, ut Provincias fœderatás illâ ſolâ induciarum pactione à ſuo domino abdicarent, tot indiciis ex ipſis actis manifeſtum eſt, ut vel maligniſſimos eſſe neceſſum ſit, vel rei geſtæ prorſus imperitos, qui ex verbis commemoratis libertatem Provinciis illis aſſertam volunt. Nam in primis, cùm à ſexta Februarii ann. 1608. quæ primæ ſeſſioni deſtinata fuit, uſque ad vigeſimam Auguſti, crebrò inſtantiſſimeque Ordines confœderati poſtulaſſent, ut Rex Hiſpaniæ & Archiduces *ſummo imperio a* Provinciarum iſtarum renuntiarent, cum quibus jam *tamquam* cum liberis Provinciis tractare cœperant, eamque clauſulam mandatis aliquoties inſeruerant; tandem accepto reſponſo ex Hiſpaniis, denuntiatum eis fuit, Regem Archiducemque paratos eſſe, dummodò & Catholicæ Religionis uſum publicum, jam diu abolitum, in Provinciis ſuis reſtituerent, & ab Indica navigatione temperarent. Quâ lege non acceptâ, operoſus ille tractatus abruptus eſt. Si illa *tamquam* liberarũ Provinciarum agnitio & confeſſio, & cum eis *tamquam talibus* tractatio,

a *La ſouveraineté.*

& induciarum octimestrium sub tali clausula conventio, abdicationem Provinciarum libertatemque continebat; quid ulteriùs de renuntiatione summi imperii satagebant? Retinebant igitur adhuc Principes, ipsorum Ordinum judicio, jus suum in Provincias, utpote cui adhuc renuntiandum esse putabatur.

Sed illud multò luculentius, quod, cùm Legati Regum Franciæ & Angliæ vehementissimè confœderatos Ordines premerent, ut saltem inducias in annos aliquot paciscerentur, trigesimo Augusti responsum eis fuerit, se consentire, hac tamen lege, *ut simpliciter & absolutè status eorum liber, suique juris pronuntietur, neque posteà, cessantibus induciis, eorum libertas in dubium revocetur*: hoc est, quemadmodum Præses Janninus, Christianissimi Regis Legatus, eorum petitionem exprimit, caveri voluerunt, ut Provinciæ declararentur liberę, nō pro induciis tantùm, sed *a in perpetuum*. Quæ declaratio ut à Rege Hispaniarum fieret, per eosdem illos Regum Legatos petendum urgendumque curaverunt, sicut *b* Janninus ipse locuples testis est. Sed ab Archiducum Delegatis tertiâ Septembris responsum est, se nihil de paciscendis hac lege induciis in mandatis habere: cæterùm se Legatorum Franciæ & Britāniæ Regis postulata Bruxellas misisse, atque intra quatriduum responsum exspectare. Quo ad septimam Septembris accepto, Prin-

a. Pour tous jours: *le Pres. Iannin en la Remonstrance manuscripte aux Estats Generaulx le 14. Octob. 1601.*

*Item en un autre escrit, où il deduit les raisons pour embrasser cette Treve, dressé un peu auparavant.*

b LE MESME: Mais nous ayant esté dit lors, qu'on pouvoit esperer esclaircissement, & voyans aussi, que plusieurs le desiroient avec ardeur, comme s'il eust esté necessaire pour la seureté publicque, il nous sembla, qu'on le debvoit tenter.

:incipum ſuorum mentem aut conſilium nequa-
ıam eſſe dixerunt, ut his conditionibus induciæ
ım fœderatis Provinciis coaleſcerent. Cumque
ꞌrdines efflagitarent, quid cauſæ eſſet, cur Rex
: Archiduces illam *neceſſariam declarationem*
ldere detrectarent, *reſpondent*, inquiebat Lega-
ıs Regis Chriſtianiſſimi *a*, *ſe ad nihil amplius*
*ſtringi: hoc eſſe totum, quod nomine Regis Hiſpa-*
*ıæ ſpoponderunt, & ab ipſo extorquere magnâ cum*
*fficultate potuerunt; cùm Concilio ejus, potiùs om-*
*a abrumpenda, quàm concludenda ſub illis poſtula-*
*: conditionibus, videretur.* Hæc ille. Nónne iſta
ɔertatis perpetuæ declaratio, tam ſollicitè in-
ınterque poſtulata, & Regis Archiducumque
m abrupta recuſatio, omni tubâ ſonoriùs cla-
uſque proclamat, diſcrimen inter perpetuam
: momentaneam iſtam libertatem, inter veram
: umbraticam, utrimque optimè intellectum
ııſſe, magnoque judicio, unâ conceſsâ, alteram
agitatam & negatam?

Sed quamvis nihil iſtorum perſpicuæ ſuffraga-
:tur veritati, ipſa induciarum ratio totam vim
tiùs tergiverſationis evertit. Nam induciæ quid
ıiud ſunt, quàm inter hoſtes à bello ad certum
:mpus pacta pax? ita nimirum dictæ, quòd
ı diem certum à pugnando otium præbeant, at-
ue, ut Agellius *b*, ex tribus dictionibus, *Inde*
*ti jam*, quòd elapſo tẽpore ceſſationis, deinceps
ımnia, ſicut antè, jure belli agantur. Quid verò
ıeptius, imò quid inſanius fingi poteſt, quàm jus

 pro-

LE PRESIDENT IANNIN AV MESME ESCRIT: Pourquoy les De-
utez des Archiducs font difficulté d'y adjouſter cette condition requiſe? Ils
:ſpondent, qu'ils ne ſont tenus ny obligez à rien de plus: que c'eſt auſſi tout
: qu'ils ont promis au nom du Roy d'Eſpaigne, & peu obtenir de luy, enco-
: avec treſgrande difficulté, ſon Conſeil eſtant pluſtot diſpoſé à rompre aux
ɔnditions par vous requiſes, qu'aider à les conclure.

*Lib. 1. Noct. Attic. cap. 25.*

provinciarum tuarum bello petere; deinde per inducias absolutè & in perpetuum abdicare, ut, iis finitis, idipsum restaurato bello repetas? Hoc enim induciæ ipso suo nomine profitentur, nolle paciscentes jure quemque suo cedere, de quo contenditur, sed, cùm tantisper dumtaxat respiraverint, redintegratis viribus causam velle prosequi, & belli aleam experiri. Si enim alteri ceditur jus, de quo est controversia, jam profectò pax est, omnis belli & victoriæ finis. Quid enim bello suum petat, qui renuntiando nihil suum esse profitetur? vel, si quod suum est, sibi seriò post inducias vindicatum cupit, cùr renunciat? cur alienum esse declarat? An ut ante inducias justè, post eas injustè stolideque se arma movere, peritis juxtà atque imperitis probet?

Vides igitur, quàm inanis illa sit & fucata cavillatio, quâ inolitam rebellionis notam verâ istâ Regis, & sincerâ, & tractantibus necessariâ, sed perperam intellectâ, declaratione dealbare conantur. Sed, ut antè monui, non tam Ordinum confœderatorum est ista, quàm Francorum palliatio; ne à fœderibus illis, quæ diu ante inducias, & istâ larvam obtentæ libertatis pepigerant, discedere ipsâ rei indignitate ac turpitudine cogerētur. Ordines *a* enim, sicut & Legatus Regis Angliæ *b*, & ferè novatores fidei, sæpè protestati sunt, Batavos propter conscientiæ libertatem asserendam, Edictorumque violentiam fugiendam, arma cepisse, vindi-

a *In Edicto ann. 1581. 26. Iul.*
*Orangius in Apologia adversùs litteras Regis.*
b *Rudolphus VVinvvood Ambassadeur du Roy d'Angleterre, en une remonstrance faitè aux Estats pour embrasser la treve. 20. Octobr. 1608.*
La liberté de vos consciences a esté le premier subject, que les armes ont esté prises.

indicaſſeque libertatẽ ſuam. Quam cauſam cùm Catholici Franci ex Catholicæ fidei ſenſu injuſtiſſimam eſſe ſentiant, fucum falſæ libertatis fœditati veræ rebellionis inducunt. Sed veriſſima manent, quẽadmodum ante inducias, ita multò magis poſt expertam Principis humanitatẽ, illa Clementis VIII. verba a: *Galli adversùs Regem Hiſpaniæ & Archiduces, ad Hollandos ſe Zelandoſque conferunt, Deo & Principi ſuo rebelles: cùm tamen Francorũ Rex expertus ſit, quàm ſit Principibus moleſtum ac durum, quando ſubditis adversùs ſe arma capeſſentibus ſubſidium datur.* Et illa Cardinalis Aldobrandini b: *Manifeſtum eſt Hollandos ac Zelandos rebelles eſſe, neque legitimum Reipublicæ corpus poſſe conſtituere.*

Sed agedum, demus amantibus idolum libertatis ſuæ, ut ſibi ſomnia fingant: humanum eſt. Concedamus naufragantibus tabulam illam in tantis mortis impendentis anguſtiis, ut iſtâ tamquam juris Principalis renuntiatione liberi facti ſint. Quid moribundi iſto conatu obtinebunt, niſi ut certiùs pereant, & ſtigmate rebellionis indelebili poſteritatis monumenta conſignent? Quis enim eò veniat hebetudinis, ut non advertat, hujuſmodi renuntiationem, quâ ſibi, tamquam de manumiſſione ſervi, blandiuntur, antecedentem quadraginta annorum contumaciam purgare non poſſe? Hæc enim cum illis, quas factioſorum animoſitas ei affricuit, notis tranſiit; nec futurâ Principum ceſſione, ſed ſubditorum pœnitentiâ deleri poteſt. Quapropter ſi,

 poſt-

a LE CARDINAL d'OSSAT EN LA LETTRE 176. Les Francois vont contre eux pour les Hollandois & Zelandois rebelles à Dieu & à leur Prince, tellement que la meilleure Cavaillerie & Infanterie qu'ayent leſdits rebelles, eſt des Francois: & toutefois le Roy a experimenté en ſoymeſme, combien il faſche à un Prince, quand on donne ſecours à ſes ſujets, qui luy font la guerre.

b LE MESME: C'eſt une choſe manifeſte qu'ils eſtoyent rebelles, & que ce n'eſtoit point un corps & potentat legitime.

postquam seditionibus suis Belgicam pacem turbavêre, adversùs Principem suum arma capessivêre, cælum factionibus terramque miscuêre, nunc tandem aliquando legitimi Domini sui renuntiatione facti sunt liberi; quis non videat, ea facinora, quæ libertatis indulgentiam præcessêre, nefandæ rebellionis esse rea? Nisi fortè iterum laboriosâ nobis disputatione satagendum quis arbitretur (quod jam suprà satis egimus) ne Principi avitum jus in terras suas, & hereditariæ dominationis auctoritatem adhuc retinenti (sicut antè retinuit, sic nunc cessit) subditos sine scelere rebellionis tantâ pervicaciâ obluctari, totiusque mundi arma concitare posse, credatur. Ingessit eis hoc opprobrium Præses Janninus *a*, Christianissimi Regis Legatus, cùm eos ab illa impetrandæ libertatis aviditate revocaret: *Quod tamen*, inquit, *vobis contingeret* (quòd videlicet Regi subditi, eique rebelles in præteritum fuisse censeremini) *si ab Archiducibus ambire & obtinere deberetis non simplicem confessionem ac declarationem, quòd vos agnoscant liberos, sed titulum libertatis vestræ integrum atque absolutum: qui illo casu initium capere non posset, nisi ab ipsa die indultæ concessionis*. Sed filiis tantus ardor fuit delendæ in posterum fœditatis propriæ, ut paternam ac præteritam taciti prætermiserint.

Quàm verò præclarè sibi consuluerint, operæ pretium est porrò videamus. Induciarum pactione sibi libertatem indultam jactitant: jure ergo, inquiunt,

a EN LA REMONSTRANCE MANUSCRITTE FAITE AUX ESTATS SUR LE FAIT DE LA TREVE: Ce que toutefois aviendroit, (qu'on vous qualifieroit subjets & rebelles) s'il falloit rechercher & obtenir d'eux, non une simple cõfession & declaration, qu'ils vous tiennent pour libres, mais le titre entier & absolu de vostre liberté: lequel ne pourroit commencer en ce cas, qu'au jour de la concession, qui vous en auroit esté faite.

nquiunt, liberæ Provinciæ ſumus. Eadem prælonum omnium ratiocinatio eſt, poſtquam vi armatâ viatorem ſpoliaverint; eadem lex, idem jus. Nihil enim eis promptius atque juſtius, quàm ſicarum intentatione alienorum bonorum, & libertatis, & vitæ dominium ſibi obnoxium ſtipulari, & arreptæ poſſeſſionis titulo mox defendere. Jus iſtud in Codice Batavorum capitalibus exaratum eſt characteribus, quo per Oceanum quaquà patet univerſum, cædibus rapiniſque ſua compendia cumulando, utuntur ſtrenuiſſimè. Quo fit, ut ſua repetentes, velut importunos, imperitos, injuſtos occupatæ poſſeſſionis jure retundant. Nam hujuſmodi pacta ex parte latrocinantium eſſe infamia Juriſperitorum ſuffragio proſcripta, turpia, nulla, jure gentium ac naturæ damnata, auribus Batavis incompertum eſt: quibus exiguum eſt hujuſmodi facinora perpetraſſe, niſi etiam remuneratione Principali, orbisterrarum judicio, digna cenſeantur. Ecce quàm præclaro vinculo Principem ſuum vinctum tenent, qui tamquam ad pileum vocati iſtâ tam immobili libertatis conceſſione gloriantur. Et audent homines fideliſſimi fractæ fidei notam Principibus inurere, quòd exſpirantibus induciis Provincias ſuas repetiverint. Excidit eis præclariſſimum propriæ fidelitatis teſtimonium, Ultrajectina confœderatio, Edictúmque Hagæ-comitanum, quo, abjectâ Domini ſui auctoritate, ſuam ſubſtituerunt; deturbatis inſignibus ejus, ſua ſuffecerunt; ejurato ejus homagio, ſuum ſubditis obtruſerunt. Itáne miſeri non veſtri ipſorum tantùm, ſed & naturæ obliti eſtis, quæ adamantino ſtylo in rationis humanæ libro

ſcripſit *a*: *Fruſtrà ſibi fidem quis poſtulat ab eo ſervari, cui fidem à ſe præſtitam ſervare recuſat?*

Sed nulla eis fides à Principe violata eſt; quia nulla data eſt. Sciunt hoc, & ſcientes prudentesque illudi populo, Batavi & Galli in ſinu rident. Quod ex ipſis cardinibus, quibus Gallicana politia vertitur, & jam aliquot ſæculis utitur, ubi poteſt, liquidò perceperis. Docent enim, & praxi probant, ſponſiones Principum, quibus alienant partem Regni ſui, multoque magis totum, non adſtringere ſucceſſores ejus, imò verò nec ipſum Principem. Quâ lege Ducatus Burgundiæ, quem Franciſcus I. pactis Madritenſibus ſe redditurum receperat, in hodiernum uſque diem non reſtituitur. Quâ lege cùm tabulis nuptialibus Carolus VIII. irrevocabiliter reſignaſſet omnia jura, quæ in Ducatum Britanniæ ei competebant, quantumvis Anna Britannica viciſſim in Regem omnia jura ſua reſignaſſet; nihilominùs Galli Scriptores *b* non potuiſſe hoc Regem aſſeverant. Non erant ignari hujuſce conditionis Batavi. Nam idem iſte Præſes Janninus & iſtam pacti Archiducalis naturam eis explicaverat: *Non debetis*, inquit *c*, *poſtulare, ut Archiduces vobis aliquid ſuum dimittant, aut cedant; Principes enim ſupremi non niſi nudi Statuum ſuorum adminiſtratores ſunt; nec illis eos fas eſt diminuere cum ſucceſſorum ſuorum præjudicio, cujuſcumque tandem tractatûs obtentu: cùm non niſi vis potentior eis, quod ipſorum*

a *Cap.* Fruſtra 75: *de reg. Iuris, in 6.*
b *Scipio du Plaix in Carolo VIII.*
c EN LA REMONSTRANCE SUSDITE: Vous ne leur debvez non plus demander, qu'ils vous quitent, cedent, & remettent quelque choſe du leur, pource que les Souverains ne ſont que ſimples adminiſtrateurs de leurs Eſtats, & ne leur eſt loiſible de les amoindrir au prejudice de leurs ſucceſſeurs par quelque traicté que ce ſoit, qu'y ayent que la ſeule force, qui leur puiſſe oſter & faire perdre ce qui leur appartient, &c.

*um est, auferre queat.* Ut sanè mirum sit, Francos hodiernos tam impotenter de tam cariosâ resignatione gestire, quam prudentissimus iste senex, ex prudentioris adhuc Regis mente loquens, tantâ securitate contempsit. Quod eò rectiùs in isto præsenti casu fecit, quòd Jurisperitorum communem calculum firmasse non ignoraret, donationes & privilegia, quibus enormiter læditur Respublica, successorum arbitrio posse revocari. Potestas enim Principibus in ædificationem, non in destructionem data est. Quod exemplis & Hispaniæ, & Angliæ, & Galliæ non difficile esset confirmare.

Quæ profectò si uspiam locum habent, in ista libertatis, quam sibi somniant, concessione multò maximè; idque propter diversas causas sponsioni, de qua tractamus, omninò singulares. Nam jus Archiducum in Provincias confœderatas tot conditionibus circumseptum erat, ut quidquid quàm maximè seriò ipsi cederent, & ipsâ suâ naturâ esset irritum, & Philippum IV. nequaquam stringeret. Nam isti limites erant, cum quibus Archidux Isabella dominium earum in se translatum acceperat, Primus quidem *a*, *quòd successores e matrimonio cum Archiduce Alberto nascituri, heredes essent omnium pariter Provinciarum, ita ut inde nihil detrahere aut decidere queant.* Secundus *b*, *ut, si prole careret istud matrimonium, prædicta donatio & concessio esset nulla, nulliusque valoris.*



CONDITIONS DE LA DONATION FAITE PAR PHILIPPE SECOND A LA SERENISSIME INFANTE ISABELLE.

Que les enfans & successeurs seront de main en main heritiers en mesme gré de toutes les dites Provinces unanimement, sans rien en pouvoir reparer ny eclipser.

Item à condition, & non autrement; qu'au cas qu'il n'y eust ne fils ne fille de ce mariage, &c. la dite donation, concession & transport sera nulle, & de nulle valeur.

Tertius a; *ut herede deficiente, Provinciæ ad Regem Hispaniarum redirent, usque adeò, ut jam tum donatio ei cessisse censeretur.* Ex quibus perspicuum est, Provincias istas tam arctè constrictas fuisse, quàm bona gravata fideicommisso, quæ in præjudicium legitimi heredis distrahi non posse, certum est. Unde proficiscitur, ut, quidquid Archiduces in præjudicium Philippi IV. stipulati sunt, actionem si quam dederunt Batavis, personalem profectò, quæ cum morientibus moreretur, in se stipulantes pepererint, Philippum verò IV. heredē nihil obligarint. Nam quòd Philippus III. existimari posset in illa pacta consensisse; ille pro se consensit quidem, cui tempore consensus nil aliud quàm jus reversionis, si casus in donatione expressus accidisset, competebat; pro illo verò, qui de se natus esset, herede, consentire, eique jus ipsâ donatione partum auferre non potuit. Quæ si vel Batavi vel Franci sedatiore paululùm animo ponderare dignarentur, non istis inanibus crepundiorum ludificationibus se prudentioribus ridendos propinarent.

a Item à condition & non autrement, qu'advenant que tous les descendans viennent à defaillir, &c. en tel cas ils auront à retourner tous ensemble au Roy d'Espaigne, qui sera descendu de nous. Et suivant cette donation & concession, en tel cas nous le faisons dés maintenant donatoire, comme luy estans donnez. Donné à Madril le 6. jour de May 1598.

## CAPVT XIII.

### *Origo belli Germanici declaratur.*

NEc sanè honestius, sed fortè fœdius atque dirius, illud cum Sueco fœdus eadem rebellionis labes efficit. Nam toti Europæ notū est, ex qua scintilla funestum illud bellū, quo Germania flagrat,

agrat, excitatum fuerit. Matthias, Romanorum Imperator Augustus, cùm se prolibus destiutum cerneret, consentientibus Archiducibus Maximiliano & Alberto, totâque Austriacâ Domo, filium adoptavit *a* Ferdinandum, Archiducem, patruelem suum; quem etiam Regni Bohemiæ, & postea Hungariæ, successorem designavit. Electio illa tribus Ordinibus Bohemiæ in Comitiis perplacuit, magnoque applausu post triduum confirmata est. Paucis diebus elapsis, ornamenta Regalia Carlostenio Pragam allata sunt; in cujus æde Cathedrali *b*, præsentibus Regni Ordinibus, Ferdinandus Rex Bohemiæ, omnibus adhibitis cæremoniis, nemine dissentiente, vel tergiversante, ab Antistite Pragensi coronatus, unctus & consecratus est. Sequenti anno *c*, mense Majo, quidam ex Ordinibus Bohemiæ, qui se vocabant *Euangelicos*, contra Imperatoris Matthiæ vetitum, Pragæ coëunt, Collegium Carolinum occupant, tamquam de Republica deliberaturi. Prætextus erat, sed commentitius, quòd eis libertas Religionis, quam sub utraque communicantes colunt, à nonnullis factiosis auferretur, quam tamen Cæsar eis semper sartam tectamque conservaverat. Præmissâ concione, Psalmorumque modulis, velut œstro perciti, capita factionis Euangelicæ ad castrum sclopis armati tendunt *d*, ubi Concilium Status Regii, quam Cancellariam vocant, habebatur. Burchgravius & plerique Consiliarii seditione territi, partim tacent, partim in speciem annuunt querimoniis. Præses Cōcilij Slabata & Consiliarius Smesantius, unà

a *In Comitiis Pragæ habitis* 6. *Iun.* 1617. b 19. *Iun.* 1617. c 21. *Maii* 1618. d 23. *Maii*.

unà cum Philippo Fabritio, à Secretis Concilii, cùm facinus istud reprehenderent, extemplò è fenestris in profundissimam arcis fossam precipitati, multisque sclopoorum ictibus salutati sunt: sed Deo tuente innocentiam, nec fracti, nec læsi, incolumes evaserunt. Hinc ad aliorum Consiliariorum, Præfectorumque Regiorum ædes circuire, terroreque semimortuo spoliare officiis ac dignitatibus, ornamenta occupare Regalia, coronam auream, sceptrum, pomum, gladium, quæ velut sacratissima jam inde ab erecta in regni dignitatem Bohemia servabantur. Postridie fervent iterum Comitia, creantur triginta, quos *Directores* nuncupant; ut summo imperio Regnum Bohemię administrarent, ne quod res publicę detrimentum caperent. Pecunię indicuntur, miles conscribitur, equitum peditumque exercitum cogunt, quibus, ut ajebant, *inimicos Dei, Regis, atque Religionis oppugnarent.* Quid interim Ferdinandus? Matthiâ Cæsare ad meliorem vitam translato, monet, hortatur, instat, ut sanioribus auscultent consiliis; offert Privilegiorum confirmationem, Religionis libertatem, impunitatem, quidquid denique vel æquitas ipsa postuláret; sed incassùm omnia. Regnum impletur armis, sollicitantur ad defectionem Moravi: Brinum astu occupant, interfectis Centurionibus ac Præfectis omnibus; vi Olmutium: Magistratus Præfectosque Catholicos abdicant, rebelles creant, templo Catholicam Religionem pellunt, urbe Ecclesiasticos, exutos bonis ac dignitatibus; Monachos, sacrasque Virgines deposito Religionis habitu ad concubinatum cogunt: Hinc in Austriam pergit tumultuantium furor: Laam oppidum limitaneum vi superant, transi-

transitoque Danubio, Viennam usque metropolim Archiducatûs populando grassantur. In cujus castrum ac mœnia explodunt tormenta sua, ut aliquod relinquerent posteris argumentum contumaciæ suæ.

His ita gestis, in Matthiæ Cæsaris defuncti locum Ferdinandus omnium Electorum consentientibus suffragiis, in Comitiis Francofurtensibus, suffectus est. Citatus eò fuerat litteris *a* Electoris Moguntini tamquam legitimus Rex Bohemiæ, & uti talis, legitimè investitus, coronatus, publicatus, denique agnitus & admissus ab ipso Electore Palatino, quemadmodum eum omnes Imperii Principes agnovisse manifestum est. Ipse Palatinus, Ferdinandi elector, litteras sigillatas *b* ad Ferdinandum dedit, quibus eum de cooptatione in Imperatorem certiorem fecit, & peculiari scripto transmisit ei sui consensûs testimonium.

Interim Bohemi, Regis sui indulgentiâ contumaciores, & istâ novâ electione duriores, Duci Saxoniæ, deinde Duci Bavariæ, Bohemicam Coronam offerunt: quibus temeritatem detestantibus, Comitem Palatinum Regem eligunt. Accipit ille conditionem, Pragam advolat *c*, ac more Hussitico in fronte ungitur, & coronatur. Paulò pòst *d* sacrilegio Regni reformationem auspicatur. Ministro ejus adversùs idololatriam intonante, jussu sius omnes cruces & imagines fractæ *e*, omnia altaria destructa sunt. Hinc arma Cæsaris ad repetendam Coronam suam, & Palatini ad tuendam usurpationem suam. Hinc Bethlehem in subsidium

a 28. *Aug.* 1619. b *Imperator in Edict. Viennæ dato* 17. *Febr.* anno 1620. c 26. *Aug.* 1619. d *Eodem anno* 4. *Novembr.* e *Mense Decembr. ejusdem anni.*

dium adſcitus; hinc Proteſtantes unione fœderati; hinc Palatinus, ut rebellis, poſt multas monitiones à Cæſare proſcriptus, Palatinatu & Bohemiâ exutus; hinc denique excitus ex ultimo Septemtrione Suecus, ut inſtar Heliæ reſtituat omnia. Hæc eſt genuina origo ac ſtatus Bohemicæ ſeditionis, prout à nobis quàm fideliſſimè ex eorum potiſſimùm ſcriptis, qui rem tractarunt, Ducum, Electorum, Imperatoris, paulò fuſiùs concinnata eſt, ut Lector de omnibus majori facilitate ac ſinceritate judicaret.

## CAPUT VII.

*Suecicum fœdus iniquiſſimæ rebellionis maculâ fœdiſſimum.*

NUnc in ipſam cauſam, quiſquis is fuerit, ſive Chriſtianus, ſive Mahumetanus, ingrediatur velim. Quid eſt exordium tragœdiæ, niſi inſolentia? quid progreſſus, niſi furor? quid epilogus, niſi rapina & ſacrilegium? quid denique totus à capite ad calcem uſque contextus ejus, niſi contumaciſſimæ inſolentiſſimæque rebellionis inſania? In toto corpore non eſt ulla ſpecies alicujus, vel color ſimulatæ æquitatis. Rex Angliæ, de cujus genero & filia agebatur, palàm proteſtatus eſt [a], *Se numquam conſilio auctorem fuiſſe genero ſuo, ut Regnum Bohemiæ ſibi delatũ acceptaret, ſed quotieſcumque ſe offerret occaſio, diſſuaſiſſe.* Ipſe Rex Franciæ rei inſolentiam, & exempli perniciem averſatus eſt, quando per Ducem Angoliſmenſem Legatum

[a] Declaratio Regis Angliæ coram Concilio, & habetur in litteris Bucquingam ad Comitem de Gondemar, ſub finem anni 1620, datis.

gatum suum Principibus Protestantibus Ulmæ congregatis ponderandum inculcavit *a*, *Hîc agi de Corona ex capite Principis rapta, quam jam possidebat: In isto cardinem rei verti; hinc dependere pacem Germaniæ; hinc portas professo inimico Christianæ fidei aperiri. Hîc sano judicio de progressu rerum esse statuendum, uter aggressor sit, uter origo mali. Oculos æquitatis, non perturbationis, in fontem istorum motuum conciēdos esse. Nam quamvis dici possit, Palatinum absq; ensatione sua electum esse à Bohemis Regem, non connuò tamen justo titulo carere Cæsarem, quo malis, quius premitur, remedium afferre velit, id reddendo Patino, quod ab eo perpessus est, malum. A sola Palatini luntate pependisse, ut Coronam sibi delatam accipet, aut repudiaret, quemadmodum ab aliis repudiata it. Ipsum Transilvaniæ Principem Gaborem plus mostia præstitisse*, &c.

Hic tunc Christianissimi Regis sensus, hæc atio fuit, quando, solâ adhuc oculos feriente quitate, omnis ab animis exulabat perturbatio. iam victoriam Cæsaris optasse dicitur; vidisse m, externisque lætitiæ testimoniis gavisum e. Sed simulatque proscriptio Palatini, & arma esaris justam perduelli vindictam intulêre, mis confestim rerum facies in Francia mutata. Pro suppetiis per Cæsarem expetitis, verba ldita, pro amicitia, hostes exciti toti Europæ midabiles; pro favore, fœdera cum rebellibus. monstratum, non Cæsaris causam, sed fortun displicere; affectibus, non æquitate negorum rotam rapi. Causam enim neque Tarta-, neque Turca damnare potuisset. Etiam probavit,

*c orat. Legati Regis Franciæ ad Princip. Protest. initio Jun. 1620.*

dium adſcitus; hinc Proteſtantes unione fœderati; hinc Palatinus, ut rebellis, poſt multas monitiones à Cæſare proſcriptus, Palatinatu & Bohemiâ exutus; hinc denique excitus ex ultimo Septemtrione Suecus, ut inſtar Heliæ reſtituat omnia. Hæc eſt genuina origo ac ſtatus Bohemicæ ſeditionis, prout à nobis quàm fideliſſimè ex eorum potiſſimùm ſcriptis, qui rem tractarunt, Ducum, Electorum, Imperatoris, paulò fuſiùs concinnata eſt, ut Lector de omnibus majori facilitate ac ſinceritate judicaret.

## CAPUT VII.

*Suecicum fœdus iniquiſſima rebellionis maculâ fœdiſſimum.*

NUnc in ipſam cauſam, quiſquis is fuerit, ſive Chriſtianus, ſive Mahumetanus, ingrediatur velim. Quid eſt exordium tragœdiæ, niſi inſolentia? quid progreſſus, niſi furor? quid epilogus, niſi rapina & ſacrilegium? quid denique totus à capite ad calcem uſque contextus ejus, niſi contumaciſſimæ inſolentiſſimæque rebellionis inſania? In toto corpore non eſt ulla ſpecies alicujus, vel color ſimulatæ æquitatis. Rex Angliæ, de cujus genero & filia agebatur, palàm proteſtatus eſt a, *Se numquam conſilio auctorem fuiſſe genero ſuo, ut Regnum Bohemiæ ſibi delatũ acceptaret, ſed quotieſcunque ſe offerret occaſio, diſſuaſiſſe.* Ipſe Rex Franciæ rei inſolentiam, & exempli perniciem averſatus eſt, quando per Ducem Angoliſmenſem Legatum

a Declaratio Regis Angliæ coram Concilio, & habetur in litteris Bucquingam ad Comitem de Gondemar, ſub finem anni 1620, datis.

gatum suum Principibus Protestantibus Ulmæ congregatis ponderandum inculcavit *a*, *Hîc agi de Corona ex capite Principis rapta, quam jam possidebat. In isto cardinem rei verti; hinc dependere pacem Germaniæ; hinc portas professo inimico Christianæ fidei aperiri. Hîc sano judicio de progressu rerum esse statuendum, uter aggressor sit, uter origo mali. Oculos æquitatis, non perturbationis, in fontem istorum motuum conjiciēdos esse. Nam quamvis dici possit, Palatinum absq; prensatione sua electum esse à Bohemis Regem, non continuò tamen justo titulo carere Cæsarem, quo malis, quibus premitur, remedium afferre velit, id reddendo Palatino, quod ab eo perpessus est, malum. A sola Palatini voluntate pependisse, ut Coronam sibi delatam acciperet, aut repudiaret; quemadmodum ab aliis repudiata fuit. Ipsum Transilvaniæ Principem Gaborem plus modestiæ præstitisse*, &c.

Hic tunc Christianissimi Regis sensus, hæc oratio fuit, quando, solâ adhuc oculos feriente æquitate, omnis ab animis exulabat perturbatio. Etiam victoriam Cæsaris optasse dicitur; vidisse eam, externisque lætitiæ testimoniis gavisum esse. Sed simulatque proscriptio Palatini, & arma Cæsaris justam perduelli vindictam intulêre, omnis confestim rerum facies in Francia mutata est. Pro suppetiis per Cæsarem expetitis, verba reddita, pro amicitia, hostes exciti toti Europæ formidabiles; pro favore, fœdera cum rebellibus. Ita monstratum, non Cæsaris causam, sed fortunam displicere; affectibus, non æquitate negotiorum rotam rapi. Causam enim neque Tartarus, neque Turca damnare potuisset. Etiam probavit,

a Ex orat. Legati Regis Franciæ ad Princip. Protest. initio Iun. anno 1620.

bavit, & subsidia crebrò à rebellibus flagitata in hunc usque diem constanter negat. Justificata nimirum est Sodoma præ Jerusalem. Nam quia non usque adeò in anima humana imago Dei terrenorum affectuum labe detrita est; ut nulla in ea velut lineamenta remanserint; tantam vim habuit rebellis illius enormitas impietatis, ut etiam horrorem & execrationem animabus illis tenebrosis incusserit. Hæresis ipsa Palatini, quamvis Christianismi professione blādior, hostilitate tamen acerbior paganismo, fœditatem præ religione detestata est. Rex enim Angliæ affinitate socer, superstitione consanguineus, rationes improbatæ rebellionis istas dedit: primam, a, *propter conscientia religionem*; alteram, *propter exemplum. Quod ad conscientiam attinet, sibi constare* dixit, *non sinere religionem, quam profitetur, ut obtentu religionis Corona transferantur. Obedientiam in ea Regibus & superioribus temporalibus præstandam, commendari etiam Turcis, aut infidelibus. Exemplum verò esse omnibus Christianis Regibus periculosum, si subitam istam Coronæ translationem, populi susceptam auctoritate, probent. Et quamvis ipse sit monarcha hereditariæ successionis, fingi tamen imaginatione non posse, quantum hoc malum, si semel egerit radices, glisceret. Pupillam oculi Regis Daniæ soceri sui in hoc exemplo tangi, qui electione regnum adeptus est*, &c. Non sit, obsecro, honestior & religiosior hæreticorum Turcarumque Philosophia, quàm Christianorū, ut, quod illa solius naturalis ductu æquitatis improbat, hoc Christiana pietas probet. Probat autem, quisquis perduellibus, in tam iniqua rebellionis causa, favet, quisquis fovet, quisquis

a Ex litt. *Bucquingam ad Comit. de Gondemar sub finem anni 1620.*

quis fœderibus jungitur, opitulatur. Quem verò alium habet fœdus initum cum Sueco ſcopum? Verba fœderis iſta ſunt a: *Fœdus iniri pro defenſione omnium amicorum qui oppreſſi ſunt, pro ſecuritate commercii maritimi, & ut reſtituantur in ſtatus ſuos omnes Principes atque Ordines Imperii, quemadmodum ante Germanicum bellum fuerant, &c. Denique ut omnia reſtituantur in eumdem locum, quem ante tumultus Germanicos habuerunt.* Ubi ante omnia reſtitutio Palatini, & omnium rebellium Bohemorum Germanorumque comprehenditur. Injuſtè ergo à ſuo Principe damnati ſunt, ſi juſtè ab alieno reſtituti. Nullius ergo rebellionis, læſæque Majeſtatis rei ſunt; rectè Coronam domino ſuo rapuerunt; armis eum Bohemiâ, Moraviâ, cæteriſque terris hereditariis juſtè pepulerũt; meritò Turcas Chriſtianæ fidei hoſtes acciverunt; jure necem Cæſari machinati ſunt. Quod ſi nec Chriſtianiſſimus, nec Chriſtianus, nec Lutheranus, nec Turca, nec Barbaries ipſa dixerit; rebelles ergo ſunt, divinæ humanæque majeſtatis læſæ rei, bonis, terris, honoribus, ſtatibus juxta divinas humanaſque leges exuendi. Talíne cauſæ Chriſtianiſſimos Reges, Juſtos cognomine, præbere patrocinium? Excitētur à rebellibus Proteſtantes, Suecus, Turca, Tartarus, inferi; ferendum eſt. Quis furioſos furere vetet, aut à domeſticis perfidiæ ſubſidium flagitari? Sed quæ Chriſtiana ferat æquanimitas, Chriſtianiſſimos Reges cauſam rebellionis iniquiſſimam,

a ALLIANCE DE SA MAIESTE TRES-CHRESTIENNE AVEC CELLE DE SVEDE, FAITTE L'AN 1631. 13. IAN. STILE ANCIENNE ART. 1. Premierement, que l'alliance qui ſe fait preſentement entre leurs Majeſtés, eſt reſpectivement pour la defenſe de tous leurs amis oppreſſez, & pour la ſeureté des commerces ſur mer: comme auſſi pour remettre en eſtat tout les Princes & eſtats de l'Empire, comme ils eſtoyent devant la guerre d'Allemagne, &c. & en ſomme, pour remettre tous les affaires en eſtat, ainſi qu'ils eſtoyent avant les troubles d'Allemagne.

quissimam, omnium sanorum hominum censurâ damnatam, barbarorum evocatione, hæreticorum fœderatione, *a annuâ pecuniarum contributione, militum supplementis* facere suam? Suam enim omninò ut causam ita & reatum facit, quisquis tanto molimine adversus legitimum ac naturalem dominum, rebellium subditorum, eorumque Coryphæi partes agit. Ille fax, iste fomes rebellionis; ille auctor, iste fautor. Uterq; delicti, forsan paris, reus. Plerumque enim dediscit rebellare, quem nemo juvat; quemadmodum hæreses seminare, quem nemo probat. Rebellem igitur facit, qui sic affecto arma rebellionis præbet. Quâ, quæso, justitiâ Bironius, & alii nuper; olim *b* Ioannes Comes Armagnaci, Ioannes Dux Alensonius & omnibus sæculis in Franciâ multi damnati, terræ Fisco mancipatæ, vel Regum Coronis affixæ sunt? Læsæ sunt, inquis, Majestatis rei. Non repugno. Sed an innocens Palatinus? Quid istorum facinora ad istud grande Palatini latrocinium? Nondum illi ex capite Principis Coronam rapuerunt, nondum Turcas concitarunt, nondum Batavos, Gabores, Suecos, ipsi Reipublicæ Christianæ formidolosos, in Regnum immiserunt. Si sic læsisse, meritò tibi capitale est; Coronam domini sui rapuisse, terris exturbasse, omni insolentiæ & hostilitatis genere incessisse, erit innocentiæ? Rebelles sunt tibi vasalli tui: clamas injuriam, perduellionem, læsam Majestatem, scelus bonorum omnium confiscatione, Coronæ unione, ipsâ morte plectendum. Non reprehendo:

a ART. 2. Le Roy de France promet aussi de son costé de contribuer tous les ans pour l'entretien de la ditte armée quatre cent mille escus.

ART. 3. Permet la levée des soldats en son Royaume, & au contraire l'interdit aux ennemis du Roy de Suede, &c.

b *Sub Ludovico II.*

do: annuo, laudo. *Sed non sit justitia labiorum, sit & factorum.* In rebus humanis es, Rex magne, in societate humana Principum Regumque detineris. Noli facere injuriam, quam non vis pati. Displicet rebellio patienti; displiceat & fulcienti, atque facienti. Facis enim injuriam, dum tueris: crimen contrahis, cujus semper audendi, & contumaciter consequendi, auctoritatem & vires præbes. Quidquid enim in isto bello latrocinii, quidquid hostilitatis adversum Cæsarem dominum suum, quidquid exercitus ejus insolentiæ, quidquid criminum execrandorum adversùs innocentes, virgines, Monachos, Sacerdotes, Antistites, altaria, Ecclesias, Sacramenta, rebellium, Protestantium, Suecorumque designat furor; hoc armis ac fœderibus Christianissimi Regis Catholici Germaniæ jam per tot annos, & veritas ipsa acceptum ferunt. Fœdera, pecunias, arma subtrahe rebellibus istis Christianissimà, totius factio perduellionis sine spiritu, sine neruis, sine unguibus trunca jacet. Quis igitur cunctorum criminum istorum Deo rationem redditurus est, nisi qui cunctorum criminum istorum in radice consiliis suis suasor est, ærario suo incentor, fœderibus suis auctor, militibus suis executor?

a *August. in Psalm. 57.*

## CAPVT XXV.

*Non sufficit, esse fœderatos, quibus dantur suppetiæ.*

SEd tritus usu fucus huic veritati prætexi solet, Sociis atque fœderatis esse succurrendum.

Fateor

Fateor & ego;ſed injuriâ affectis. Sic Philoſophus iſtam belli ſuſcipiendi regulam fixit a: Δεῖ τοὺς ἀδικουμένους ὑπὲρ ἑαυτῶν πολεμεῖν, ἢ ὑπὲρ συγγενῶν, ἢ ὑπὲρ εὐεργετῶν, ἢ συμμάχοις ἀδικουμένοις βοηθεῖν. *Oportet injuriam paſſos pro ſeipſis arma capere, ſive pro cognatis & beneficis, itemque ſociis injuriâ affectis auxiliari.* Sic Auguſtinus b: *Nihil homo juſtus præcipuè cogitare debet in his rebus, niſi ut juſtum bellum ſuſcipiatur.* Nec juſtum definit, quod pro fœderatis geritur, ſed quod *ulciſcitur injurias.* Unde Iephte adversùs Regem Ammon querebatur, non quòd ſe bello laceſſeret, ſed injuſto c: *Non ego pecco in te, ſed tu contra me malè agis, indicens mihi bella injuſta.* His igitur æquitatis cancellis circumſcripta illa pro fœderatis opitulandis regula, plana, ſana, ſancta eſt; ſecùs, omnium ſcelerum rebellionumque patrocinium. Nam quemadmodum inter privatos homines conſenſus animorum ad quælibet amicis concedenda, non amicitia, ſed conſpirantium factio eſt: ita inter Principes pacta ſocietas ad ferendas invicem quomodolibet ſuppetias, non fœdus, ſed conjuratio eſt, Dei legibus, quas ab ipſa natura hauſimus & expreſſimus, proſcripta. Quid ſi enim fœderati noſtri bellis injuſtis vicinos premant? quid ſi Oceanum latrociniis infament, Principem rebellione, Deum ſacrilegiis petant; an adhuc fœderatis opitulandum? Quis non videt, criminibus fœderatorum cooperari, ac præbere ſatellitium, graviſſimum eſſe cooperantis crimen? Nec opitulari tantùm, ſed ipſum cum hujuſmodi criminoſis fœdus, eſſe criminoſum? Miſerabilis profectò, & tamen frequẽs, larva Principum; ſub qua jam

a *Ariſtot. in Rhetor. ad Alexand.* c *Aug. q. 10. in Ioſue.*
c *Iudic. cap. 11.*

jam olim ambitio Romana latuit, & quorumdam in Germanicis illis suppetiis ferendis etiamnum latet. Gaudent bellis socialibus, incitant ea, fovēt, promovent, ut lacinias, alienæ vesti detractas, in ista rerum perturbatione assuant suæ. Vestigia nempe Romana solerter premunt, quorum Tullius industriam ingenuè patefecit *a*: *Noster*, inquit, *populus sociis defendendis terrarum jam omnium potitus est.* Sed hæc justitia, Romana fuit, qui maximam gloriam in maximo imperio posuerunt. Justitia Christiana cęlestes leges intuetur, juxta quas maximum non est semper optimum. *b Nec de regni latitudine gaudere pertinet ad viros bonos.* Quapropter justitia in fœderatis adjuvandis unicè spectanda est. Ut enim nostra, ita & sociorum bella, iniqua esse possunt. Non igitur satis est, Palatinum, Batavos & Protestantes esse fœderatos, nisi injuriis priores lacessiti sint. Etiam Francorum Hugonottis nonnulli fuerunt fœderati: an & illis suppetias latas cupis? Non arbitror quidem: huc tamen ducit ista vulgò jactata sententia. Justissimum est enim subsidium, quod Hugonottis ac Rupellensibus Anglus præbuit; si justum, quod Germanis Hollandisque Francus præbet. Ille & fœderatis, & in eamdem Religionem secum conspirantibus, iste dissonantibus: ille tot urbium securitate, quæ à Regibus ipsis concessa fuerat, spoliatis, iste spoliantibus: ille Orthodoxis, ut putat, fideique, cujus se defensorem gloriatur, columinibus, iste hæreticis: ille fidem suam laborantem tuentibus, iste expugnantibus suam. Quòd si Religionis conformitas, ademptæq; sociis civitates, non eluunt in Anglo societatis initæ, latarumque

L suppe-

a *Lib. 3. de Republ.* b *August. 4. de Civit. cap. 15.*

ſuppetiarum labem, quomodo Religionis difformitas in Franco eluet? An ita forte miſcuit ima ſummis ſera dies, ut ruptores Coronarum, faces rebellium, ſuſcitatores Turcarum, fax hæreſum, in interitum fidei conſpirantium, etiam injuriam ab iis pati dicantur, quorum ſceptra, honorem, majeſtatem, vitam, barbarâ immanitate perſecuti ſunt? Nimirum huc tandem veniendum eſſe video, ut Circumcellionum vox ab inferis revocetur *a*, *Quod volumus, ſanctum eſt.* Longè hoc abeſt, ſcio, à Chriſtianiſſimi Regis animo. Novit ipſe, non voluntatem ſuam, ſed incommutabilem Veritatem eſſe normam æquitatis, non Lesbiam, ſed cæleſtem; non plumbeam, quæ ſe Principum aptet libidinibus, ſed *ferream*, hoc eſt inflexibilem, cui curvari debeat omne collum, & flecti genu. Ipſa eſt enim Veritas æterna Deus noſter, qui de ſe dixit *b*: *Ego ſum veritas*: cui cantamus *c*: *Virga directionis, virga regni tui*. Novit ergo Rex Chriſtianiſſimus, id eſſe ſanctum, quod Veritas æterna vult, quę ſubditorum rebelliones, magnatum conſpirationes, Coronarum raptus, Majeſtatis vilipendia, machinata parricidia, incorruptâ damnat æquitate. Illorum igitur iſta vox eſt, *Quod volumus, ſanctum eſt*, qui indignâ Chriſtianis, & indecorâ Regibus ipſis adulatione dicere & ſcribere nuper inter Francos auſi ſunt: *Rex fœdus iniit, quia ſic voluit: bellum hujuſmodi juſtum eſt, quia ſuſcepit*. Quibus reſponderet Tertullianus *d*: *Magnus eſt, quia cælo minor eſt*. Siquidem in cælo, hoc eſt in Deo, non in Regum voluntate, eſt norma juſtitiæ. Quamobrem cùm Antigono Aſiæ Regi aſſentator diceret *e*, ὅτι πάντα καλὰ καὶ δίκαια τοῖς βασιλεῦσι: quòd

a *Apud Aug. epiſt.* 48. b *Ioan.* 14.
c *Pſ.* 44. d *In Apol. c.* 30. e *Plutarch. in Apophtheg.*

*quòd omnia honesta & justa essent Regibus*; subjecit, Καὶ μὰ Δία, τοῖς τῶν βαρβάρων, ἡμῖν δὲ μόνα καλὰ, τὰ καλὰ· καὶ μόνα δίκαια, τὰ δίκαια. *Omninò barbarorum quidem Regibus; nobis sola honesta pro honestis, sola justa pro justis habenda sunt.* Primus omnium Anaxarchus, opinor, exstitit, qui Alexandro mœrenti blandâ oratione persuasit a, ὅτι τὴν δίκην ἔχει πάρεδρον ὁ Ζεὺς, καὶ τὴν θέμιν, ἵνα πᾶν τὸ πραχθὲν ὑπὸ τοῦ κρατοῦντος θεμιτὸν ᾖ καὶ δίκαιον: *assessorem Iovi justitiam & fas esse, quò quidquid actum ab dominante fuerit, id jus & fas sit.* Dignum profectò Anaxarchus monstrum, quod crudelissimo supplicii genere ex rebus humanis tolleretur, atque illam Principum dominantium justitiam in se ipso dedicaret. Itaque cùm in potestatem Cypri Regis Nicocreontis, cui omniũ infestissimus erat, incidisset, Rex illũ b εἰς ὅλμον βαλὼν, ἐκέλευσε σιδηροῖς ὑπέροις τύπτεσθαι, *in saxum concavum injecit, jussitq́ ferreis malleis tundi.* At quantò veriùs ille: *Cæsari cùm omnia licent*, inquit, *propter hoc minus licet.* Et Augustinus c Reges humanæ conditionis commonens, *Felices*, ait, *Reges decimus, si inter linguas sublimiter honorantium & obsequia nimis humiliter salutantium, non extolluntur, sed se homines esse meminerunt.* Nam ex eo, quòd Reges homines sunt, pleræq; bellorum tempestates, quibus orbis terrarũ jam inde ab initio jactatur, flatu ambitionis eas concitante, proruperunt. Nemo igitur eò assentationis prolabatur, ut *bellum justum* definiat, *quia Rex suscepit*: nemo Regum eò vanitatis, ut fœdus justum licitumque sibi putet, *quia sic voluit.* Etiam voluntas ejus voluntate potentiori, hoc est, præpotentis Dei legibus, quas radio

 veri-

a *Idem in Alexandro.* b *Diogen. Laert. in Anaxarcho.*
c *Aug. lib. 5. de Civit. cap. 24.*

veritatis in visceribus rationalis naturæ scripsit, frenari ac regi debet. Quod illæ vetant, nec Plebiscita, nec Senatusconsulta, nec Regum jussa, nec Cæsarum voluntas antiquaverit.

Hæc ergo vera fœderum paciscendorum norma est, ut, quemadmodum olim Romani Magistratus in Rogationibus, quas ad populum ferre consueverant, hanc clausulam ad extremum adnectebant, *Si quid jus non erit*, a E. E. L. N. R. ut significarent, si quid justum non esset, id populum rogari jus non esse: sic neque Reges fœdera, quantumcumque stabiliendis rebus suis utilia, ferire fas sit, quæ antiquiori & firmiori naturæ lege damnantur. Damnantur autem, quemadmodum rebelliones subditorum adversus Principem suum, alieni sceptri rapinæ, violentæque Principatuum usurpationes, ita & fœdera, & suppetiæ, quibus hujusmodi facinorosa conjuratio, & injusta quælibet causa fovetur, defenditur, adjuvatur.

Nam quod fœderibus istis purgandis velum oppressæ Germanicæ libertatis obtenditur, nihilo plus ponderis apud prudentes habet. Quid enim? an etiam rebellandi, Coronasque vitamque Principum appetendi licentia illâ libertatis prærogativâ comprehenditur? an Ecclesiam opprimendi, bonaq; sacra, contra Imperii scita, rapiendi sine restitutionis onere privilegium? Cur non & latrocinii, adulterii, sacrilegii cujuscumque libertatem tueamur, si quâ forte necessitate perfractis ingeniis aliquid indulgentiæ, impunitæque licentiæ concessum fuit? Quòd si in compescenda hujusmodi libertate duriorem sortem suam castigati

a Ejus eâ lege nihilum rogatur.

gati sentiant, non illa oppressio fœderatorum, sed compressio est; non libertatis, sed licentiæ jactura, quæ non solùm legibus divinis & Ecclesiasticis, sed etiam ipsis Imperii sanctionibus proscripta est.

## CAPVT IX.

*Secunda ratio; Quia in bello Religionis, seu, quod ad hæresis patrocinium geritur, arma ferre illicitum.*

ALterum caput, ex quo fœdera Francorum cum infidelibus illicita sunt, est ipsa ad infidelitatem cooperatio, etsi nullâ fultæ rebellionis labe turparentur. In quo quia capitalis, ipsoque Christianissimo nomine indigna turpitudo includitur, paulò fusiùs res ista distinctiusque pertractanda est.

In primis igitur, non arbitror quemquam verè Christianum ita malè de Christo Catholicæ Religionis auctore sentire, ut fœdera Christianos cum infidelibus percutere posse putet, ad illa eorum bella pecuniis, armis, militibus contra Principes Catholicos promovenda, quæ ex proposito eorum ad eversionem veræ fidei, sacrorum, dignitatum, ac cæremoniarum ejus suscepta sunt, quę ad salutem humani generis Christus instituit. Hoc enim nihil profectò aliud est, quàm hostes veræ Religionis ad excidium Religionis armare, & sacrilegiis ipsorum cooperatrices miscere manus. Quod tunc præcipuè verum est, quando citra hujusmodi Catholici Principis suppetias audacia eorum adversus Religionem exarmata, succumberet. Tunc enim perspicuum est, istiusmodi perpetrandi sceleris cooperationem, non minùs

quàm ipsam perpetrationem seu operationem infidelium, gravissimi delicti esse ream. Etenim ejusdem rationis est facinus, sive istud ipse committas, sive committentibus, aliâ licet intentione tuâ, coopereris. Non enim ipse tantùm, qui manu suâ designat homicidium, sed qui alteri ad scelus inflammato arma suggerit, vires addit, animum securitatemque præbet, & sicarios submittit adjutores, homicida est. Sic sacrilegus non ille tantùm, qui sacros thesauros, Hostiasque consecratas diripit; sed etiam qui vectes & manus foribus effringendis admovet; qui claves pyxidibus sacris aperiendis subministrat, aut satellitium præbet, quò tutiùs designet sacrilegium. Quòd si sine tali subsidiaria cooperatione, vel subsidii pollicitatione, non auderet aut posset facinorosus ipsum suscipere scelus; ausim dicere, paris aut gravioris iniquitatis adjutorem, quàm auctorem, esse reum. Tunc enim subsidii submissio, ipsaque ad suppetias ferendas pactio est, præter auxilium, tacita ad sacrilegium exhortatio; per quam fit, ut facinorosus animo viribusque destitutus, ad sacrilegium animetur, ipsumque in manibus ejus per adjutorem fœderatumque perpetretur. Hâc enim consideratione non est veritus Augustinus dicere a: *Saulus, cùm S. Stephanus lapidaretur, omnium vestimenta servabat, & tamquam manibus omnium lapidabat*. Et alio in loco, vestimenta lapidantium eum custodiisse profitetur b, *ut tamquàm in manibus omnium ipse lapidare videretur, qui ad lapidandum omnes exsertos*, id est, expeditos, *reddebat*. Unde ex magni istius Doctoris sententia, Saulus eos, qui S. Stephanum manibus interficiebant suis, crudelitate

a *Aug. serm. 5. de Sanctis c. 4.* b *Serm. 1. de Sanctis c. 3.*

litate superavit a: *Sic*, inquit, *aderat lapidantibus, ut non ei sufficeret, si tantùm suis manibus lapidaret: ut enim esset in omnium lapidantium manibus, ipse omnium vestimenta servabat, magis saeviens omnes adjuvando, quàm suis manibus lapidando.* Quid si quâcumque tandem, & cujuscumque temporalis boni intentione, etiam lapides suggessisset, impotentibus praesidium, trepidantibus satellitium, poenam timentibus securitatem praestitisset, denique defensorum Stephani, ipsiusque Christi ad passionem tracti, vires distraxisset, quò minùs innocentiam eorum tueri potuissent? quae non sententiarum fulmina, verborumque tonitrua cõtra hujuscemodi impietatem Veritas subministraret? Non enim exquisitis rationibus opus est, ad apertam illam impietatis cooperationem convincendam, sed orationis vehementiâ ad detestandam; quam ipse sensus qualiscumque Christianae pietatis exhorret. Enimverò nihil minus, imò & deterius faciunt, qui infidelibus in interitum Religionis, & sacrorum ejus armatis, per foedera sua, hoc est, virium sociandarum pollicitationes & subsidia, animum trepidis, milites armaque impotentibus suppeditant, defensorum arma distrahunt, vires minuunt; urbium denique propugnacula, moenia, portas, cunctaque Religionis tuendę munimenta ita disjiciunt, ut ad vastandas Ecclesias, & sacra polluenda, ipsamque fidem ex mentibus imbecillium exstirpandam, haereticis aditus libet pateat. Quid enim, nisi talem scelerum societatem improbabat Propheta, quando minitabundus dicebat b: *In die, cùm stares adversus eum* (Iacob, id est, filios Israël) *quando capiebant alieni exercitũ ejus*, &



a *Aug. serm. 14. de Sanctis.* b *Abdias.*

*& extranei ingrediebantur portas ejus, & super Ierusalem mittebant sortem, tu quoque eras quasi unus ex eis.* Rectè dixit, *quasi unus ex eis*: nam unus ex sacrilegis est, qui cum sacrilegis committit suis manibus sacrilegia; *quasi unus*, qui cùm impiis ad sacrilegia fideique oppressionem anhelantibus viam armatâ manu straverit, cunctisq; presidiis Religionem nudaverit; fidē, sacraria, monasteria, Sacerdotes, virgines Deo sacras (uti nuperrimè Thenis a vidimus) infidelium relinquit contumeliis, & frigidâ nescio cujus intentionis bonæ cavillatione, se innocentem esse gloriatur. Quasi verò Fulco Rhemensis Archiepiscopus intentionis impietatem, & non ipsum nudum fœdus Francorum hostibus fidei se jungentium execratus sit, quando cōtra Carolum Simplicem exclamavit b: *Quis non expavescat, vos inimicorum Dei amicitiam velle, ac in cladem & ruinam nominis Christiani pagana arma, & fœdera detestanda suscipere?* Nihil enim Carolus, nisi eorum adversus hostes suos suppetias ambiebat, fidei ceteroquin integer, intentionisque purus. Sed quia *clades & ruina Christiani nominis* sequebatur, quò pestis illa Normannicæ impietatis irruebat; hinc Fulco illa fœdera, armorumque societatem tam vehementer detestatus est c, *ut nihil distare* assereret, *utrùm quis se Paganis societ, an abnegato Deo idola colat*. Alienis quippe manibus Religionē exscindit, quisquis eas hostilitatem illam factis profitentes, vel in bellis suis sibi administras adversus fideles adhibet, vel in bellis eorū, fidei perniciem spectantibus aut afferentibus, quâcumq; tandem temporalis commodi intentione, suppetiis juvat.

CA-

a Vulgò *Tillemont*, Teutonicè *Tienen*.
b *Fulco apud Flodoard. l. 4. c. 5.* c *Ibidem.*

## CAPVT X.

*Bellum Ordinum confœderatorum adversùs Regem Hispaniarum, initio, medio, fine, Religionis est; & per hoc, fœdus cum eis & adjutorium, illicita.*

QVæ cùm ita manifesta sint, ut à nemine negari posse videantur, nisi à Machiavelli discipulo, vel patrono, apud quem Religio statui, anima corpori, æternitas tempori cedere jubetur; videndum superest, utrùm bellum infidelium, de quo tractamus, Batavorum scilicet adversus Regem suum, Suecorumque & Protestantium adversum Cæsarem, ad veræ quoque Religionis oppressionem, vel falsæ patrocinium geratur, susceptumque sit. Nam quamvis, ut suprà diximus, rebellionis fœtus sit; nihil tamen vetat, uno eodemque bello aliquem jugum Ecclesiæ, & simul Regis excutere, ut pariter sit perduellis Regi, ac Deo. Quisquis enim ex animo damnatos errores fovet, omnes odisse solet, qui vel docendo jubendoque animum ab impietate revocare, vel suppliciis compellendo corpus excruciare possunt. Unde efficitur, ut plerumque contumacia contra revelatorem veritatis Deum, rebellionem adversus homines secum trahat, cum fide Christi obsequium Regis exuens, ut plenâ sentiendi faciendique quidlibet libertate impunè perfruatur. Uulgo itaque Francorum persuasum esse video, utrique bello, in primisque Batavico, nihil cum Religione esse commune: politicas esse tantùm inter utrosque controversias, quibus quoquo modo arma sua Rex Franciæ interponat, nihil ad

Religionis causam referat. Persuasio ista ex ignoratione rerum hactenus gestarum, & ex affectu vulneribus suis lenocinante, proficiscitur. Sic enim sive naturâ, sive potiùs naturæ vitio comparatum est, ut, cùm se, præter normam Christianæ justitiæ, carnali affectu temporalibus bonis arctè colligatam sentit, à quibus avelli nolit aut nequeat, plausibilibus prætextibus unicè gaudeat, quibus conscientiæ suæ aut dolorem sedet, aut fœditatem tegat: ut, quod se perperàm coram Deo fecisse cernit, coram hominibus etiam rectè fecisse videatur.

Bellum igitur Religionis in Belgio à primis initiis in hunc usque diem geri, solos Belgicarum rerum imperitos latêre potest. Si enim belli causas jam inde à capite arcessere velimus, Religio profectò paci Belgicæ tumultuum faces intulit; Religio pacis reparatæ fœdus fregit; Religio pacis restaurandæ tractationem abrupit; Religio calamitatum omnium durissimarum, quibus etiamnum Belgium atteritur, scaturigo est.

Et quidem si tumultuum exordium memoriâ repetamus, tota mali labes à Germania Franciâque Belgis affricta est. Cùm enim ex commercio cum Francis ac Germanis novæ fidei odorem concepissent, & jam ab anno 1562. Tornaci, Valencenis, aliisque locis ex concionibus clancularis pruriginem animus eorum imbibisset; audaciores facti palàm jactitare cœperunt a, *Deum tandem votis eorum respondisse, qui binos sibi infensos Galliarum Reges, Henricum & Franciscum, è medio sustulisset; Regnis Angliæ & Scotiæ Euangelium dedisset; Cæsarem Carolum emotâ mente decedere de Imperio*

a *Vander Haer lib. 1. de Init. tumult. Belg. Hara. tom. 3. Annal.*

*Imperio coëgisset, Cardinali Granvellano, Papistarum per Belgium principi, fortissimos hostes opponeret: deesse itaque se rebus tantis, tam praeclaris, non debere. Indignum, caeteris locis elucescere Euangelium, solo Belgio impunè Cardinalem dominari: novos Episcopos ad Euangelii perniciem constitui: Academiam Papistis Duaci novam procurari: Iesuitas, nova superstitionis invisum hominum genus, in Belgium venisse: Tridentinum ad rem Papisticam stabiliendam Conventum, Rege procurante, à Pontifice restitutum. Illud postremò, quod ferre diutiùs non oporteret, crudelissimis suppliciis in fideles animadverti.* Animis jam sic propensis in Religionum novitatem Ministri Hugonottae, Francica pestis, calcar addiderunt. Occasione namque captatâ ex colloquio *a* Regis Christianissimi & Reginae Catholicae Elizabethae, in primisque ex conventu Reginae matris, ac Ducis Albani, tamquam in perniciem suam conspirantium, Belgarum haeresim rebellione cumulandam esse censuere; ut domi occupatus Rex Catholicus foris Christianissimo subsidio esse non posset. Itaque persuadent Belgis jam novitate prurientibus *b*, *Reges Franciae atque Hispaniae, suscitante Papâ, conspirasse non modò ad Religionem reformatam stirpitus evellendam, sed ad eos, quotquot eam profiterentur, crudeli morte mulctandos. Vnam tantummodò superesse rationem avertendi tempestatem illam, ut primi pro tuenda Dei causa suaque salute, ad arma prosilirent. Iustissimum esse, vim tyrannorum vi repellere. Arma ad tuendam vitam capere esse naturae consentaneum; ad Euangelium verò tuendum tam esse gratum Deo, quàm genuinis Ecclesiae filiis gloriosum.*

L 6 His

a Scipio du Plaix in Carolo IX. ann. 1565. b Scipio ibidem.

His & hujusmodi magis magisque concitati, lectionisque istius Gallicanæ de rebellione propinatæ memores, fœdus inter se multi percussêre de tollenda Inquisitione, quâ libertas credendi infringebatur: à quo fœdere si decederent, vel sociis laborantibus ope consilioque deessent, iratum sibi Deum atque homines precabantur. Hinc chartulæ *a* in vulgus sparsæ, quibus ad facinoris societatem quosque animabant: hinc libellis supplicibus Religionis libertas postulata: hinc denique, Præfectis nonnullis Regiis ad novas doctrinas conniventibus, in apertam toto Belgio iconomachiam itum, antequam vel Albani Ducis, vel ullius militiæ aut justitiæ severitate compressi fuissent. Quantâ rabie in sacra debacchatum sit, vix ipsi Franci, quantumvis gravia in isto genere perpessi, credituri sunt. Nam uno anno, uno ferè mense, & pluribus in locis uno eodemque die S. Bartholomæi *b*, quasi ex condicto, Casleti, Bellioli, Ipris, Gandavi, Tornaci, Valencenis, Trajecti ad Mosam, Hasleti, Mascicæ, Mechliniæ, Ultrajecti, & in plerisque opidis Hollandiæ, Zelandiæ, Ditionis Ultrajectensis, Frisiæ, Groeningæ, Zutphaniæ, Geldriæ, & ferè in omnibus dictarum provinciarum pagis, templa monasteriaque invaserunt; tanto quidem furore, ut omnes imagines, Crucifixi signa, altaria, baptisteria, Eucharistiæ ædiculas, organa, sedilia, sacella, suggestus, candelabra, codices, confringerent: ornamenta omnis generis, thesauros, calices, ampullas, thuribula, aut frustatim comminuerent &

a *Vander Haer & Haræus suprà citati.*
b *Anno* 1566. *mense Aug. die* 10. *usque* 25.

& incenderent, aut diriperent. Horrendum dictu, sacrosanctam Eucharistiam, ubi scelesti poterant, pedibus conculcare, confodere, ignibus iniicere; reliquias Sanctorum dissipare, sacro oleo & chrismate calceos inungere, mirisque ludibriis Christi è cruce pendentis effigiem & Sanctorum imagines exagitare: Si Christus, si Filius Dei es, aut aliquid tu Sancte potes, dic sodes, *Vivent les Gueux*, & statuam tuam non confringemus.

Quid non, ocelle Belgii Antverpia, perpessa es? Omnem horrorem superant, quæ in illo tuo celeberrimo Europæ theatro perpetrata sunt, in quibus, veluti typo compendioque, totius Belgicæ Ecclesiæ clades cerni potest. Nam XIII. Kalendas Septembris, cùm quidam post preces vespertinas insanis clamoribus B. Virgini, cui ædes sacra est, insultassent, eique se parcituros dictitassent, si sibi acclamaret, *Vivent les Gueux*; occlusis templi foribus, præeunte quodam centurione, voceque ad numeros Genevenses sublatâ, Psalmum auspicantur, eo eventu, ut, carmine velut motis mentibus, in effigiem Deiparæ, cęterasque furibundi irruerent, Christum unà cum cruce funibus detractum, intactos relinquendo latrones, in frusta comminuerent, sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum horrendis afficerent contumeliis, præstantissimorum pictorum monumenta confringerent, defunctorum sepulchra, jure gentium religiosa, violarent, supellectilem omnem sacram diriperent. Ita tres integros dies in universa civitatis templa bacchati sũt. Metrius a Calvinista, domesticorum scelerum testis omni exceptione major, posterorum fidem non permisit de rei veritate fluctuare.



a Emman. de Metere in annal.

ctuare. Tradit enim, illâ primâ nocte tanto furore sævitum esse, ut ante noctis medium [a] omnia sacella effracta, altaria dejecta, statuæ & simulacra deturbata ac fracta, claustraque omnia reserata fuerint, in hoc amplissimo sanctæ Mariæ Virginis templo, altaribus plus minùs septuaginta decorato, & pretiosis picturis, regalique luxu tam splendido, ut simile vix inveniri queat. Quæ simulatque sic peracta, ingentes adolescentium catervæ, mixtis viris quibusdam nebulonibus atque meretricibus, circumcurrunt, inquit, idem aliis in locis perpetraturi. Franciscanorum, Clarissarum, S. Jacobi, Andreæ, Georgii, Michaëlis, Petri Potsii, Burgi, Fakenarum sororum, Albarum, Nigrarum, Tertianarum, Nonnarum, Bogardorum, Dominicanorum, &, ut verbo absolvam, totius Antverpiæ civitatis templa sacellaque omnia festino insanoque tumultu vastant, ita ut ante clarum solis orientis jubar, præcipua quæque diruta deturbataque fuerint. Totos tres dies, ut idem refert, in omnia sacra totâ urbe, mox etiam extra urbem in pagos quosque, & monasteria, rabiem effuderunt: ita ut nihil superesset, quod non incredibili furore confringerent. Eadem penè totius Belgii, paucis urbibus exceptis, ubi Catholicorum vires eos à conatu revocaverant, sors & facies. In quo furore multæ bibliothecæ [b], vetustis codicibus instructissimæ, inprimisque Blandiniensis, excisæ sunt: eo videlicet consilio, ut non tantùm fides ex templis & animis hominum, sed etiam ejus asserendæ monumenta ex ipso mundo evanescerent. Quæ quidem omnia anno integro ante adventum Du-

cis

a *Vide Haraeum to. 3. Annal. & Surium ad an. 1566.*
b *Surius ad an. 1565.*

cis Albani & Hiſpanorum militũ deſignata ſunt, mẽſe Auguſto anni 1566. cùm ipſe non niſi anno ſequenti, eodem mẽſe, Bruxellam appulerit. Hæc enim fœda & univerſalis Catholicæ Religionis profanatio externum militem, Albaniq́ue ſeveritatem, provocavit; ut nemini dubium eſſe poſſit, quin Religionis bellum ſit, quod in Belgio exarſit. Etenim non hæreſis ex rebellione, ſed rebellio ex hæreſi, novandæq́; ſtudio Religionis, non minùs inter Belgas, quàm Francos nata eſt, crevit atque conſenuit. Inde proſcriptiones quorumdam, inde militum delectus, inde urbium occupatio, inde denique novæ Reipublicæ excitatio.

Quod ut accuratiùs tibi, Lector, conſtet, intuere progreſſum belli iſtius luctuoſi, quo etiamnum Belgium flagrat. Poſtquam decennio ſurſum deorſum tempeſtatibus bellicis jactatum eſſet, pax tandem *a*, quam *Gandenſem Pacificationem* dicunt, certis legibus coaluit, quibus Religioni Catholicæ utcumque cavebatur. Pacem iſtam Ordines novâ *Vnionis* pactione ſequenti anno *b* roborant, in qua jurejurãdo ſe devinciunt, Religionem ſe Catholicam ſartam tectamque ſervaturos. Sciebant enim non aliter ſperandum eſſe conſenſum Regis. Nam & poſtea, cùm Coloniæ coram Cæſaris Legatis pax tentaretur, expreſſiſſimè Rex Religioni Catholicæ proſpectũ voluit, uſq; adeò, ut articulo primo, Religionem ſpectante, dicat: *c* *Religionem quod concernit, quæ piis & Chriſtianis omnibus Principibus quàm maximè cordi eſſe debet, prætermittere Rex nullo modo poteſt, inſiſtendo veſtigiis ſuorum majorum Catholicorum Regum; quin imò petit,* ac

a *Anno* 1576. 8. *Novemb.* b *An.* 1577. 9. *Ianuarii.*
c *In articulis pacis tractatæ Coloniæ ann.* 1579. *à Majo uſque ad Novembr.*

ctuare. Tradit enim, illâ primâ nocte tanto furore sævitum esse, ut ante noctis medium a omnia sacella effracta, altaria dejecta, statuæ & simulacra deturbata ac fracta, claustraque omnia reserata fuerint, in hoc amplissimo sanctæ Mariæ Virginis templo, altaribus plus minùs septuaginta decorato, & pretiosis picturis, regalique luxu tam splendido, ut simile vix inveniri queat. Quæ simulatque sic peracta, ingentes adolescentium catervæ, mixtis viris quibusdam nebulonibus atque meretricibus, circumcurrunt, inquit, idem aliis in locis perpetraturi. Franciscanorum, Clarissarum, S. Jacobi, Andreæ, Georgii, Michaëlis, Petri Potsii, Burgi, Fakenarum sororum, Albarum, Nigrarum, Tertianarum, Nonnarum, Bogardorum, Dominicanorum, &, ut verbo absolvam, totius Antverpiæ civitatis templa sacellaque omnia festino insanoque tumultu vastant, ita ut ante clarum solis orientis jubar, præcipua quæque diruta deturbataque fuerint. Totos tres dies, ut idem refert, in omnia sacra totâ urbe, mox etiam extra urbem in pagos quosque, & monasteria, rabiem effuderunt: ita ut nihil superesset, quod non incredibili furore confringerent. Eadem penè totius Belgii, paucis urbibus exceptis, ubi Catholicorum vires eos à conatu revocaverant, sors & facies. In quo furore multæ bibliothecæ b, vetustis codicibus instructissimæ, inprimisque Blandiniensis, excisæ sunt: eo videlicet consilio, ut non tantùm fides ex templis & animis hominum, sed etiam ejus asserendæ monumenta ex ipso mundo evanescerent. Quæ quidem omnia anno integro ante adventum Ducis

a *Vide Haræum to. 3. Annal. & Surium ad an. 1566.*
b *Surius ad an. 1566.*

cis Albani & Hispanorum militũ designata sunt, mẽse Augusto anni 1566. cùm ipse non nisi anno sequenti, eodem mẽse, Bruxellam appulerit. Hæc enim fœda & universalis Catholicæ Religionis profanatio externum militem, Albaniqꝫ severitatem, provocavit; ut nemini dubium esse possit, quin Religionis bellum sit, quod in Belgio exarsit. Etenim non hæresis ex rebellione, sed rebellio ex hæresi, novandæq; studio Religionis, non minùs inter Belgas, quàm Francos nata est, crevit atque consenuit. Inde proscriptiones quorumdam, inde militum delectus, inde urbium occupatio, inde denique novæ Reipublicæ excitatio.

Quod ut accuratiùs tibi, Lector, constet, intuere progressum belli istius luctuosi, quo etiamnum Belgium flagrat. Postquam decennio sursum deorsum tempestatibus bellicis jactatum esset, pax tandem *a*, quam *Gandensem Pacificationem* dicunt, certis legibus coaluit, quibus Religioni Catholicæ utcumque cavebatur. Pacem istam Ordines novâ *Vnionis* pactione sequenti anno *b* roborant, in qua jurejurãdo se devinciunt, Religionem se Catholicam sartam tectamque servaturos. Sciebant enim non aliter sperandum esse consensum Regis. Nam & postea, cùm Coloniæ coram Cæsaris Legatis pax tentaretur, expressissimè Rex Religioni Catholicæ prospectũ voluit, usq; adeò, ut articulo primo, Religionem spectante, dicat: *c Religionem quod concernit, quæ piis & Christianis omnibus Principibus quàm maximè cordi esse debet, prætermittere Rex nullo modo potest, insistendo vestigiis suorum majorum Catholicorum Regum; quin imò petit,* ac

a *Anno* 1576. 8. *Novemb.* b *An.* 1577. 9. *Ianuarii.*
c *In articulis pacis tractata Coloniæ ann.* 1579. *à Majo usque ad Novembr.*

*ac jubet, ut in hereditariis suis Provinciis maneat & exerceatur Catholica, Apostolica, Romana Religio, ab initio ibi semper observata, in quo tot annos Provinciæ floruerunt, quam & ipse Rex, suique majores in sua inauguratione jurarunt. Quæ Religio, aliis omnibus exclusis, ibi liberè & sine impedimento exercebitur; sicut & Ordines olim se obligarunt, & solemniter in generali Unione, perpetuo Edicto, & variis litteris ad Regem, tam post has turbas, quàm antea, addixerunt.*

Sed vide jam, quomodo statim, vix conclusis Pacificationis Gandensis, Unionisque subsecutæ conditionibus, à Religionis, quam omnium maximè perosi erant, violatione novas turbas Orangius, & fœderatæ Provinciæ auspicatæ sint. Nam cùm Ordines Belgii Gasparem Schetzium, D. de Grobbendonc misissent ad Orangium, & ad cohærentes ei Batavos Zelandosque, ut Unionem illam reciperent, negaverunt eam se recipere posse, quòd ista Unio *Religioni, quam profitebantur, repugnaret*. Deinde missus ad Orangium ad Montem Sanctæ Gertrudis Dux Arschotanus, unà cum Villervallio, aliisque Deputatis, ut *Edictum perpetuum*, quod apud Marcam Faminam inter Ordines & Joannem Austriacum coaluerat, in Hollandia admitteretur, inter alia responsum ab Orangio tulerunt, Se Calvinisticam doctrinam colere, quam numquam esset relicturus: quòd si etiam Ordinum Generalium conventus cogeretur a, *Frustrà de Religione aliquid à quindecim Provinciis statutum iri: Hollandos enim Zelandosque numquam ab ea, quam amplexi semel erant, fide discessuros; neque fugaturos Ecclesiæ suæ ministros, ut in eorum locum Catholici concionatores subintrarent.* Denique simulatque externus miles, juxta Pacificationis

a *Anno* 1577.

Gan-

Gandensis legem, Belgio discessisset, illo ipso tempore celeberrimum monasterium Carthusiensium *a*, & Ecclesiam in Monte S. Gertrudis, præter alia in Bevervviick, Leerdam, Goudę, Dordraci, quæ hactenus integra perstiterant, funditus Orangius cum suis diruit, & ex lapidibus domum in præfato Monte struendam curat, passimque alibi structurę materiem in suos usus vertit: decimas Religiosorum, prædia, fundos quibusvis licitatoribus vendit: negat se posse Religionem in Hollandia Zelandiaque restituere. Mox Amstelredamum, Catholicissimam civitatem, occupant, pactis conditionibus, quas Ordines Hollandiæ, Zelandiæ, atque Ultrajectini suis sigillis *b* munierunt, ut Catholica Religio liberè exerceretur: quod & Harlemensibus addictum fuit. Sed quid? vix paucis elapsis mensibus, Harlemi in templum irruunt, strictisque gladiis Sacerdotes partim fugant, partim vulnerant, partim occidunt, supellectilem sacram diripiunt. Amstelredami mense Junio ineunte crudelius in sacra sæviunt. Nam Monachos Franciscanos partim pulsatos, partim vulneratos, urbe pellunt, Magistratum Optimatesque Catholicos cum furore abreptos ad mare trahunt, & in naves conjectos exportari jubent. Inde cum impetu in reliqua monasteria, templa, sacella, locaque alia sacra irruunt, altaria exscindunt, Sanctorum effigies deturbant, frangunt, conterunt, exurũt, Sacramenta polluunt, sacra diripiunt. *c* Ita Gandavi mense Majo, & rursum cõtra pacta anno sequenti: ita *d* Ultrajecti bis terve, & in tota *e* dioecesi

a *Haræus in Annal. an.* 1577. b *Surius in Comment.*
c An. 1578. mense Majo, & rursum ann. 1579.
d 15. Aprilis 1578. & 1579. feriis Pentecost.
e Anno 1580. mense Martio.

cesi ejus: ita *a* Antverpiæ bis, ubi Calviniani inito cum Lutheranis *b* fœdere contra hostes suæ Religionis invicem juravêre: ita *c* Aldenardæ, Teneramundæ; ita *d* Daventriæ, Suvollæ, Campis, in territorio Groeningensi, aliisque opidis atque pagis, quocumque vis eorum penetravit. Ipsa Bruxella impudentem insolentiam evadere non potuit. Nam & ibi *e* proscriptus Catholicæ Religionis usus, templorum omnium ac sacellorum imagines fractæ, & altaria disturbata, ipsi denique sanctissimo Sacramento, miraculis quotidianis celeberrimo, impiissimis blasphemiis insultatum. Cujusmodi invalescentes Religionis profanationes cùm Hannones & Artesii, aliique multi verè Catholici, ferre non possent, conditionesque *Pacis f*, quam *Religionis* vocitabant, cujus securitati nullo pacto satis prospectum erat, generosè respuerent, relictis Ordinibus & Orangio, ad Regem suum redière: quibus hac de causâ *Malecontentorum* nomen impositum fuit.

Quę quidem omnia luce meridianâ clariùs patefaciunt, solas novas Religiones uti peperisse, ita fovisse, auxisse, indurasse rebellionem; novas Religiones, fractâ pace illâ primâ, bellum Albani provocasse; fractâ Pace Gandensi, sopitum revocasse. Nam quemadmodum pacem Gandensem, multis nominibus iniquam, Rex amplexus est, quòd Religio & auctoritas Regia utcumque salva videretur: ita Cæsari *g* postea per litteras amplissimam

*a* Anno 1579. in Ascens. Domini, & rursum an. 1581. Kalend. Iulii. *b* Anno 1581. 24. Iulii. *c* Ann. 1579. post tumultum Gandensem. *d* Anno 1580. 7. & 8. Martii. *e* Anno 1581. Kalend. Maii. *f* Anno 1578. 22. Iulii promulgatæ. *g* Anno 1579. quæ pax Coloniæ per multos menses tentata est.

mam transigendi cum Provinciis suis potestatem dedit, hâc solâ salvâ conditione, quam jus divinum ac naturæ postulat, *Religione Catholicâ, & Principis auctoritate.* Hanc enim nemo respuere potest, nisi qui spiritum hæreseos, & individuum ejus comitem rebellionis induit.

Quòd si reliquum rerum gestarum, bellique Belgici cursum attendere libet, nihil manifestius, quàm Religionis Catholicæ eversionem, & hæresis propagationem, quarum utrique Rebellio velut minister hactenus militaverat, jam etiam forsan imperat, esse confœderatorum Ordinum scopum. Nam & Princeps Orangius in suâ contra Regis querimonias & proscriptionem suam Apologiâ profitetur *a, se jam tum à puero reformatæ, quam vocāt, Religioni favisse.* Et cùm post Gandensem Pacificationem querelis Catholicorum obtunderetur aures ejus, Hispanicè subridens reponere solebat: *Yo soy calvo de cabeça, y muy mas calvo tengo el coraçon;* quo significat, toto se corde *Calvinū* imbibisse. Ipsi Ordines confœderati in Edicto *b*, quo Regem suū abdicant, unam ex potissimis causis proferunt, in hæreticis comprimendis severitatem: quæ quamvis juribus divinis humanisque, totâ Europâ ante multa sæcula receptis, consentanea fuerit; Novatoribus tamen omnibus justissima rebellionis & arma capessendi causa est. Quidquid ultrà contra Regem insidiosè in Edicto jactitant, vel frivola sunt ad tantæ rei pondus, vel in Religionis innovatione & Religione fundata. Denique cùm nuper anno 1608. laboriosâ multorum mensium tractatione disceptatum esset Hagæ-Comitis,

a *Orangius in Apolog. edita an. 1580. mense Decemb.*
b *In Edicto Hagæ-Comitis promulgato anno 1581. 26. Iulii.*

micis, unaq; cum Archiducibus declarasset a Rex, se summo imperio fœderatarum Provinciarũ paratos in perpetuum renũtiare, dummodò vicissim Catholicę Religionis usum & publicũ exercitium in suis ditionibus restituerent, atq; ab Indicâ navigatione temperarẽt, statim totus tractatus iste dissiluit. Unde in induciarũ pactis transigendis, Religionis Catholicæ in Provincias suas admittendæ mentionẽ nec auribus quidẽ admittere voluerunt.

Sed quia nihil manifestiùs occultos animi cardines, super quos actionum series volvitur, quàm perpetua factorum constantia protestatur; omni profectò mẽtis luce cassus sit necesse est, quisquis adhuc ambigit, utrùm pro tuendis propagandisque Religionibus novis, exstinguendaquè vetere, bellum Batavicum hactenus gestum sit. Circumfer, quęso, oculos per universas Belgii plagas, quæ ferreum atque tyrannicum Batavorum susceperunt jugum, & faciem Religionis intuere. Jam inde à primis rebellionis exordiis usque ad postremam expeditionem, quâ Silvaducis Francorum armis capta fuit, non est civitas, oppidum, municipium aut pagus, à celeberrimo orbis emporio Amstelredamo usque ad novissimum vicum, unde liberum Catholicæ Religionis exercitium non sit fugatum. Fracta jacent ubique altaria, Sanctorum imagines deturbatæ, Crucifixi effigies pedibus conculcatæ, Monachorum occupata & pessimdata monasteria, pulsi undique R ligiosi, exstincta Catholicorum Canonicorum collegia, quibus aditus ad illa Edicto intercclusus est, reditus Ecclesiastici ad bella conversi: Sacrificium juge, Angelicis tremendum exercitibus, publicè exu-

a Ita declaratũ an. 1608. 13. Ian. sess. 4. & rursum 20. Aug.

exulat ab omnibus eorum ditionibus. Ut sanè sexaginta annorum experientia planum fecisse videatur, eos esse veros precursores illius postremæ abominationis ac desolationis, de quâ Daniel Propheta mysticè vaticinatus est, quòd impij a *polluent sanctuarium fortitudinis, & auferent juge sacrificium*. Hoc enim Batavi jam ab initio Edictis, mulctis, carceribus, contumeliis sacrificantium Sacerdotum egregiè præstiterunt, quotidieque præstant: ut non alio opus futurum esset Antichristo, qui Danielis vaticinium per totum terrarum orbem impleret, si armis Hollandorum, quibus eum ab Oriente vsq; ad Occidentem territant, successum desideratum Deus largiretur. Nam unicum eorum votum est, Missam velut abominationem pellere: ut, quemadmodum quà tyranni Turcici transivit equus, nō amplius herba crescit (quod dici solet,) ita non amplius offeratur sacrificium, quâcumque Batavorum victoriæ transierunt. Hæc enim impietas, tamquam immobilis Reipublicæ confœderatæ basis, tam altè mentibus eorum fixa est, ut Christianissimus Rex nullis legationibus aut machinis extorquere potuerit, ut Catholicæ Religionis publicam libertatem ditionibus suis indulgerent: quò sic saltem nefaria illa fœdera, quibus Catholici Belgæ oppressi gemunt, & avitæ Religionis exilium plorāt, aliquo adscititię pietatis colore imperitorum hominum oculos fallerent. Sed quid ego publicam Religionis libertatem sperem? Res posteris incredibilis, attamen vera & certa est. Nec istud quidem à Christianissimo Rege tot beneficiis Christi Ecclesię luctuosis impetrari potuit, ut milites Franci, quorum vulneribus portę civitatum, unde

a *Daniel*. 11.

unde fidem Catholicam fugaverunt, reseratę sunt, vel Confessarium in castris haberent, quò matri Ecclesiæ, cujus viscera lancinaverant, & sacra hæreticis polluenda abrogandaque prostituerant, reconciliari possent. nempe *a*, *Justus es, Domine, & rectum judicium tuum*. Justum est enim, ut Religionis beneficiis careant, quam hostium prædæ & contumeliis prodiderunt.

a *Psal.* 118.

## CAPUT XV.

*In perniciem animarum suarum mittuntur ad bellum Franci milites. An Regis Doctorumque conscientia tutò acquiescere possint.*

Ex hoc judicio Dei proficiscitur, quòd plerique Catholici milites Franci, quemadmodum oculati testes faciunt fidem, cùm se omni suæ Religionis exercitio & exhortationibus destitutos esse cernunt, ad Calvinistarum templa Dominicis diebus confluunt, ut vel sic Deo scilicet septimi diei otium tribuant; qui cæterorum negotia in fidei perniciem contulerunt. Nimirum ipsi pro sua sapientia bonum à malo discreturi, justa istius temeritatis, commissæque impietatis, pœnas luunt, dum perfidiam etiam corde imbibunt, cui corpore militaverant: & ex Catholicis Calvinistæ, vel athei, ad patrios revertuntur lares. Quorum perditio cui, nisi Christianissimo Regi, & Proceribus ejus Purpuratis, in singultum erit?

Ex eodem judicio Dei fluit, quòd, cùm iidem milites, ægritudine subinde de vita periclitantes, latitantem quempiam in Hollandia Sacerdotem quærunt, nullum inveniant; vel, si fortè invenirent,

rent, ut subinde factum est, sine absolutionis beneficio ad eum, cui sanguine suo in expugnandis urbibus litaverant, migrare cogerentur. Hæc enim Ecclesiasticæ disciplinæ lex in latitante Clero hactenus servata est, ut nemo eorum, qui Religionis perduellibus ad expugnãdas Catholicas urbes militant, sine militiæ talis renuntiatione, possit absolvi. Ita periti Belgarum, Clerusque judicant; quibus abominationes, quæ in fidei Catholicæ injuriam perpetrantur, exordia, progressus ac jura belli Belgici haud paulò propiùs & accuratiùs, quàm Francis, perspecta sunt.

Nihil hîc juvat, obedientiæ inculcare leges, quibus Regum jussa etiam dubia exsequi sine disceptatione subditi compelluntur. Sunt enim nonnulla tam perspicuæ pravitatis, ut nullis Regum præceptis, nullis Doctorum suffragantium calculis ab impietate purgari queant. In quibus istud Nazianzeni locum habet a: Πιστοὶ μένετε τοῖς βασιλεῦσι, Θεῷ δὲ πρώτερον, *Fidem Imperatoribus servate, sed primùm Deo*: & illud Apostolicum b: *Obedire oportet Deo magis, quàm hominibus*. Scimus enim de Doctorum etiam judiciis judicaturum Deum; & esse divinæ benignitatis, humanæque felicitatis, in veraces Doctores incidere. Nam ut Regum delicta plerumque populus, ita Doctorum errata discipuli luunt: ut assecla cum ductore, discipulus cum doctore, obtemperans cum jubente, simul in foveam cadant. Ex alto despicientibus vertigo nascitur: in moribus è contrario, alta nimiùm suspicientibus. Illis ipsa terra; his etiam immobiles certissimæq; veritates verti videntur. Quorum regulæ sunt: Reges fecerunt, igitur justum est, igitur

a *Nazianz. orat.* 27. b *Act.* 5.

tur quâcumque Theologiæ ſubtilitate defendendum. Sed in quibuſdam facinoribus condemnandis tam altâ voce Veritas ęterna in perpetrantium cordibus clamat, ut, quemadmodum fremitus maris nullâ vociferatione ſuperari poteſt, ita nullis Conſiliariorum lenociniis, Doctorumque ſuffragiis, conſcientia Regum jubētium, aut militum perpetrantium, in tuto collocari. In talibus enim non hominum opinio, ſed Veritas judex erit, quæ de hujuſmodi factis arbitrabitur, non ex his, quæ ille vel iſte Doctor exiſtimavit, ille vel iſte credidit, ſed ex æternæ & immutabilis Æquitatis regulis, & *a ex his, quæ ſcripta erunt in libris*. Niſi fortè Martyrum carnifices, & Chriſti interfectores, quia Doctorum conſulta, Præfectorumque juſſa ſequebantur, de innocentia putemus poſſe gloriari. Ordo enim jubendi atque parendi incertam de veritate conſcientiam excuſare poteſt, perſpectam iniquitatem purgare non poteſt. Oculis ſuis perſpiciunt milites, & in hoc poſtremo excidio Thenarum, adeoque totâ expeditione Brabanticâ, quâ Batavi etiam libertatem inviſæ ſibi Religionis præferebant, ſatis ſuperque perſpexerunt, quis ſit in Provinciis confœderatis militię ſtatus, quid contumeliæ templis, altaribus Chriſtianiſque ſacris ſuo ſanguine hęreticorum poteſtati traditis, quæ perfidiæ labes Catholicis infirmis; Paſtorum præſidio deſtitutis, inferatur: quorum non ſatis periti Doctores Franciæ, ex principiis generalibus neſcio quibus, ſub quibus non niſi falsò ſubſumi poteſt, leviùs quàm oportet, de re, peritis circumſtantiarum perſpicuâ graviſſimâque, decernunt. Affectus etiam, quo diſtorta Regum facta quoquo modo fucari ſolent, non me-

a *Apocalyp.* 20.

diocri-

diocriter hac in re partes suas agit, præsertim in illis, quibus Belgicarum Provinciarum status, jura Regia, tumultuum causæ, Religionis facies, abominationum commissarum insolentia, vix nisi Gallicanis rumoribus de industria plerumque, ut quotidie cernimus, adulteratis, perspecta est. Sed quorum oculi, deterso fallaciarum fuco, res ipsas intuentur, justioribus eas ponderibus metiuntur. Vident clariùs, quàm ut ullo vel Regis jusso, vel Doctorum consultatione obscurari queat, illicitam esse damnatamq; Religionis Catholicę proditionem, & operam illam, quam in urbibus expugnandis collocant; utpote quâ nihil aliud fiat, quàm ut omni præsidio sacra mysteria, & infirmorum animæ denudentur, quò impunè hæreticorum contumeliis, atque seductioni pateant. Vidi ipse oculis meis, cùm in Belgio Germaniaque peregrinus agerem, Francos milites, qui desertâ militiâ ingenuè fatebantur, numquam securâ conscientiâ se ad expeditiones prodire potuisse. Scio alios eo proposito in suscepto temerè sacramento perstitisse, quòd, cùm ad manus veniendum esset, in terram se tormenta manuaria explosuros pollicerentur. Unde non pauci quotidie signa deserunt, & in Galliam ex abominandâ illâ militiâ se proripiunt. Nimirum & vulgo hominum sine litteris de rebus planissimis judicantium perspicuum est, Religionis atque rebellionis, non politiæ, bellum esse; perfidiæ, non juris patrocinium, cui miseri mancipantur. Cui profectò non minus absurdum est, Catholicos Reges atque milites posse auctoritatem præbere aut manus, ac si cum latronibus latrocinandũ, cum sacrilegis Ecclesias effringendas, cum adulteris lenocinandum esse doce-

 remus.

remus. Nihil hîc intereſt, Purpurâ veſtitos eſſe, infulis, ſacco cilicioque præferre pietatem, qui iſta ſuadeant, niſi ut ſeverius judicium ſubeant; quòd ſublimiſſima Religionis ornamenta, cui debent quidquid ſunt, in Religionis præjudicium præpoſterâ pietate converterint.

## CAPVT XII.

*Bellum Proteſtantium & Suecicum eſt itidem bellum Religionis; & conſequenter fœdus cum eis illicitum.*

Par quoque, ſi non fœdior, eſt Germanici belli macula, quod in præſentiarum Suecus & Proteſtantes cum Imperatore gerunt. Eſt enim notorium, totâque Europâ divulgatum, bellum illud poſtremum ex Edicto Cæſaris profectum eſſe, quod ipſe anno 1629. ſextâ Martii Viennæ promulgavit, & mox per univerſum Imperium, portis urbium, Eccleſiarumque valvis, etiam Proteſtantium, affixum, & à Deputatis Imperatoriis, diverſis in locis, executioni mandatum fuit. Duo potiſſimùm iſtud Edictum continebat, quemadmodum ex ejus exemplo manifeſtum eſt. Primum, ut Archiepiſcopatus, Epiſcopatus, Prælaturæ, Monaſteria, Hoſpitalia, Fundationes, aliaque bona Eccleſiaſtica, quorum Catholici ante tractatum Paſſavienſem pacificâ poſſeſſione fruebantur, & poſt illum tractatum injuſtis modis inde deturbati ſunt, Catholicis reſtituerentur, ut juxta Eccleſiaſticos Canones à legitimis idoneiſque perſonis adminiſtrari poſſint. Secundum, ut juxta Edictum de Pace Religionis jam olim conditum, ſola Catholica Religio, & Confeſſio Augusta-

gustana in toto Imperio exerceretur publicè, exclusis omnibus contrariis sectis atque doctrinis. Uterque articulus ex una parte juri divino ac naturali, ex altera Ecclesiæ sanctionibus, & Edictis Imperii consentaneus est. Nemo enim Catholicus, quibuscum nobis disceptatio est, dubitare finitur, quin Ecclesiasticæ Præfecturæ, & consequenter annexa Præfecturis bona, non hæreticis, sed Catholicis Antistitibus, tamquam legitimis possessoribus, cōmittenda sint; qui, cùm Ecclesiæ Catholicæ vera sanæque fidei membra sint, populum, exclusis errorū venenis, pabulo veritatis pascere, & ad vitā æternam regere queāt. Hoc ipsum verò jam olim in Edictis Imperialibus, pro Pace Religionis conditis, in quæ pars utraque tam Protestantes quàm Catholici consenserant, expressum sancitumque perspicuè fuerat, ut & ipsi Protestantes hoc faterentur. Quapropter cùm injuriæ contra Catholicos, & Episcopatuum, Monasteriorum, aliorumque bonorum Ecclesiasticorum usurpationes, effrenisque libertas novarum Religionum, in Imperio pullulantium, contra Imperialia utriusque partis pacta edictaque quotidie crescerent; multis Catholicorum Principum, Electorumq; Mulhusii congregatorum, querimoniis compulsus Imperator, ut fidei magis magisque fatiscenti, & illis Ecclesiæ deprædationibus mederetur, tandem illud Edictum, sanctionibus Imperialibus, & Ecclesiæ Germanicæ restituendæ maximè consentaneum, promulgavit. Sed quia restitutio illa multis Principibus durior, quàm injustior videbatur, ut quorū status ex illis bonis præcipuè coaluerat, consiliū, quod olim cuidam datū feliciter successerat, imitari placuit. De rationibus

enim reddendis perplexo ac satagenti, cùm se expedire non posset, suggestum fuit, prudentiùs acturum, si de non reddendis cogitaret. Quod cùm fecisset strenuè, ab onere se tam reddendæ rationis, quàm restitutionis liberavit. Hanc rationem expeditissimam Principes Urbesque Protestantium ratæ, adversùs Edictum Imperatorium conspirare, & restitutionem Episcopatuum atque Cœnobiorum, quibus multis jam locis Clerus legitimus frui, populusque ad Catholicam Religionem reduci cœperat, impedire statuerunt. Hinc conspiratio *a* Principum Protestantium Lipsiensis, quæ scriptis ad Imperatorem litteris vehementissimè contra illud Edictum protestatur, & omnia, quæ contra Ducem VVirtebergensem, aliosque Principes, & civitates, pręsertimque Augustam Vindelicorũ, in ejus executione commissa fuerant, in integrum restitui petit. Hinc Suecus, hinc Batavus, & quidquid undique Provinciarum Imperialium prędis inhiabat, adversùm Cæsarem subsidio invocatum. Hinc & illud Gallicum cum Succo fœdus: cujus auctoribus Catholicæ Religionis stragem, suamque desolationem Germania acceptam refert. Jam enim religiosissimus Imperator provinciis Imperii magna ex parte Catholicam fidem, fidei templa ac Cœnobia, Cœnobiis templisque Clerum suum, Clero bona sustentationi necessaria, ipsam denique Ecclesiam Germanicam Christo sponso suo asseruerat: jam ritus Ecclesiasticos splendori suo, Antistites desertis sedibus restituerat, & animas innumeras erroribus ereptas auctori Religionis Deo: jam Academias veteres, evocatis undique Professoribus,

ab

a *Litteræ ex Congreg. Leipsich, datæ anno* 1631, 18. *Martii*.

ab interitu erigere cœperat, novaſque meditabatur, unde fides orthodoxa in univerſam Germaniā ſe diffunderet; cùm ecce à Proteſtantibus, ſplendorem reviviſcentis fidei non ferentibus, & Infulas, redituſque ſacros, quos devoraverant, evomere detrectantibus, ab ultimo Septemtrione Suecus excitur, Gallicoq; fœdere, ad diſturbādos omnes religioſiſſimos Imperatoris conatus, animatur, accingitur & juvatur. Hoc enim fœdere jam per triennium non ſolùm Eccleſiaſticarum dignitatum, Monaſteriorum, bonorumque Eccleſiæ inchoata reſtitutio penitùs intercepta & ſuppreſſa, omniumq; hæreſum libertas ſtabilita eſt; ſed ipſa quoque Catholica Religio tam infami modo proſtrata, ut nihil ab Attilis fœdius expectari potuiſſet. Lugenda horrendaque ſunt, quę oculati teſtes referunt. Undique vaſtitas Eccleſiarum, ſqualor altarium, fuga Antiſtitum, Religioſorum, ſacrarumque Virginum, profanatio myſteriorum exe-crabilis. Jacent paſſim Cœnobia ſemidiruta, diſperſa Canonicorū Collegia, Antiſtites in diverſa profugi, Eccleſiæ Clericis ubiq; viduatæ, populus orbus Paſtoribus ſuis: qui in ipſa Gallia latitantes, ne quidē Dei ac ſuas injurias audent queri; ne fortè ab iis etiam læſę Majeſtatis acceſſantur humanæ, qui divinam talium fœderū pietate coluerunt.

Cùm igitur tam perſpicuè Proteſtantium Suecorumque inſignia contra Catholicam Eccleſiam ex profeſſo volitent, cujus aras eruunt, cujus templa profanant, cujus imagines frangunt, cujus Cœnobia evertunt, cujus Præſules fugant, cujus ſacra, quemadmodum litteræ Germanicæ teſtantur, nefariis profanant modis, cujus exſtirpant fidem, cujus diſciplinam jam jamq; refloreſcentem armis

 impe-

impediunt; cujus reditus ac bona in damnatæ hæresis munimenta convertunt; quis sanâ mente dubitaverit, quin illicitum sceleratumque sit, tam sacrilegis conatibus arma Christiana sociare? Nisi fortè etiam Turcis & Saracenis, ex professo Ecclesiam persequentibus, & fidem exstirpantibus, suppetias tutò mitti posse arbitremur, dummodò ipsi suo sua, nos nostro scopo nostra prosequamur. Nec enim ulla ratio dari potest, cur minùs Turcis ac Saracenis, quàm hæreticis, quando utrique Ecclesiam, ejusque sacra hostiliter premunt, & bonis inhiant; fœdere, armis, milite, quibus conatus eorum fulciantur promoveanturque, copulemur. Ausim dicere, majorem esse belli Germanici contra Cæsarem, quàm Turcici impietatem; fœdiorem in Christiana sacra profanitatem, effreniorem in Ecclesiasticos ac Cœnobia licentiam. Turca cæcus avaritiâ libertatem Religionis, quam invenerit, servat. Lucrum odoratus, in palatio penè suo pretium redemptionis nostræ offerri sinet. Nullibi majus, quàm sub ipso, adversùs hæreses præsidium. In Religione enim jam recepta sub pœna pali quidquam innovari vetat; ne fortè cũ Religione etiam status innovetur. Quo fit, ut in Hungaria, quæ tyrannidi Turcarum paret, longè mitiùs hæretici, atque pauciores, quemadmodum periti scribunt, quàm in Hũgariâ Catholicâ, grassentur. a *Ad officium enim hæreticos compelli, non illici, dignum est. Duritia vincenda est, non suadenda.* Hanc eorum duritiam severissimè Turca tundit, & vincit: nullam enim timet crudelitatis invidiam, dum status nullâ novitate perturbetur. Sub Regibus verò Christianis, mansuetudinem Christi

a. *Tertull. in Scorp. cap. 2.*

ſti æmulantibus, nihil tam profanum atque ſacrilegum in Catholicos, quod non audeant: nihil tam exitioſum fidei, quod non blandiente occaſione moliantur. Odio quippe flagrant acerbiſſimo in Eccleſiam, à quâ damnati ſunt, in fidem, cujus deſertæ rei; in Præſules, quorum diras & fulmen experti. Nihil illis ad veritatem averſandam obterendamque obſtinatius, nihil ad falſitatem perſuadendam vigilantius, ac malignius. Sunt enim, quẽadmodum ſanctus Clemens ait *a*, *Ἰουδαίων ἀσεβέστεροι, καὶ Ἑλλήνων ἀθεώτεροι, magis impii quàm Iudæi, magis athei quàm Gentiles*, & uno verbo *παμπόνηροι, toti improbi:* ut Nazianzenus *b*, *δαιμόνων ἀπιστότεροι, dæmones incredulitate ſuperant*; ut Auguſtinus, etiam *c contendendi pervicaciâ*. Hoc omnibus ſæculis experta eſt Eccleſia, tolerabiliorem longè ſub Paganis atque Gentilibus, quàm ſub hęreticis eſſe Chriſtianorum imbecillium ſortem. Longè enim faciliùs fucatâ veritate, quàm apertâ Gentilium Turcarumque profanitate ſeducuntur. Quamobrem non Paganorum, ſed hæreticorum commercia Apoſtoli & Eccleſia vetuêre. Nimirum ubi plus periculi, ibi cura vehemẽtior. Sẽper verò imbecillibus Chriſtianis, quorum pars multò maxima eſt, periculoſiſſimi ſunt; tũ verò potiſſimùm, quãdo ab ipſis Chriſtianis Regibus conatuũ ſuorum impietatẽ, quam ſuo ſatellitio muniunt, quodãmodò probari vident. Rebus enim, nõ verbis, improbitatẽ probat, quiſquis eam Eccleſiæ inſultantem, eiuſq; ſacra impugnantem, fœderibus amplectitur, & armis juvat. Nam, ut optimè Tuba Græciæ *d*, *ἔργον λόγου ἰσχυρότερον, opus*

M 4 *ſermo-*

a *Clem. lib. 6. Conſtit. Apoſt. cap. 18.* b Nazianz. *orat. 42.*
c *Auguſt. epiſt. 48.* d Nazianz. *orat. 27.*

*sermone fortius*. Quopropter si tam juratos Ecclesiæ perduelles, in ipsis conatibus, quibus Ecclesię Catholicæ disciplinam, dignitatum ejus bonorumque redditionem se profligare, omniumque hęresum libertatem, sub Libertatis Germanicę fuco, tueri velle profitentur, pecuniis, armis, militibus adjuvare licet; nulla profectò ratio quâcumque Theologię politicę subtilitate dari potest, cur non etiam Turcis ac Saracenis Christianam Religionem aperto Marte vastantibus, liceat opitulari. Attoniti stant admirationis magnitudine, quotquot pietatem blandâ linguâ inferiùs, & fulgentibus ostro vestibus interiùs habent, quî fieri possit, ut sacri cœnobitici, infulæ, purpura, quidquid, inquam, sacratius Ecclesia Christi colit, nefariis istis infidelium conatibus suffragetur: quibus id unum ex professo agitur, ut omnis purpura, infulæ, Monachatus, & augustissima quęque Ecclesiasticæ Hierarchiæ decora ex ipso mundo auferantur. Nimirum huc tandem in sæculorum finibus veniendum erat, ut Christianissimus Justusque Princeps hujusmodi Curionum consiliis circumventus, non sine insigni Christiani nominis probro, unà cum impiis, quorum ut fœderibus innectitur, ita & facinoribus jungitur, Matrem ipsam suam oppugnasse diceretur, cujus se filium primogenitum esse gloriatur.

## CAPVT XIII.

*Vtrùm Religionis Catholicæ exstirpatio fiat à Rege Christianissimo* indirectè *tantùm.*

ET hactenus quidem de fœderum illorum fœditate ex eo capite disseruimus, quatenus divino

vino humanoque jure illicitum est, infidelibus suppetias ad illud bellum ferre, quod in Religionis præjudicium, & ad Ecclesię Christi fidem disciplinamque destruendam suscepêre. Nunc, quia usitata Politicis, & ad imperiorum incantationem excogitata cantilena est, statum à Religione, Rempublicam ab Ecclesia secernendam esse; suppetias istas ajunt non ferri erroribus hęreticorum, sed statui; non adversus Ecclesiam, sed Rempublicam. Quidquid ergo sacrilegii contra Religionem ab impiis committitur, quo Ecclesia Christi perit, hoc non Regi Christianissimo, temporalem scopum intuenti, sed Hollandis, Sueco, Protestantibus, Religionis osoribus, adscribendum esse: præter enim voluntatem Regis ea, & proinde indirectè tantùm, & per accidens contingere. Hoc ergo accuratiùs videamus, ne qua fortè sub isto distinctionis obscuro vel amplectenda veritas lateat, vel respuenda falsitas insidietur.

Fateor igitur, ista duo, statum temporalem, atque Ecclesiam, esse separanda. Hoc Christus ipse docuit, a quando *quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo* reddenda esse præscripsit. Fateamur etiam, inter directè & indirectè malum facere, magnam esse differentiam. Hoc enim *directè fieri* dicitur, quod voluntas, tamquam scopum intentionis, vel in se consideratum facit. Hoc *indirectè fit*, quod in alio tantùm, seu alteri rei conjunctum accidit, quam voluntas directè intuetur. Non dubitamus igitur, quin præter scopum voluntatis Christianissimi Regis Ecclesiarum ruina, & pessumdatæ Religionis labes ex fœderibus ejus consequatur. Nam eam destinatâ directâque voluntate appetere, hæreticorum est proprium: à qui-

a *Matth.22.*

bus utinam Christianissimus Rex tam actionibus, quàm scopo voluntatis discreparet. Præter directam igitur voluntatem ejus, adeoque indirectè, contingere perniciem illam Religionis, forsan admitti aliquo sensu potest. Quamquam & istud consideratione perquam dignum est, non omnia nos, quæ voluntas aversatur, indirectè tantùm operari. Nam & fures crebrò in effringendis foribus non alienum damnum appetunt, sed commodum suum, vel etiam proximi, si benigniori peccant mente, misericordiam; nec latrones mortem sed spolia viatoris, quem resistentem perimunt? nec venator jacturam colonorum, quorum segetes proterit canibus suis, sed feram, quam persequitur. Nec tamen isti directè rei sequentium damnorum esse desinunt. Est enim tam arcta inter malum quod fit, & bonum temporale quod intenditur, societas, ut utrumque etiam directè fieri causarique dicatur, quantumvis unum ab altero mentis præcisione, & voluntatis explicità intentione separetur. Ita quisquis ignem admovet segetibus, aut pulveribus, directè incendit messem, aut domum; quisquis venenum propinat innoxio, quisquis in eum canes immittit furiosos, directè interficit, etsi aliud quàm mortem ejus quærat, vel etiam per alium fortè impediri possit; quisquis aggeres objectos aquis rumpit, directè diluvium facit, damnique dati directè reus est, quidquid ipse tandem temporalis inde commodi aut voluptatis venetur aut speret. Perspicua est ista veritas, in qua Philosophia non minùs, quàm Theologia concinit. Quid si ergo etiam directè Rex Christianissimus perditionis Ecclesiæ, destructæque fidei Christianæ in Belgio,
Germa-

Germaniaque reus sit, quamvis illam impietatem perspicuâ directâque voluntate detestetur? Nam in illis circumstantiis, quibus hactenus Batavorum & Protestantium armis opitulatus est, conatusque secundavit, tam arcta est colligatio inter rem quam facit, & malum quod contra Religionem fit, ut auctor unius necessariò etiam auctor alterius esse videatur. Fallacia rerum tegmina, deceptoriasque facinorum dealbationes, quæso, rebus auferamus, ut nudo inspiciantur examine. Quid est quod Rex Christianissimus fecit, quando, exempli gratiâ, Sylvam-Ducis manibus Hispaniarum Regis extorsit? nempe murorum defensores occidit; mœnia dejecit; portas aperuit, omnia munimenta dissipavit, quibus se Antistes, Sacerdotes, Monachi, Virgines, Pastores plebis, ipse denique Christus Dominus in Augustissimo Sacramento præsens templa sua, imagines suas, sacrificium suum, Sacramenta sua, cultum suum, infirmorumque fidem in ista urbe, totaque diœcesi ejus, ab hæreticorum rabie ignominiisque tuebatur. Quibus sublatis, omnia eorum furori & petulantiæ, nemine amplius resistere valente, patuerunt. Templa continuò, spectantibus adhuc Francis, quorum sanguine occupata traditaque Calvinistis fuerant, partim in Principis Orangii stabulum, partim in armamentaria, aliosque profanos usus conversa; omnia, fractis aris, disjectis imaginibus Christi, sanctissimæque Virginis, veluti sphæristeria nudis parietibus relicta sunt: fugata statim in oculis Francorum omnia Religiosorum sodalitia, qui exules ac profugi toto Belgio vagabantur; Virginum claustra reserata, & ad sacrilegas nuptias sollicitatæ animæ

M. 6 despon-

propugnacula Religionis expugnavit, qui civitatem hoſtibus Religionis tradidit, qui hæreticorum furori munimenta Religionis patefecit. Directè enim & per ſe interficit innocentem, qui fores aperit, & armatum furentemque iracundiã inimicum in cõclave immittit, ubi jugulum inermis præbeat. Sic directè illi Chriſtianos Martyres occiderunt, qui venenum eis præbuerunt, qui urſis objecerunt, canibus lacerandos tradiderunt: ſic Danielem, qui in lacum leonum compulerunt: ſic viatorem, qui in latronum implacabilium prodiderunt manus, quamvis in iſtis omnibus exemplis, damnorum ac mortis executio alienis manibus vel actione peragatur. Quis ergo profanatæ Sylvæ-Ducenſis diœceſis, deſtructæque Eccleſiæ, & ſacrilegiorum omnium, perditarumque animarum per ſe, directeque vi actionum illarum, reus erit, niſi qui omne defenſionis ejus præſidium ac robur armis abſtulit, mœnia ſubvertit, portas vi aperuit, defenſores ejus occidit, & furioſorum impiorumque hæreticorum poteſtati ac voluntati Eccleſiam atque Religionem tradidit? Hoc eſt enim innocentem in lacum leonum mittere, vel in innocentem leones immittere, ut alieno ore laceretur.

Huc denique accedit, id quod iſti ſententiæ non parum roboris ac lucis affundit, quòd copiis ſubſidiariis colligendis ducendiſque, quas ad urbes provinciaſque Catholicorum Principum expugnandas Chriſtianiſſimus Rex ſuppeditat, eos paſſim ſupremo cum imperio præficiat, quos in Regno ſuo noverit ad Eccleſiæ atque Religionis perniciem anhelare, Duces Rohanenſem ac Bullionium, Mareſchallos de la Force & Chaſtillonium,

nium, hæreticos videlicet ſpirantes minarum ac cædis in diſcipulos Domini. Etenim iſti ſive ſuis, ſive militum ſuorum, quibus directè præſunt, manibus, tamquam ſatellitum ad exequendas inviſæ Religionis contumelias, haud ſecus fidei Romanæ depreſſionem, ſacrorumque Catholicorum ſtragem de induſtria connivendo animandoque moliuntur, atque ipſi hæretici confœderati, quibus pro Rege ſuo miniſterium præbent. Quid igitur aliud agit Chriſtianiſſimus Rex, dum tales tali animo concitatos, tali affectu, obſtinatione, odio adversùs veram Religionem flagrantes, quos ipſemet totuſque mundus tales eſſe novit, non ire permittit ſolùm, ſed etiam aſſumit ac mittit ad hujuſmodi expeditiones cum aliis ejuſdem erroris furoriſque ſociis exequendas; quid, inquam, aliud agit, quàm quòd directè canes furioſos in innocentes immittit? Dum enim hujuſmodi duces plerumque deligit, quibus etiam Tribunorum, Centurionum, cæterorumque minorum præfectorum creandorum poteſtas datur, quos etiam ſibi ſimiles plerumque creant; profectò ſatis perſpicuè convincitur, eum hæreticis placere velle cooperando per hujuſmodi belli præfectos, quos hæreſi atque hæreticorum ſcopo cooperaturos novit, non ad urbium tantùm, ſed etiam Religionis expugnationem; atque adeò ſceleris hujuſmodi perpetrationem directè eligere, ſi non ut finem ultimò concupitum (quod hæretici ſolent) certè ut medium quoddam, quo potentiùs hæretici ad Catholicorum Provincias occupandas incitentur & adjuventur, atque ad peſſumdandam Religionem animentur. Paris enim perfidiæ ſunt in Deum, paris odii in

Eccle-

Ecclesiam, paris acerbitatis in Dei fidem Ecclesiæque Sacramenta, tam Ordines confœderati & Protestantes, quibus fidem exstirpantibus, subsidium datur, quàm illud ipsum subsidium, quod moribus eorum congruentissimum seligitur, ac de proposito deliberato datur. Quid igitur vetat, quò minùs facinorum Rex Christianissimus etiam directè reus habeatur.

## CAPVT XXV.

*Etiam* indirecta *Catholicæ Religionis violatio reum facit. Fundamentum ex doctrina S. Thomæ, & communi Theologorum.*

SEd, ut jam suprà dixi, nolo de isto unico vocabulo *(directè)* contentiosum funem trahere. Ad animum Christianissimi Regis ab odio Religionis tuendum, aliquid indirecta voluntas facit; innocentiam verò, nihil. Verum est enim, quando directè spectat animus Religionis contumeliam, ut in hæreticis fieri amat, sacrilegium ab ipsâ hæreseos, vel deterioris impietatis labe proficisci. Non tamen propterea violatæ Religionis non est reus, quisquis aliâ ex causâ indirectè Ecclesiam atque Religionem lædit. Nam ea, quæ indirectè volumus atque facimus, bifariam dividuntur. Quædam *per se*, hoc est, plerumque aut perpetuò sequuntur actionem, quam directè facimus; quædam *per accidens*, hoc est, plerumque non sequuntur, seu ita rarò, ut meritò non vi actionis nostræ, sed fortunâ, aut casu, ex alterius videlicet actione, accidere videantur. Quando igitur ex factis nostris indirectè gravissima sequun-

sequuntur, vel semper, vel plerumque mala, actionem cæteroquin de se indifferentem, reddunt illicitam, perinde ac si directâ voluntate appeterentur; secùs verò, si per accidens, hoc est, rarò tantùm, & quasi casu aliquo consequantur. Mens ista unanimis Theologorum, inter quos D. Thomas chorum ducit. Sic enim ait in quæstionibus de malo a: *Aliquando accidens alicujus effectûs conjungitur ei, ut in paucioribus, & rarò: & tunc agens, dum intendit effectum per se, non oportet quòd aliquo modo intendat effectum per accidens. Aliquando verò hujusmodi accidens concomitatur effectum principaliter intentum semper, vel ut in pluribus: & tunc accidens non separatur ab intentione agentis. Si ergo bono, quod voluntas intendit, adjungitur aliquod malum, ut in paucioribus, potest excusari à peccato; sicut si aliquis incidens lignum in silvâ, per quam rarò transit homo, projiciens lignum interficiat hominem. Sed si semper, vel ut in pluribus adjungatur malum bono, quod per se intendit; non excusatur à peccato, licet illud malum non per se intendat.*

Cujus quidem doctrinæ ratio attentè ponderantibus perspicua est. Mala namque, quæ actionem, sive malam, sive indifferentem per se, seu plerumque consequi solēt, ad ipsam naturam ejus quodammodò videntur pertinere; ut in expendendâ actionis malitiâ bonitateque meritò eorum ratio haberi debeat. Quod non ita in iis, quæ per accidens raròque conjunguntur, locum habet. Judicium enim de rebus non secundùm accidentes ei fortuitò casus, sed secundùm ea quæ naturam ejus plerumque comitantur, pronuntiari debet. Hanc ipse S. Thomas doctrinæ suæ rationem diversis locis expressit, ubi eam etiam ad nocu-

a *q. 1. a. 3. ad 15.*

menta,

menta, quæ animus nec directè intendit, nec prævidit, extendit a. *Quandoque*, inquit, *nocumentum nec est prævisum, nec intentum; & tunc, si per accidens se habeat ad peccatum, non aggravat peccatum directè,* &c. *si verò nocumentum per se sequatur ex actu peccati, licet non sit intentum, nec prævisum, directè peccatum aggravat. Quia quæcumque per se consequuntur ad peccatum, pertinent quodam modo ad ipsam peccati speciem; putà, si aliquis publicè fornicetur, sequitur scandalum plurimorum, quod quamvis ipse non intendat, nec fortè prævideat, directè per hoc aggravatur peccatum.* Et alio in loco adhuc accuratiùs eamdem doctrinam deducit b. *Eventus sequens aut est præcogitatus, aut non. Si est præcogitatus, manifestum est, quòd addit ad bonitatem vel malitiam. Cùm enim aliquis cogitans, quòd ex opere suo multa mala possunt sequi, nec propter hoc dimittit, ex hoc apparet voluntas ejus esse magis inordinata. Si autem eventus sequens non sit præcogitatus, tunc distinguendum est: quia si per se sequitur ex tali actu, & ut in pluribus, secundùm hoc eventus sequens addit ad bonitatem vel malitiam actûs. Manifestum est enim, meliorem actum esse ex suo genere, ex quo possunt plura bona sequi; & pejorem, ex quo nata sunt plura mala sequi. Si verò per accidens, & ut in paucioribus, tunc eventus sequens non addit ad bonitatem vel malitiam actûs. Non enim datur judicium de re aliqua secundùm illud quod est per accidens, sed solùm secundùm illud quod est per se.* Nihil luculentius formandisque moribus securius tradi potest. Quam ob causam isti doctrinæ, uti diximus, communis Theologorum consensus suffragatur. Nonnulla solùm disceptatio est, Utrùm malitia eventuum plerumque consequentium in voluntatem actionemque

a *S. Thom.* 1. 2. q. 73. art. 8. b *Idem* 1. 2. q. 20. a. 5.

nemque indirectè tantùm, an etiam directè refundatur, quemadmodum S. Thomas quibusdam voluisse visus est. Sed ecce cedimus, & indirectè tantùm refundi, certioris veritatis fundandæ causâ, concedimus.

Quid ergo hîc respondebitur, ut violatæ nota Religionis abstergatur? An fortè non esse malum, quòd Ecclesia Romana vastatur? Hæc est hæreticorum communis & inveterata blasphemia. Catholici norunt, in malefactis nulla esse graviora, quàm quę adversùs ipsum Deum Religionemque perpetrantur; nulla nocumenta hominibus diriora, quàm quibus fidei veritas subtrahitur, cultus Dei, mysteriaque profanantur. Quid igitur? An causam esse justam Regi, ut stragi Religionis Christianæ civilem Galliæ suæ statum præferat? Hoc nescio, an quisquam Christianus dixerit, de quo tamen uberiùs paulò pòst. An fortè Christianissimum illa magna nocumenta non prævidisse, quæ ex fœderibus & suppetiis istis consecuta cernimus? Sed, ut hîc S. Thomas dixit, etiam nocumenta non prævisa perpetrantes maculant, si *per se sequuntur ex tali actu, & ut in pluribus: manifestum est enim, meliorem actum esse ex suo genere, ex quo possunt plura bona sequi; & pejorem, ex quo nata sunt plura mala sequi.* Sed quis hîc prævisionis defectum causari potest? Sexaginta annorum experientia satiatissimum documentum esse potuit, quid Catholica sacra in urbibus occupatis sub Batavorum potestate paterentur. Si vel unus in universâ eorum ditione supersit pagus aut vicus, in quo non sit abolitum publicum Catholicæ Religionis exercitium (loca postremò capta excipio) Christianissimos Reges innocentes esse concedam. Sin autem

tem omnia undique per universas Provincias fœderatas, contra pacta etiam expressa, non tantùm olim, sed etiam toto tempore, quo Rex Henricus IV. & successor ejus, usq; ad postremas urbium obsidiones, subsidia ex fœdere submiserunt, in Francorum oculis profanata sunt; quid nisi ludibrium est, istud innocentiæ Gallicanæ patrocinium?

Sed esto, ignoraverint, quæ toti mundo, ipsisque Francorum legionibus in Batavia Germaniaque militantibus nota sunt: non est idonea ignorantię excusatio, ubi ipsum ignorasse vitiosum est. Nam, ut optimè S. Thomas dicit, Ad ipsam quodammodo peccati speciem pertinent, quęcumque per se consequuntur actionem. Speciem autem actionis, hoc est, id ipsum quod agitur ignorare non licet, quia stertentis imprudentiæ est; nec in pręsenti casu ea ignorari potest. Est enim totâ Europâ vulgatissimum, Ordines confœderatos nullum exercitium Religionis in publicis templis suis pati, nisi quo hæresim profitentur. Ex quo fit, ut istas urbium expugnationes, quæ Regi Hispaniarum extorquentur, ut Hollandorum potestati pareant, suppetiasque Gallicanas, Catholicæ Religionis exterminatio, hæresisque propagatio, in istis circumstantiis non per accidens, aut casu, aut raro, sed per se, & necessariò, & semper consequatur. Perspicuum est igitur, indirectam illam Catholicæ Religionis profanationem, fideique interitum non minùs ad reatum Christianissimis Regibus imputandum, quàm si directâ voluntate Christi Ecclesiam cum hæreticis devastarent.

CA-

## CAPVT XV.

*Vberiùs disseritur, quâ voluntate Christianissimus Rex Catholicæ Religionis cladem velle censeatur, ex-* pressâ *an* interpretativâ.

SEd ut istius effugii futilitas clarescat magis, paulò pressiùs latebris ejus explorandis insistendum est: ut & illi, quibus principia moralis Philosophiæ atque Theologiæ minùs perspecta sunt, manibus quodammodo suis palpent veritatem.

Itaque sciendum est, non semper ita planè sumi directam atque indirectam rei cujuspiam voluntatem, quemadmodum nos jam jam usurpavimus: sed ita subinde, ut voluntas seu volitio directa sit eadem, quæ *expressa*; & indirecta, quæ *interpretativa*. Voluntas expressa verus, realis, atque, ut loquuntur Scholæ, φυσικὸς actus est, quo rem hanc istámve reverâ cõcupiscimus. Interpretativa non est actus appetendi reipsâ & φυσικῶς elicitus, sed hominum interpretatione, hoc est, æstimatione præsumptus. Quæ divisio voluntatis à diverso existendi modo videtur esse ducta, reali, ac purè morali. Homines enim ea subinde velle, & consequenter etiam facere censentur, quæ nullo vero volendi actu cupiunt, imò quæ expresso voluntatis actu nolunt: idque non temerariâ fingendi licentiâ vel ludibrio, sed ex legitimis rationibus, quas ex professo Theologia moralis veluti prima scientiæ istius rudimenta explicare & inculcare solet.

Quamobrem istud in eadem sciẽtia receptissimum est, hujusmodi indirectam seu interpretati-

vam

vam voluntatem perinde bonitatem ab objecto suo malitiamque contrahere, laude ac vituperio, premio supplicioque dignam esse, atque directam sive expressam, quotiescumq; voluntatis & actûs propositi circumstantiæ justam ex se causam talis interpretationis seu æstimationis præbent. Inter quas causas illa obvia, scriptisque celebrata est, si is, qui objectum aliquod expressè vult, prævideat, aut certè prævidere possit, ex eo secuturum aliquod malum, quod istis rerum circumstantiis cavere atque impedire teneatur. Tunc enim consequentis istius mali consideratio debet ipsum ab antecedentis boni voluntate revocare; usque adeò, ut, nisi sibi à volendo hujusmodi objecto in ista negotii περιστάσει temperaverit, hoc ipso malorum seriem consequentium indirectè seu interpretativè velle censeatur. Res exemplis fit perspicua. Feram venator sclopi glande petere meditatur: videt periculum esse, ne simul viator transiens ictu pereat. Si non obstante isto discrimine jaculatur, quãtumvis etiam expresso actu necem hominis istius nolit, molesteque ferat, eam perinde voluisse censebitur ac fecisse; patratique homicidii coram hominibus ac Deo reus erit, ac si expresso actu voluisset, ac fecisset. Navarchus, cui credita est cura gubernandæ navis, videt eam, si à se vitæ suæ tuendæ cupiditate deseratur, cum vectoribus tempestate perituram. Si deseruerit, amissæ navis & vitæ pereuntium reatui haud secùs obnoxius erit, ac si perniciem eorum de industriâ procreasset. Ita qui, animi gratiâ, furioso gladium præbet, qui rabidos immittit in viatorem transeuntem canes, mortem innocentium interpretativè perinde cupit ac facit, ut si suâ manu confe-

confecisset. Nam qui non impedit malum, quod impedire tenetur ac potest, illud ipsum facere censetur ac velle, ejusdemque efficitur pœnæ reus, quemadmodum si φυσικῶς, directè expresséque voluisset ac fecisset. Sic enim & ille, qui aliquid scire debet & potest, moraliter illud scire judicabitur, quantumvis reipsâ ignoraverit: atque in proposita interpretativæ volitionis quęstione paria sunt, prævidisse malum, & prævidere potuisse atque debuisse.

Secundùm hæc igitur volendi & faciendi discrimina, communissimo Philosophorum Theologorumque astipulantium calculo probata, non est difficile Politicorum Francorum exceptionem de excidio Religionis, à Christianissimo Rege solùm indirectè volito & commisso, discutere atque evertere. Quamvis itaque non dubitemus, quin præter, imò contra directam expressámve Regis voluntatem ruina Ecclesiæ pessumdatæque Religionis labes ex fœderibus ejus consequatur; simul tamen rerum circumstantiæ nos dubitare non sinunt, quin, juxta principium jam constitutum, belli fœdera cum hęreticis paciscendo, fœderum scopum victoriam hæreticis exoptando & procurando, denique victoriæ fructum hæreticorum jugum Catholicis imponendo, Religionis exstirpationem interpretativè velle & facere dicendus sit. Non enim ambiguum ei ullo pacto aut improvisum esse potest, secundùm ea, quæ superiùs *a* de ratione belli gerendi confœderatorum Ordinum, & constanti sexaginta annorum experientiâ disseruimus, quin pro genio hæresios, præsertim Calvinianæ, dira sint Catholicæ

a *Vide dicta c. 10. & 14. Vide & infrà latè c. 22. & seq.*

licæ Religioni ex talium principatu & dominatione patienda. Quod quamvis etiam ignorasset, nihil ei prodesset ad innocentiam. Ut enim tradit certa consentiensque moralium Philosophorum atque Theologorum sententia, rerum illarum ignorantia, quas possumus ac tenemur scire, actionem, cui causam dedit, haud secùs in culpam imputari facit, ac si eas reipsâ scivissemus. Nam quemadmodum voluntas est vice facti, cùm facere volentes non possumus quod tenemur: ita ignorantia est vice scientiæ, cùm scire possumus quod tenemur.

Nec verò fallatur Christianissimus Rex, vel ab excisæ Religionis labe tutam purgatámve putet esse conscientiam suam, ex domestica quadam religiosi affectûs experientia, quem etiam lachrymis ubertim fusis demonstrasse dicitur, quando aures ejus, auditâ Germanicarum Ecclesiarum calamitate, Religionisque cladibus, tinniebant. Nihil est enim aut mirum aut novum, contrarios affectus in eodem animo pariter sedem figere, atque ibi vel de victoria pertinaciter contēdere, vel, uno licet dominante, alterum stimulis perpetuis animum lancinare. *Duæ* quippe *voluntates*, quod suo experimento se didicisse Augustinus *b* tradit, *carnalis & spiritualis*, sæpè *confligunt inter se, atque discordando dissipant animam.* Doluit Herodes Baptistæ necem, quem etiam libenter audiebat, sed aliâ dominante voluntate necandum dedit. Novimus quosdam, ut idem alibi, gementes ac flentes peccata perpetrare, quæ, non obstante improbitatis horrore & nonnullo virtutis amore, aliâ vincēte cupiditate cōmittunt. Quis enim est ille Christianus, cui, quoad in ipso vivat scintilla

a *Aug. l. 8. Conf.*

fidei, & spes salutis reliqua sit, non sæpè gemitum, subinde & lachrymas exprimat statûs damnati conscientia, in quo remordente synteresi perseverat? Fallaces lachrymæ sunt, quas non commissi pœnitentia, sed perseverantia comitatur: nec illæ tam ad placandum Deum, quàm irritandum valent. Luculentum quippe perhibent testimonium, quàm pertinaciter in eâdem voluntate, sive expressâ, sive interpretativâ, persistat animus, quem neque Religionis excisæ miseratio, neque gemitus à Spiritu sancto inspirati, neque lachrymæ cælitus depluentes emollire, & ab injuriis Religionis revocare potuerunt.

Nec verò hîc mihi verendum est, ne injurias Religionis juxta moralis Theologiæ cardines appellando, injuriam ipse Christianissimo Regi faciam. Cùm enim ignorare non possit, ut jam antè declaravimus, quin Calvinistæ, quibus fœderatus consilia, pecunias, milites, arma sufficit, pro istius hæresis indole ac furore, victoriam adeptumque dominatum in Catholicę Religionis perniciem & excidium conversuri sint; atque hoc ipsum fœderis rescissione, pecuniarum subtractione, militum revocatione, pro officio Christiani hominis, & Christianissimi Regis, impedire possit atq; teneatur; hoc ipso profectò, quo hæreticæ factioni consilia sua inspirare, furentibus arma, auxiliares copias, bellique nervos suppeditare non desinit; victoriæ hæreticorum, & excisæ per ipsos Religionis, vera, moralis & interpretativa causa est; omniaque conjuncta sacrilegia non solum moraliter & interpretativè voluisse, sed ipse quasi manu suâ, divino humanoque judicio, designasse reputatur.

## CAPVT XVI.

*Solvitur Francorum adversùs doctrinam traditam objectio; & ostenditur, teneri Christianissimum Regem, etiam cum periculo politici statûs, fœdera cum hæreticis rescindere.*

AT verò adversùs istam de interpretativa destructæ Religionis voluntate doctrinam sic politici statûs patroni insurgere conabuntur. Distinguendum esse dicent inter eventus malos, qui naturali quadam colligatione seu consecutione nostram actionem consequuntur, & eos qui ex aliorum libera dumtaxat voluntate seu malitia sequi solent. Esto igitur, doctrina ista de indirecta vel interpretativa malorum eventuum voluntate in prioris generis effectibus vel semper, vel potiùs plerumque, locum habeat; nullo tamen modo generaliter ad illos casus extendi potest, in quibus eventus malus nullo naturali nostræ actionis influxu, sed ex sola libera voluntatis alienæ perversitate sequitur. Nam ex communi Theologorum sententia nemo tunc tenetur ab hujusmodi actione temperare, si justam aliquam habeat causam rationemque faciendi. Ex quo fit etiam, ut tunc neque expressè, neque interpretativè, mala consequentia velle, vel perpetrare, vel eorum reus esse censeatur. Quod infinitis exemplis, vel actis, vel saltem quorumdam Theologorum opinione probatis, declarari potest. Nam isto ex capite fluit, quòd, qui usuram à fœneratore pressus necessitate petit, peccati alieni, commissæque iniquitatis usurariæ non sit reus: ut mulier moderato cultu ex causa prodiens non sit moraliter impudicæ volun-

N tatis

tatis causa, quâ sese ab alio appetendam videt: ut Respublica non teneatur cædis innocentium, quos tyranno alioquin sibi exitium intentanti tradit, quamvis videat eos injustè ad necem esse rapiendos. Cujusmodi plura facilè occurrent cogitantibus. Jam igitur illa horrenda funestaque Catholicæ Religioni mala, quæ tamquam eventus quosdam ex fœderibus suppetiisque Gallicanis pullulantes recensuimus, non aliquâ naturali connexione consequuntur ex illo ipso quod Rex Christianissimus facit, sed ex sola malitia Batavorum ac Protestantium, præter intentionem ac scopum Regis. Non enim ipse spectat aliud, nisi ut fœderati sui, & ipsemet, statu quisque suo tranquillè, secureque potiatur: quidquid verò consequitur ex ipsis mali, hoc tantùm permittit, gemit ac dolet. Nec verò desunt justæ, inquient, fœderum suppetiarumque causæ, propter quas ab eis neque propter prævisum Religionis interitum abstinere teneatur. Nam rei cuique maximè naturale est, se statumque suum sive infimum, sive medium, sive summum adversùs omnes omnium intus extraque impugnantium incursus ac motus incolumem tueri. Quod eò arctiùs Principibus incumbit, quò pluribus præsunt, quorum temporalis pax & salus à Regni incolumitate ac tranquillitate dependet. Numquam verò poterit Regnum Galliæ satis esse tutum, vel securus Francorum Rex, nisi formidolosa illa Regis Hispaniarum & Austriacæ Domus potentia, quæ assiduè vicinorum terris & regnis inhiat, continuis bellis atteratur, debilitetur atque frangatur. Quo fit, ut justissima sit fœderum cum infidelibus atque hæreticis percussorum ratio, nec ab illis propter Re-

ligionis

ligionis clades, fidemque Catholicam alienâ perversitate proterendam, abstinere teneatur. Hic est speciosus ille fœderum subsidiorumque fucus, sub quo & falsitas rationum, & fœditas actionum, quibus Ecclesia perturbatur, latet: quem idcircò cum omni apparatu suo spectandum exhibui, ut totius quæstionis cardo cerneretur, & planiùs veritas elucesceret Nititur ergo, ut videtur, tota machina brevi istâ complexione: Nemo secundùm Theologorum sententiam tenetur ab actione per se licitâ, & consequenter à fœderibus ex se licitis, abstinere propter mala, quæ inde alienâ voluntate consequuntur, quando justam aliquam causam habet illa faciendi: atqui Rex Franciæ justam habet causam percutiendi fœdera cum infidelibus per se licita, ac dandi suppetias hæreticis; ut videlicet contra potentiam formidolosam Domus Austriacæ, & ejus animum assiduò Franciæ inhiantem, Regnum suum tueatur: ergo non tenetur ab illis abstinere propter mala, quæ inde alienâ libertate consequuntur. De utrâque antecedentis parte pauca dicturi, à posteriore inchoemus.

Timorem illum, quem funestis conatibus suis de Austriacæ Domus formidabili potentia, æmulatione, ambitione prætexunt, vanum esse, non uno evidens fieri potest modo. Inprimis enim, non est quòd Reges Galliæ eam reformident magis quàm cæteri Principes Catholici, imò hæretici, quorum longè inferior est potentia, quàm Regis Galliæ: qui tamen cum illa Domo, quando maximè formidanda videbatur, imperturbatam pacem securi coluêre. Etenim non minus Galliæ, quàm cætera Regna & Principatus, per

 fœdera

fundamento nititur confictâ Monarchiæ affectatione, cui vera justaque fœderum causa imponi sine temeritate non potest. Quantò veriùs solidiusque non stolidus quisque rerum æstimator dixerit, *Christianissimum Regem universis Europæ Principatibus inhiare, Monarchiam affectare, Carolinum Imperium ex omnium ruinis de novo meditari, & specie tuendæ propriæ libertatis, omnium Principum machinari seruitutem*? Quid enim aliud spirat illa postrema in Belgium expeditio, illa Lotharingiæ & Alsatiæ, nihil ad eum pertinentis, occupatio, illa Germanicarum vrbium invasio, illa Italicarum detentio, & quasi Italiæ subarrhatio, illæ decantatæ laudes Regis & Cardinalis de prolatis Imperii terminis, illud classicum contra universos Catholicos Principes, quod Arroyi insanæ, Censoribus probatæ, & Regi ipsi dedicatæ voces canunt? Sed quia benignior ille de Austriacâ Domo sensus, vel fiducia in Deum vivum, exasperatis perculsisque animis difficilè persuaderi potest, prioris & quasi majoris propositionis, quæ magis Theologici fori est, veritatem attentiùs trutinemus.

Primùm igitur dicimus, fœdera ista cum hæreticis Batauis & Protestantibus inita, non esse actiones per se licitas, sed naturæ diuinæque legis jure damnatas, ut jam in præcedentibus a fusè declaratum est. Sunt enim aperta rebellium adversùs legitimum Principem adjutoria, & adversùs Religionem, quam ipsi destinatâ voluntate poterunt, conspiratio, quamvis nihil extrinsecus accedere fingeretur mali. Quantumvis enim per se licitum sit, Regnum statumque suum armis ac fœ-

 deribus

a *De his dictum vide à c. 2. usque ad 12.*

deribus tueri, non tamen injustis, docendo rebellare; vel impiis, juvando sacra subvertere, quod jam antè satis egimus.

Sed statuamus Batavos ac Protestantes neque rebelles esse adversùs homines, neque ex professo in bellis istis arma ferre adversùs Deum: fingamus etiam, certioris doctrinæ collocandæ causâ, verum esse, quod non minùs falsis, quàm invidiosis vocibus crepant, temporali Francorum Regno Hispanum inhiare; adhuc falsitatis impietatisque plenum est id, quod assumitur in fœderum istorum patrocinium. Quod ut clariùs percipiatur, observandum est discrimen aliquod inter mala, quæ ex actionibus per se alioquin licitis, consequi solent. Quædam enim ex liberâ voluntate ejus malitiâque proficiscuntur, qui ipsemet illa patitur, adeoque sibimet ipse facit: quemadmodum, ut ab ante-dictis exemplis non recedamus, lubricus ex conspectu pulchræ mulieris, usurarius ex petente mutuum, suâ sibi voluntate malum seu peccatum parit. Sic & ille, qui virginis amore captus violentas sibi ipse inferret manus, quia sibi illa detrectaret nubere. Alia verò, quæ ex actione alioquin per se licitâ pullulant mala, inferuntur alteri cuipiam tertio nolenti, ita ut omninò invitus illa patiatur. Quod igitur attinet ad illa prioris generis mala, passim sufficere solet, quòd operans habeat aliquam justam actionis illius exercendæ causam, quatenus eam citra incommodum aliquod suum non possit prætermittere, ut istiusmodi malorum, quæ sibi alter suâ libertate consciscit, nullo modo interpretativè causa esse reputetur. Ita communiter in materiâ de scandalo Doctores tradunt. Non enim alter nisi à

seipso

seipso læditur: quamvis majoris caritatis nonnumquam foret illud ipsum incommodum devorare, ne proximus etiam à seipso liberâ suâ voluntate lædatur. Quod verò spectat ad illa posterioris ordinis mala, quæ cuipiam tertio ex actione nostra contra voluntatem ejus inferuntur, quæque proptereà invitus patitur; non sanè quæcumque justa illius alioquin exercendæ causa sufficit, ut operans ab injuriarum reatu, quas ille nolens patitur, liberetur; quando videlicet præscit, aut facilè præscire potest, actionem suam ad illas injurias inferendas, quamvis remotiùs & absque expressâ voluntate vel directâ intentione conferre. Sed ut aliquando talis excusetur, nec eas interpretativè voluisse aut fecisse, nulloque modo earum reus esse censeatur, casus & causa hujusmodi esse debet, ut alter sive tertius ille, jure ac merito potiùs illas injurias aut incommoda tolerare debere judicetur, quàm operans propter illas ab actione sua temperare, & ejus exercendæ jure privari. Hinc itaque contingit, ut in postremo exemplo superiùs adducto maneamus, quòd ex plurimorum Doctorum opinione possit Respublica sine reatu criminis, innocentem in manus tyranni, à quo iniquè novit occidendum, tradere, si ille, nisi eum sibi tradiderit, ferro flammâque depopulandam esse comminetur. Nempe quia innocenti isti meritò potiùs mors ipsa ex pietate in Rempublicam subeunda judicatur, quàm desiderandum, ut Respublica excidatur & pereat. Et è contrario, innocens captus ad evitanda tormenta non potest in manus hostium iniquorum Rempublicam certò perdendam tradere, ut ita semetipsum ab interitu imminente tueatur. Nemo quippe sanæ

N 4 sen-

sententiæ existimaverit, Reipublicæ potiùs eligendum esse, ut ipsa funditus excidatur, quàm ut innocens perimatur. Videat igitur Christianissimus Rex, & quotquot veri sunt in ipsa Francia Christiani, utrùm commoda vel incommoda, quæ pro fœderibus ac suppetiis hæreticorum ac rebellium purgandis afferuntur, talia tantaque sint, ut judicari possit, quòd jure ac meritò Catholica Ecclesia, & ipse sponsus ejus Christus universa illa sacrilegia, nefandasque suæ Religionis depopulationes, & fidei ipsius excidium, potiùs debeant pati, quàm quòd eorum intuitu Christianissimus Rex ab hujusmodi commodis sibi procurandis, & incommodis fictis aut veris vitandis, abstinere teneatur. Quid enim? An fortè politicum temporalemque Regni transitorii statum Religionis excidio, Ecclesiæque stragi, præponderare arbitrantur? Equidem scio, hunc esse immobilem quasi cardinem, in quo adultera temporis hujus politia quibusdam in locis vertitur: scio itidem, quòd, quemadmodum cum rerum admiratores transeuntium exosculantur, ita veritatis amatores velut Christianismi pestem, atheismi surculum, Regnique, quod in terris inferorum portæ moliuntur, fundamentalem legem exhorrescunt. Cujus quidem impietatem ita ex se perspicuam esse sentit animus veraciter Christianus, ut sine laborioso argumentorum apparatu, solâ sui propositione, terminorumque luce, oculos eorum feriat, percellatque horrore conscientiam. Quid enim illâ impietate impudentius, vel illa impudentiâ effrenius excogitari potest, quàm si servus & cliens domino suo, vicarius Regi suo, filius patri aut matri suæ, creatura creatori, ipsâ beneficio-

rum

rum & Regni vicariâ concessione, velut ejus jam legibus emancipatus, in faciem ingerat, non se teneri cum detrimento pereuntium facultatum suarum, quas illius solius nutu plurimis arctissimæ clientelæ vinculis obnoxias tantillùm possidet, Regni dominici incolumitatem curare, vel domini sui honorem ac dignitatem tueri, propter cujus solius obsequium & cultum facultates omnes, Regnumque ac vitam ipsam suam fiduciario jure suscepit? An fortè existimat Christianissimus, se in Regni sui administrandi tuendique curâ, nullâ ministerii lege, Christi Domini sui regno promovendo devinctum esse? non se magis spectare debere, ut Regum Regi Deo sua seruetur salva fides ac Religio, quàm ut sibi ipsi sua vicaria constet auctoritas? An dicere forsan ausus fuerit Deo: Honor tibi tuus, Christe, pereat, Religio tua, quâ inter homines in terra coleris, fidesque deleatur, dum Regni mei fit mihi salva dignitas? Nihil interest, an minuatur imperium tuum, dum crescat meum? Iustum est, vt Regnum meum regni tui accisione, oppressione, ruinisque muniatur? Hoc enim fœderum istorum atque suppetiarum voces altissimè clamant; quamvis in hujusmodi orationem aut sensus Christianissimi Regis animum prorumpere non posse sciam. Novit ipse, se cum cæteris ad Christi tribunal sistendum esse: se totius administrationis ac ministerii sui Deo, tamquam Domino, cui ista in omnibus famulari debent, rationem redditurum, non jam vestitum purpurâ, coronâq; redimitum, sed eâ, quam cum cæteris communem habet, originis lege nudum; in primisque conveniendum, Utrùm in omnibus actionibus privatis atque

N 5 publi-

publicis filius, vicarius, vaſallus, ac ſervus primam honoris patris, Regis ac domini ſui habuerit rationem? Utrùm Chriſtianæ Religionis aſſerendæ, tuendæ, propagandæ, quæ totius honoris divini fundamentum eſt, Regnorum omnium temporalium finis, totius machinæ cæleſtis terrenæq; ſcopus, præcipuâ curâ laboraverit? Utrùm domini ſui damna & lucra, ſive directè ſive indirectè, ſive expreſsè ſive interpretativè, non poſtpoſuerit ſuis? Quid enim intereſt Dei, ſive directè ſive indirectè, ſive expreſsè ſive interpretativè, à Regibus, rerum privatarum cupiditati ſervientibus, regno ſuo inter homines fundato ſpolietur? Ipſe perinde excidit imperio ſuo; Rex perinde utrovis modo peccat in officium ſuum. Nimis enim enormiter aberrant Reges, ſi privatum tantummodò ſecuriùs laxiuſque imperandi faſtum ad curam ſuam pertinere arbitrantur; Dominici interim regni, hoc eſt Eccleſiæ, incrementa ac decrementa ſuſque deque ferant.

## CAPVT XVII.

*Reges vaſalli ſunt incarnati Regis Chriſti. Quanta inde fidelitatis obligatio in Regibus Chriſtianis ergà regnum Domini ſui.*

NAm, ut ea vincula, quę paulò antè ſtrictim generatimque propoſuimus, paulò diſtinctiùs per capita diducamus, atque inde clariùs perſpicere poſſimus, utrùm Chriſtus Regum Dominus, & ipſius Eccleſia, Catholicæ Religionis profanationem, hæreſiumque dilatationem & imperium ſuper Catholicos ferre potiùs debeant, quàm Rex Francorum ab illis pactis fœderum ſuppetiiſque tem-

temperare, cogitãdum etiam atque etiam Regibus est; non ita se esse rerum dominos, quin Dominum se superiorem agnoscere & colere teneantur. Illius vasalli sunt, à quo coronam & sceptrum, vitamque ipsam, fiduciario seu feudatario jure receperunt. Quis verò nesciat, primam esse vasalli legem, magnitudinis suæ auctorem venerari, fidemq; & obsequium præstare patrono suo? cujus tam arcta est obligatio, ut ei periclitanti opem ferre, omniaque humanitatis officia exhibere, imò verò etiam adversùs fratres ac liberos suos pro salute ejus arma capere teneatur. Fides enim ac dignitas agitur; cui sempiterna inuritur labes à cliẽte patroni desertore. Nam inde nascitur, ut, si *a indecentibus machinationibus dominum offenderit*; si dignitatẽ ejus sugillaverit; si *b domini castrum oppugnaverit*; si *c periclitantem deseruerit*; si aliquem *d domino mortem, captivitatem, aut jacturam facere molientem, fraude celaverit*; si *e eum, cùm potuerit, non liberaverit*; si *f inimicis ejus suas amicitias copulaverit*; si in aliis *g sic versatus fuerit, ut potiùs inimicus, quàm fidelis esse credatur*, jure commissi feudo excidat: quòd si simul subditus fuerit, etiam læsæ Majestatis plerumque reus habeatur. Cùm igitur Reges à vasallis suis, homines ab hominibus, tantam fidem pro tuendâ Regni statusque sui dignitate postulent; quanta erit illa, quam sceptrorum suorum largitori Deo, ejusque regno tuendo, Reges ipsi adversùs perduelles Majestatis ejus præstare tenebuntur? Sed, ô humanæ cæcitatis miseriam! cùm mortalis mortali, lege hujusmodi fidelitatis, crimine obnoxius fuerit, indignum facinus,



a *lib. 2. de feud. consuet. tit. 57.* b *lib. 1. tit. 5.* c *lib. 2. tit. 2*[illegible]
d *ibidem.* e *ibidem.* f *lib. 2. tit. 57* g *ibidem.*

& feudi, statûs, vitæ jacturâ luendum, Principes vociferantur; & cùm ipsi in juratam Domini sui fidelitatem sexcenties tetriora perpetraverint, mirâ judicii perversitate se innocentes putant. Quàm enim bellè cum istâ arctissimâ fidelitatis lege concinit ista cum inimicis Domini sui fœderatio, ista armorum cum hostibus ejus sociatio, ista templorum, in quibus Dominus eorum residet, sacrorumque traditio, ista regni Domini sui dira depopulatio? pro cujus defensione ac gloria, proprium sceptrum & vitam, sicut acceperunt, ita ejusdem rursus fidelitatis jure offerre, impendere, abjicere & conculcare debuerunt. Et cùm armis ac militibus suis, hoc est, totis accepti à Deo feudi viribus, Domini sui regnum hostibus tradendo prodiderint, ac tacitè devastaverint, unâ frigidâ excusatiunculâ datam Domino fidem se liberasse putant, si se res suas temporales egisse, *indirectè* tantùm Domino suo nocuisse cavillentur. a *O filii hominum, usquequò gravi corde?* Ut quid capite plectitis eos, qui, cùm subditi & vasalli vestri sint, hostibus Regnum vestrum invadentibus fœderati opem ferunt, quamvis non perniciem vestram, sed proprii statûs incrementum se moliri securitatemque caussentur? Cur non hîc isti præclaræ excusationi *indirectæ* læsionis in vos directæ acquiescitis? Hîc oculati estis ad futilitatem ejus penetrandam: hîc justissimi ad impietatem ejus persequendam. Sed quæ illa justitia, à debitoribus cuncta poscere, creditoribus nihil reddere? b *Excolantes culicem, camelum autem glutientes.*

a *Psalm.* 4. b *Matth.* 23.

CA-

## CAPVT XVIII.

*Ecclesia Mater Christianorum, Sponsa Christi Regum Domini. Quantum vinculum inde in Reges.*

NAm si ceteros quoque humanæ civilisque conjunctionis titulos exploremus, ex quibus, propter sensuum nostrorum propinquitatem, familiarius faciliusque, ad capienda spiritualia, veritas hauriri potest; tam arcta esse nonnulla vincula competiemur, ut nec directè, nec indirectè, sine impietatis nota, violari queant. Hujusmodi sunt inter filium & matrem, inter filium & patrem, inter servum ac dominum: quibus quamvis plurimum inter homines, juxta divinas leges humanasque, debeatur; perexiguum hoc tamen est, & penè nihil, si cum iis, quæ Ecclesiæ ac Deo, tamquam matri, patri ac domino, homines, adeoque Reges debent, æquâ accuratâque lance trutinentur. Quis umquam filio satis ad innocentiam esse censeat, qui nihil matris suæ pulsationem, perniciem, interitum, ipso inspectante procuratum curet, dummodò non suo ipsius scelere directè interfecta esse dicatur? Quid si & arma suggerat, quibus petatur; lictores, à quibus vinciatur; lora, quibus cædatur; tela, quibus occidatur, hostium videlicet, quos in eam ferocientes videt, atrocitate, non suâ? an illum judicabis filiali fecisse pietati officioque satis? Quod umquam tribunal parricidio absolveret tantum scelus? Hoc enim ipso, quo mater est, non solùm non directè, sed nec obliquè, fas est eam interimere; imò interimentibus non objicere pectus & latus, est magnum nefas. Ex quo jam olim rectissimè ex intimo naturæ fundo quidam Pythago-

thagoricus a: Γονέων ἀμελεῖν οὔτε δαίμων, οὔτε ἄνθρωπος σύμβουλος ἄν ποτε γένοιτο τινι σύμμετρον ψυχᾶς κεκτημένος ἐπιστάμαν. *Parentes negligere, neque dæmon, neque hominum quisquam, qui vel mediocriter sapiat, umquam cuiquam consuluerit.* Quòd si parentibus carnis tanta pietas debita est, ut

b Γεννητόρων ἕνεκα καὶ θανεῖν καλόν,

*Genitorum gratiâ mori honestum sit;*

quâ fronte genitricem spiritûs in æternam vitam filius ejus primogenitus non tantùm negliget, afflictamque deferet; sed hostium ludibriis prostitutam ipse ad extremos agoniæ singultus adiget, ut eâ ab inimicis, exitum ejus anhelantibus, trucidatâ, se adhuc innocentem esse glorietur? Quasi verò pereuntis matris multum intersit, directè an indirectè, filio collaborante, pereat, dextrâ sinistrâve feriatur, fallaci arte, an aperto Marte præcipitetur in perniciem. Unum interest, quòd ista fucata æquitas duplex iniquitas sit, dum & veræ impietatis crimen adjuvat, & falsæ pietatis gloriam quærit, hostis induens atrocitatem, & filii simulans innocentiam. c *Nolite errare; Deus non irridetur.*

Non enim dumtaxat mater Ecclesia, sed etiam Christus ipse, sponsus ejus, Regumque Pater ac Dominus, injuriis istis lacessitur. Sponsæ injuria in sponsum redit: violatio ejus etiam indirecta, sine gemitu & fremitu sponsi esse non potest. *Si quis honestis*, inquit sanctâ libertate Petrus Damiani d, *ac pudicissimis thalamis tuis inferre moliretur injuriam, quis necessarius tuus, quis domesticus, auderet illi familiaritate conjungi? Quis illarum præsumeret in amicitiæ fœdere copulari? Si ergo homo cum adversa-*

a *Pempelus Pythag. ex Platone lib. 11. de Legibus.* b *Cleanthus.* c *Galat. 6.* d *Petrus Damiani libr. 7. epist. 10. ad Gothifrid. Ducem.*

*versario domini sui concordiæ fœdus inire non audet, quo pacto sublimitas tua illi communicare non timuit, qui sponsam Christi, sanctam scilicet Ecclesiam, quasi per obscœni lenocinii stuprum violare præsumpsit? Dei quippe hostis esse convincitur, qui ejus inimico in amicitia sociatur.* Jam verò scalas erigere, sponsæ fenestras frangere, fores ejus irrumpere, gladio perimere defēsores ejus, quis vel insanus dixerit esse innocētię, quamvis ab alio honestari ejus injuria inferatur?

## CAPVT XIX.

*Reges vicarii sunt Christi Regis omnium. Quis sit ordo naturalis inter regna & Ecclesiam, & utrorumque defensionem.*

QVid, quòd hæc eadem injuria est devastatio hereditatis & regni Dei, quod a *acquisivit sanguine suo*, quod ei in præmium acerbæ passionis à Patre retributum est? b *Postula*, inquit, *à me, & dabo tibi Gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Et rursum Isaias c: *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum.* Cujus quidem regni sui gloriam & auctoritatem, præ omnium terrenorum regnorum fastu, tantâ complectitur teneritudine dilectionis, ut per Prophetam dixerit: d *Gens & regnum, quod non servierit tibi, peribit, & gentes solitudine vastabuntur.* Non ait, Quod te afflixerit, conculcaverit, everterit, sed, *quod non servierit tibi, peribit.*

Nam ex quo Filius Dei incarnatus, e *& ab eo constitutus est Rex super montem sanctum ejus*, hoc est, super Ecclesiam; ipsi soli omnis Regnorum Regumque

a *Act.* 20. b *Psal.* 2. c *Isaia* 53. d *Isaia* 60. e *Psal.* 2.

gumque gloria servire debet, utpote quos ipse minimarum rerum, hoc est, temporalium, & instar fumi transeuntium, administros in imperio suo statuit. *Reges eorum*, inquit *a*, *ministrabunt tibi*. & iterum: *Erunt Reges nutritii tui, & Reginæ nutrices tuæ: vultu in terram demisso adorabunt te, & pulverem pedum tuorum lingent*. Et omnium apertissimè Daniel *b*: *Vt regnum & potestas, & magnitudo regni, quæ est subter omne cœlum, detur populo sanctorum Altissimi: cujus regnum, regnum sempiternum est, & omnes Reges servient ei*. Hinc fit, ut humanus iste Principatus, qui propter caducam hujus vitæ rationem ad brevo tempus durat; nisi regno summi istius Imperatoris amplificando serviat, ex Magni Constantini judicio *c*, *οὐ μακρῷ κρείττων τῆς αἰπόλων ἢ ποιμένων ἀρχῆς, ἢ βουκόλων, μᾶλλον δὲ ἐργωδεστέρα*: *Caprariorum, pastorum, ac bubulcorum imperio non multò præstantior, sed molestior sit*. Æternus enim solum æternitatis suæ principatum regnumque diligit; in cujus gloriam & amplificationem torquet ipse, & ab omnibus temporalium suorum Principatuum Præfectis retorqueri cupit ac jubet, quidquid per temporum lapsus fluit. Quidquid igitur amplitudinis, firmitatis, gloriæ, fastusque transitorii, mordaces illæ hominum curæ, quas Regna vocant, amatoribus rerum frivolarum polliceri videantur, illi regno comparatum, cuius solius gloriam Christus diligit, spectat & quærit, velut crepundia sunt apud Deum: cui nisi ultrò seruiant, & sive directè, sive indirectè, collata cedant, *d* *quasi in favillam æstivæ areæ, quæ vento rapitur*, conterenda sunt.

Hic

a *Isaia* 49. b *Dan*. 7. c *Apud Euseb. orat. de laud. Constantini*. d *Daniel*. 2.

Hic igitur ordo rerum naturalis eſt, ut corporalia corpori fovendo tuendoque ſerviant, & corpus animæ; hoc eſt, ut ipſa corporis ſalus ad ordinatam appetitionum requiem referatur. Sed quia homini non quælibet, ſed anima rationalis ineſt, totum hoc, quod habet commune cum beſtiis, ſubdi debet paci ſalutique animæ rationalis, quò mente aliquid utile contempletur, & ſecundùm hoc aliquid agat; vt ſit ei ordinata cogitationis actioniſque conſenſio. *Ad hoc* enim, inquit Auguſtinus *a*, *velle debet nec dolore moleſtari, nec deſideriis perturbari, nec morte diſſolvi, ut aliquid utile cognoſcat, & ſecundùm eam cognitionem vitam moreſque componat.* Hic igitur, ut dixi, in uno homine ordò naturalis eſt: qui ſi in humana vita perturbetur, ut vel externis corporis alimentis ac ſubſidiis inordinatè utatur, plus minúſve uſurpando, quàm ſaluti corporis expedierit; vel internis inferioris partis motibus, præter animæ rationalis leges ac præſcripta, rapte ur; morbos in corpore, vitamque flagitioſam & facinoroſam in animâ fieri, neceſſe eſt. Quibus duobus malis, tota corporis & animæ harmonia corrumpitur. Ad eumdem modum de duabus illis communitatibus, terrena atque cæleſti, Republica & Eccleſia, regno, inquam, temporali hominum, ac regno Dei vivi, quæ ſibi in hoc mundo invicem conſerta vivunt, veritas accuratiùs conſulta ſtatuendum eſſe præſcribit. Nam uti tempus æternitatem, & omnis motuum volubilium agitatio quietem, velut finem ſuum, reſpicit: ita terrena Communitas, & omnis ejus Præfectura, ad cæleſtem, temporalis ad perpetuam, Regnum hominum ad Regnum Dei, hoc eſt, Reſpublica ad Eccleſiam, inter Chriſtianos referri debet,

a *lib. 19. de Civit. c. 14.*

debet. Nam quemadmodum in brutis summa vitæ lex est salus corporis, & carnalium, uti diximus, appetitionum quies; quæ tamen duo in homine altiori lege, hoc est, quatenus animæ rationalis paci & integritati cōvenit, moderanda sunt; usque adeò, ut & corporis vulnera, & animi dolores, & utriusque dissolutio, seu mors, pro conservanda rationalis animæ integritate subeunda sint: ita in Regnis infidelium, quæ nihil de sublimiori regno Dei inter homines fundato perceperunt, suprema lex est tēporalis Reipublicæ pax & salus. Sed inter Christianos, Reipublicæ & Ecclesiæ, hoc est, regni simul humani diviniique consortes, salus illa temporalis Reipublicæ tota juxta divinioris regni pacisq; leges, quam ordine naturali respicit, dispensanda, hoc est, procuranda & conservanda est. Nam, ut profundissimus ille Doctor præclarissimè a, *Omnis usus rerum temporalium refertur ad fructum terrenæ pacis in civitate terrena*, hoc est, in regno temporali: *in cœlesti autem civitate*, hoc est Ecclesia, ubi terrenæ civitati mixta est, *ad fructum pacis æternæ*.

Ex quo efficitur, ut, si temporalis Reipublicæ salus & securitas, Ecclesiæ strage procuretur, haud secùs peccetur in ordinem naturalem, quem juxta August. b *lex æterna conservari jubet, perturbari vetat*, ac si corpus animæ, tēpus æternitati, humani principatûs fastus divinæ gloriæ, homo Deo præferatur. Itaque paucis verbis rem totam complexus sanctissimus Doctor, c *Pertinet hoc*, inquit, *ad Reges sæculi Christianos, ut temporibus suis pacatam velint matrem suam Ecclesiam, unde spiritualiter nati sunt*. Hæc enim pax Ecclesiæ est pax regni illius, quod in terris.

a *Aug. lib. 19. de Civit. cap. 14.*
b *l. 22. cont. Faustum c. 27.* c *tract. 11. in Ioan.*

ris fundavit incarnatus Deus, cujus ipse solus Rex est: cujus illi, quos Reges in terra nũcupamus, non nisi vicarii sunt, & in rebus abjectioribus vicem gerunt, eâ videlicet regnandi, vel potiùs providendi lege constituti, non ut ipsi securi floreant, lateque dominentur; sed ne Respublica Domini sui à perduellibus Majestatis ejus oppugnata detrimentum capiat; ne fides, quâ ipse à subditis agnoscitur; ne religio, quâ ipse colitur, & in animis hominũ velut propriâ regni sui sede dominatur, gliscentibus impiorum sacrilegiis pereat. Quam enim dementiam in rebus humanis esse censeremus, si Gubernatores provinciarum, à Regibus terrenis constituti, privatæ contentionis, suæque vicariæ Præfecturæ studio, Regis ipsius exilium, Regnique perniciem, non solùm à rebellibus illatam, æquis oculis spectare, & permittere, sed etiam armis, ærario, exercitibus Regis sui, indirectè tamen, procurare se posse contenderent, ne quid fortè decederet commodis suis? Quis non hujusmodi non Regis nomine Præfectos, sed proprio nomine Reges, Regis sui proditores, Regni ejus invasores appellaret? Non enim ampliùs Præfecturam sibi cõmissam, ut alienam, sed tamquam suam gerunt; privatum fastum publicis Regni & Regis emolumentis præferunt: qui res administrandas non domini sui gloriâ & utilitate, sed cupiditatum suarum fructu metiuntur, *privati commodi vel odii pertinaciâ in publicum exitium stimulante* a. Nam latiùs, quàm in rebus tantùm humanis patet id, quod jam olim dictum est: *Privata res semper offecere, officientq́ publicis consiliis* b. Pessimum enim veræ fidelitatis affectusque venenum est propria utilitas.

CA-

a *Tacit. lib. 1. Hist.* b *Livius lib. 22.*

## CAPUT XX.

*Regibus pietas maximè necessaria, ex quâ solâ discunt officium suum.*

QUamobrem ut provinciarum Gubernatoribus fidelitas erga Reges suos, ita Regibus ipsis pietas erga Deum quam maximè necessaria est. Hâc enim solâ & ipsi fideles erunt Regi suo, cujus in terris ipsi quoque vicarias Præfecturas agunt. Hæc eos docet in omni rerum terrarum procuratione oculos in cœlum defixos gerere; ut non ex suæ, sed illius aulæ gloria, & regni ejus in terris amplitudine, leges belli & pacis petant. Nimiæ quippe fatuitatis est arbitrari, quòd, cùm cælestis illius Imperatoris regnum toto orbe diffusum sit, cujus particulas Ferdinando, Philippo, Ludovico nomine suo gubernandas tradidit; ex vini & olei, ovium & boum, de quibus non est cura Deo, hoc est, ex infimarum rerum procurandarum regulis, vel ex privatæ ambitionis lege, ut ipsi securo diffusoque potiantur Imperio, Præfecturas suas moderari debeant. Ipse ut sceptrorum auctor est, ita regnum ejus, quo in cordibus hominum fide atque Religione dominatur, una sceptrorum lex, unicus eis scopus præstituitur. *Debet Imperator*, inquit Imperatori Leoni Leo *a*, *incunctanter advertere, Regiam potestatem tibi, non solùm ad mundi regimen, sed maximè ad Ecclesiæ præsidium esse collatam.* Veram causam dedimus, & ante nos Ambrosius dedit *b*: *Cùm enim omnes homines, qui sub ditione Romana sunt, vobis militent, Imperatoribus terrarum, atque Principibus, tum ipsi omnipotenti Deo, & sacræ fidei militatis.* Quis autem

tem

a *Leo Leoni Imperat. epist. 75.* b. *Amb. epist. ad Valentin.*

tem ignorat, primum esse militiæ sacramentum, salutem, commoda, dignitatem ejus tueri, cui militamus? Prisci Pagani naturâ duce veritatem istam viderunt, suisque monumentis indiderunt. *Non dubitaverunt*, inquit Valerius *a*, *sacris imperia servire*. Et adhuc: *Omnia namque post Religionem ponenda semper nostra civitas duxit, etiam in quibus summæ majestatis conspici decus voluit.*

a *Valer. lib.* I. *cap.* I.

## CAPVT XXI.

*Regnorum Ortus, Occasus, Incrementa, Decrementa à remunerante vel puniente Deo.*

QVisquis igitur terrenorum Regum sceptri sui perpetuitatem affectat, non eam ex Machiavelli regulis adepturus est. Commodi compendia intentè ille sequitur, quibus insistens à Regiâ identidem aberrat viâ, discipulosque suos in certum præcipitium ducit. Una pietas est, quæ latum & stabile imperium facit. Auctor enim sceptrorum in illorum manibus ea collocare firmareque amat, qui gloriam regni ipsius magis, quàm suam privatam quærant. Audite veracem, quamvis ab Ethnico, ô Reges Christiani, vocem, eoque attentiùs, quia ab Ethnico *b*: *Imperia ita se rerum humanarum futura regimen existimarunt, si divinæ potentiæ bene atque constanter fuissent famulata.* Quam ob causam nullum verius salubriusque Regibus, imperii sui stabilitatem ambientibus, adversùs omnes intestinas dissensiones, externasque æmulationes, cõsilium dari potest, quàm id, quod imperaturis Synesius dedit c: Εὐσέβεια δὲ πρώτων ὑποβε-

b *Valer. ibidem*, c *Synes. orat. de Regno.*

*ὑποβεβλῆσθαι κρηπὶς ἀσφαλὴς, ἐφ' ἧς ἑστήξει τὸ ἄγαλμα ἔμπεδον τῆς βασιλείας. Pietas primùm substernatur fulcrum & crepido, cui firmiter insistat simulacrum hoc regni.* Et quod Theodosio Imperatori S. Leo a: *Tunc est optimus regni vestri status, quando sempiterna & incommutabili Trinitati unius Dei confessione servitur.* Hoc sexcentis experimentis inter Christianos probavit olim, & etiamnum probat, Deus. Sed quis sapiens, & intelliget hæc? Cùm Regnum Reges non accipiant nisi à Deo, qui quemdam se impotentiùs efferentem in brutorum sortem usque depressit b, *donec sciret, quòd dominetur Excelsus super regnum hominum, & cuicumque voluerit, det illud*: stabilitatem tamen ejus humanis artibus ac fallaciis plerumque moliri volunt. Hinc illa in vicinos crescentes æmulatio; hinc illa cum rebellibus, hæreticis, barbaris, Turcis, & quidquid usquam pestium grassatur in Christianos, fœderatio. Nimirùm ut humanâ astutiâ divinæ providentiæ frenum injiciant, & rapiditatem cursus ejus quoquomodo sistant per fas & nefas. Non cogitant illi, quemadmodum Regnorum suorum inferiores Præfecturas à sua ipsorum voluntate, ita in vasta totius universi monarchia, Regna sua ab illa superni Imperatoris aula proficisci. c *Ipse mutat tempora & ætates, transfert regna, atque constituit.* Ipse Regnorum terminos extendit, & contrahit; ipse impotenti Regum ambitioni limites figit. Ipse est, qui d *dicit Regi, Apostata, & vocat duces impios.* Ipse, cùm impietas impleverit mensuram suam, e *baltheum Regum dissolvit, & præcingit fune renes eorum. Ducit Sacerdotes inglorios, & Optimates supplantat.* Cùm igitur ille vigil oculus indefatigabili curâ semper in facta moresf-

a *Leo epist.* 7. b *Dan.* 4. c *Dan.* 2. d *Iob.* 34. e *Iob.* 12.

moresque Regum intentus sit, ut æquâ lance cuncta dispenset; quis erit, qui vetet, quo minùs ille, qui *contemptionem effundit super Principes a* impietati famulantes, vice versâ benedictione temporali, Regnique latitudine remuneret pietatem? Quid enim justius, quàm ut solium illud roboret, eiusque ab Oriente in Occidentem diffundat Imperium, cujus omnes vires in auctoris gloriam convertuntur? Hæc est genuina firmandi propagandique temporalis Regni ratio: quam quisquis constanter teneat, frementibus hominibus, Deum inveniet defensorem; quisquis abjiciat, etiam faventibus, eversorem. Hinc eleganter & piè Nazianzenus:

> Θεοῦ διδόντος, μηδὲν ἰσχύει φθόνος.
> Καὶ μὴ διδόντος, μηδὲν ἰσχύει πόνος.
> *Deo favente, nihil nocet invidia:*
> *Et non favente, nihil prodest labor.*

Quod si uspiam, certè in Imperiorum successibus, præcipuè locum habet. Non enim humana vis est, ut vulgò putant, sed excelsus ille Regnorum dominator, qui quod olim Cyro, expresso ejus nomine ducentis annis antequam nasceretur, propter populi sui liberationem se facturum pollicebatur: *b Subjiciam ante faciem ejus gentes, & dorsa Regum vertam, & aperiam coram eo januas, & portæ non claudentur. Ego ante te ibo, & gloriosos terræ humiliabo. Portas æreas conteram, & vectes ferreos confringam. Et dabo tibi thesauros absconditos, & arcana secretorum, ut scias quia ego Dominus*; hoc ipsum & nunc, ad exequenda consiliorum suorum decreta, erga Reges propagationis divini imperii magis, quàm sui studiosos, operatur. Vanissimum est

a *Psal.* 106. b *Isaia* 45.

est enim, tam magna subitaque dominationis incrementa in orbe vetere & novo, vel Cæsaris tam insolitas contritis omnibus victorias, in tanta rerum omnium desperatione, hæreticorum Principum conjuratione, Catholicorum collusione, humanis consiliis attribuere. Ipse quemadmodum indirectas illas regni sui depopulationes justo judicio persequitur, ita syncera regni sui studia etiam in hoc mundo libratissimâ æquitate & profusissimâ libertate compensat. Hinc Regni magno amplitudo Imperii, hinc thesauri absconditi, hinc arcana secretorum: hinc subjectæ ante faciem Cæsaris gẽtes, hinc dorsa Regum versa, hinc portæ æreę contritæ, vectes ferrei confracti: hinc gloriosi terræ, Turrius, Anspach, Jagrendorf, Halberstat, Mãsfelt, Gabor, Danus, Suecus, humiliari. *Durum est contra stimulum calcitrare* a. Vanum est tortuosâ versutiâ divinis consiliis velle resistere. Ut enim Reges, ad arcendas cavendasque potentiorum injurias, de sua securitate satagant, æquum est, non reprehendimus: sed

*Est modus in rebus, sunt certi denique fines.*

Justitia erga homines, fides & Religio erga Deum, pietas erga Ecclesiam salva sit; quis quemquam se suaque tueri vetet? At verò, ut hoc obtentu Reges omnium rebellium iniquitates adversùs vicinos foveant, Turcam suscitent, barbaros excitent, hæreticis Ecclesiæ septa & sacra depopulantibus, fœderibus, consiliis, armis opitulentur, semper insidias paci struant, numquam per divinas humanasque leges licuit, numquam licebit. Detestanda enim Christianis est illa Cæsaris *b* sententia, quam ex Euripide Græcam semper in ore habuit:

*a* Ε῎ιπερ

a *Act. 9.* b *Sueton. in Cæsar.*

*a* Εἴπερ γὰρ ἀδικεῖν χρὴ, τυραννίδος πέρι
Κάλλιστον ἀδικεῖν· τ' ἄλλα δ' ἐυσεβεῖν χρεών.

Hanc Tullius *b* ita reddidit:

*Nam si violandum est jus, regnandi gratiâ*
*Violandum est: aliis rebus pietatem colas.*

Quo sanè efficitur, ut non aliud magis hujusmodi conatibus laborare videantur, quàm ut fatum, quod vitare volunt, acceleret. Nempe ut gladius, quem quasi capitibus suis imminentem vano timore fugitant, succiso per iniquitatem providentiæ divinæ filo, quod eum detinebat, ultrò in caput ipsorum ruat. Quidquid enim, Deo placato, umquam vel æmuli cogitassent, hoc, Deo irato, vel à domesticis inferri solet. Stabile est enim illud Sapientis effatum, quod eventu suo frustrari nequit: *c Regnum à gente in gentem transfertur, propter injustitias, & injurias, & contumelias, & diversos dolos.* Ita mirabiles, & carnalibus oculis abstrusæ sũt semitæ vindicantis Dei, ut hoc ipso homines perire soleant, quo perdere volunt; eoque defensionis genere perniciem sibi struant, quo cavent.

a *Eurip. in Phœnis.* b *Tull. lib. 3. Offic.* c *Ecclesiast. 10.*

## CAPVT XXII.

*Declarantur hactenus dicta de fœderum istorum suppetiarumquè iniquitate, exemplo Hugonottarum, & Rupellensium.*

ET hactenus quidem fœdera Gallicana, suppetiasque rebellibus atque hæreticis datas, perspicuâ, ut videtur, ratione convellimus. Quòd si manifestæ veritati infirmus humanæ consuetudinis sensus non auderet obsistere, nihil esset uberiori dissertatione, ad convincendam cujuslibet

O refra-

refragantis opinionem, opus. Nunc verò quia tetrior esse solet morbus animorum, quo motus & facta sua etiam post rationem plenè redditam, quanta homini ab homine debetur, sive nimiâ philautiæ cæcitate, quâ nec aperta cernuntur, sive obstinatâ pervicaciâ, tamquam ipsam rationem veritatemque defendunt; fit necessitas plerumque copiosiùs atque sensibiliùs explicandi res perspicuas, vel ut eas non spectantibus intuendas, sed quodammodò tangendas palpantibus & conniventibus offeramus. Ecce, Francia, non exiguum tibi Deus beneficium ad totius causæ istius compendium, & ad correctionis adjutorium contulit. Intuere, obsecro, vermem Liliorum tuorum, labem florentis Regni, pestem avitæ fidei Hugonottas, in iisque Rupellenses tuos. Fœderibus armisque juvandos adversùs Regem tuum arbitraris, nec ne? Detestandum scelus, Deo & hominibus invisum, scio, tota conclamabis. Rebelles, inquies, sunt, hæretici sunt, humanæ divinæque Majestatis rei, civili & Ecclesiasticâ potestate suffocandi. O quàm perspicua & plana veritas est, quando Francis favet! Quanto cothurno in perduellium istorum fœderatos detonaret, si ore Gallicano prometeretur! Sed jam vide, quæso, quod manticæ in tergo est. Si scelus est, perduellibus conjungi tuis, qui fit, ut alienis te fœderari Batavis & Protestantibus, facinus præclarum haberi velis? At enim rebelles Regi suo sunt Hugonottæ, & Rupellenses. at rebelles etiam Principi suo Batavi: abavis & proavis, majoribus ejus, sine controversia paruêre, legitimum successorem esse numquam negavêre, jugum excussêre. At enim propter novatam fidem Hugonottæ tumul-

multuati sunt, propter novatam itidem fidem Batavi. At auxilia externa in Regnum Hugonottæ advocarunt, cœtus invito Rege celebrarunt, oppida expugnarunt. quid ista, si Batavorum facinoribus componantur? At hæretici sunt Hugonottæ, fidem violarunt, Ecclesias incenderunt, sacra depopulati sunt. nónne typus omnis insolentiæ & pervicaciæ Batavi sunt, ab Hugonottis propinatæ? Quid cum tantillo colore obtendere potes, ut id, quod rectissimè in aliis damnas, licentiosissimè tibi permissum putes? An ideo tibi magis forsan damnandi perduelles tui videantur, quia nondum Rempublicam, quam in hisce Germanicis motibus spe pleni parturiebant, cum Batavis pepérêre; nondum prosperitate audaciam inflammāte, legatos ad aulas Principum diffudere; nondum à reliquo Galliæ corpore se disrupere? Ingratam te exhibes divinis beneficiis, si negatum sceleris meditati successum in majorem criminis Hugonottici invidiam voces? ut eò Hollandos putes Hugonottis tuis esse justiores, quò magis in rebellionis perfidiâ profecerunt. Tantò enim rebellio damnabilior, quantò pertinacior, & plurium in idem scelus conspirantium societate robustior. Ex quo efficitur, ut, quò Hugonottæ & Rupellenses Batavis inferiores viribus, fœderibus, paucitate, apparatu, eò superiores innocētiâ. Recordare, quanto stomacho per Scriptorū tuorum calamum facinus Ruppellēsium detestata es, quādo toto capite annuebas plaudebasque intonantibus: Indicto Rupellæ contra mandatum Regis ,, conventu, Deus tuam fidem! ausa est hominum ,, profligatorum colluvies, auctoritatē summam,, Principi abrogare, sibi arrogare, Regnū in Pro-,,

vincias describere, Provinciis Senatum, duces „ milites præficere, jussionibus publicis argentum „ sociis imperare, tributa, vectigalia, portoria Re- „ gni invadere, de Regni subditis prædas agere, „ Catholicos urbibus ejicere. Istud ergo facinus „ Rupellensium, tanto clamore dignum, Regis armis interceptum est; Batavorum ad maturitatem pervenit. Hîc oculatissimè cernis, quàm sceleratum Rupellensibus fuerit, cum pietate modestiam exuere voluisse, profiteri paratum sibi Regnum, non se Regno debere, fidei socios ad perfidiæ crimen impellere, Principes extraneos nefariis pactis ad eversionem Imperii instigare. Sed si abortivi illi Rupellensium conatus omnium Christianorum execratione digni sunt, cur Batavicis Rempublicam in hæresi & rebellione fundantibus faves? Quid enim referam illa cætera inusitata scelera, historiisque celebrata, Batavorum? Quid Turcarum adversùs Principem suum sollicitationes, imploratasque suppetias? Quid calumnias adversùs dominum suum ex inferis evocatas? Quid perfidiam adversùs Deum in Indias Orientis usque seminatam? Quid horrenda, Francis etiam Anglisque experta, terrâ marique latrocinia? Hæc est, ô Gallia, Batavorum præ tuis Rupellensibus innocentia, cui fœderibus tuis faves, quam patrocinio adversùs Regem ac Deum juvas.

Nam illa tua de Provinciis liberis verba lęta & somnolenta, jam antè excussa sunt. Baculus sunt arundineus, super quem si incubuerit homo, comminutus ingredietur manum ejus, & perforabit eam. Nam illa ipsa Induciarum pactio est gravissima rebellionis & hęresis perdurantis cōdemnatio. Sed hoc novitium tuum, cùm omni careres

tergi-

tergiversationis umbrâ, commentum est. Eâdem quippe strenuitate rebellibus & hæreticis istis ante omnes Inducias pactas opitulata es. Quid tunc, vel in speciem, obtendere potuisti, quod non te Anglorum auxilia Rupellæ data detestantem simul jugulet?

Protestantes verò Germaniæ adversum Cæsarem suppetiis à te sublevatos quo colore defēdes? Scriptorum tuorum ore Regis tui facinora celebrata sunt, quòd, occupatis urbibus, suppressisque factiosis, prædia in Bearniâ Catholicis, sacra & dignitates Antistitibus restituerit, quibus jam ab annis quinquaginta exuti fuerant. Sed non aliud quidquam in Germania Cæsar, juxta prisca Edicta Imperialia, nuper facere instituerat; nec aliud quidquam Gallicanis fœderibus interceptum, & armis impeditum est, quàm quod in Rege tuo tot encomiis celebrasti. Aperi igitur oculos, ô Francia, ut manifesta videas. Causa Rupellensium tibi propinata est. Bibe calicem de manu Domini admonentis. Si intelligis, & acquiescis, misericordia est emendantis. Si nondum intelligis, quid verear, nisi judicium vindicantis? Quid enim tandem in aliis accusabis, nisi te damnaveris? Rebelliones, grassationes, fidei depopulationes experta es:

*Non ignara mali miseris succurrere disce.*

Noli esse mitis in causa tua, in aliena crudelis: ut rebelles & hæreticos tuos oppressos, alienos à te defensos velis. Quid si enim & tibi hîc defensores eorum regerant rancidum illud *indirectum* tuum? Se nihil directè Rupellensibus succurrendo, nisi rerum suarum spectare securitatem, indirectè facescere Ecclesiæ tuæ fidem; sibi non imputandum, nihil curandum? Quanto fremitu hîc insurgeres?

 Ludi-

Ludibrium esse veritatis, velum impietatis, commentum hominum, quorum idolum Status est, vita absque Religione, mors absque Deo. Rectè quidem: sed *quomodo* hîc *exires de hoc laqueo alieno, sic exeas de tuo.* a

a *August.* Epist.6.

## CAPUT XXIII.

*Religio, & Ecclesia semper indirectè afflicta: sæpiùs ab iis qui in Galliis præfuerunt.*

VErum est etenim, istam indirecti tergiversationem à politici Status, rerumque præterfluentium admiratoribus in perniciem veræ pietatis excogitatam esse: quâ semper effectum fuit, ut sacra profanis cederent, Ecclesia rationibus, quas vocant Statûs, in primisque Gallicani, premeretur. Sic enim non solùm Trajecti, Ruremundæ, Venlonæ, Silvæ-Ducis à Ludovico XIII. sed antè ab Henrico IV. Graviæ, Slusæ, aliisque Flandriæ oppidis ac municipiis, vera Religio indirectè profligata est. Henricus enim Quartus primus in Galliæ Regibus, ante omnes Ind[illegible]as, Batavorum impietatem fœderibus suppetiisque manifestis in Ecclesiam Belgicam armavit, fluctuantique rebellioni pondus & stabilitatem dedit. Quid mirum? Adhuc infidelis cum infidelibus societatem inchoaverat, & eorum auxilia ter mille a peditum, & quadraginta quinque navium, per Vice-Comitem de Turene, hæreticæ factionis in Frãcia ductorem, impetraverat. Hinc jam fidelis, hominibus gratus esse maluit, quàm Deo, qui eum quasi manu ducens in throno collo-

a *Scipio du Plaix in vitâ Henrici IV.*

collocaverat. Nam anno 1596. 31. Octobris cum Ordinibus confœderatarum Provinciarum, Duce illo de Bouillon, hæreticorum antesignano, mediatore fœdus percussit, quo quater mille pedites & mille equites se Ordinibus subsidio missurum pactus est. Hæc est origo fœderum Francicorum cum hæreticis Batavis: quæ cùm hæresis in hæretico cum hæreticis auspicata sit, nihil novum, si in Religionis perniciem sub Catholico patre & filio continuata cedant. Nam consuetudine sine scrupulo Religionis inchoatâ firmatâque, quâ rerum illicitarum fœditas humanis oculis abstergi solet, potiùs quàm judicio, Christianissimi Reges in ista fœdera præcipitati sunt. Sed *va peccatis hominum, quæ sola inusitata horrescimus a.* Sic interim tunc indirecta illa Religionis injuria cum Batavis incepta est. Sic antè non exigua infamiæ labes Christianæ fidei *indirectè* aspersa est, periculumque creatum præsentissimum, quando Carolus IX. fœdus *b* cum *Solimanno, qui Melitam magno navali apparatu obsederat*, Turcarum Imperatore percussit: & *c* Henricus II. Turcarum militiam sub Draguto pirata in Corsicam evocavit. Melitâ namque capta, ut Bullingerus, Italiæ & ipsius Galliæ exitium præstò erat. Sic hęreses Protestantium *indirectè* in Germania dilatatæ sunt, & oppressa Catholica fides, dum idem Henricus adversus Carolum V. hæreticorum domitorem, assumpsit eorum patrocinium, quemadmodum veraciores Galliæ *d* Scriptores ingenuè profitentur. Sic *indirectè* vastata à Turcis *Etruriæ ora, Insulæ*

 *Ilva,*

a *August. in epist. ad Galat.* b *Iul. Cæs. Bulling. Histor. lib. 1. Vide du Plaix in Carolo IX.* c *Du Plaix in Henrico II. anno 1554.* d *Idem Scipio ad an. 1552. Genebrard. lib. 4. Chron.*

*Ilva, Igilium, Ænaria, Lipara* afflictæ, *Nicea Allobrogum* expugnata, violatisque deditionis conditionibus, in Christianos grassatum est, dum Franciscus Primus Ariadenum cognomine Barbarussam, Turcarum classi præfectum, multis aureorum millibus in singulos menses numeratis, subsidio accersivit, *gementibus piis*, inquit *a* Genebrardus, *quibus impiorum à Christi nomine abhorrentium foedera improbantur.* Sic *indirectè* Ecclesiæ Strigoniensis, Quinqueecclesiensis, Albæ Regalis, devastatæ sunt, dum Solimannus ad bellum contra Cæsarem, ut ferunt *b* & scribunt, ab eodem Francisco, Caroli Imperatoris æmulo, concitatus est. Hę sunt illæ *indirecta* fidei depopulationes, sub quibus in quibusdam orbis plagis in hodiernum usque diem Ecclesiæ gemunt, & millia animarum, pro quibus Christus mortuus est, Tartaro immolantur. Fatale enim jam diu videtur Gallico solo, ut non pauci, qui in eo principati sunt, directè temporalem dominationem, quasi fastigium rerum humanarum, appetierint, indirectè Christianam Religionem in pręcipuis Europæ regionibus graviter læserint; tantâ quidem hoc tempore constantiâ, ut hujusmodi Religionis injurias à majoribus quasi hereditasse videantur. Nam ad eumdem modum fidem Hispaniæ, per Saracenicam irruptionem, *indirectè* illa horribili notissimâque clade pro sua parte profligarunt. Testis est enim Lucas Tudensis, cùm Julianus unà cum Saracenis Rodericum impugnaret, Gallos, excitato in Hispania citeriori bello, vires Hispanorum ex composito initis cum Juliano consiliis distraxisse,

a *Genebrard.lib.4. Chron.ad an.1559.*
b *Nicol.Isthuamp.lib.13.& 15.*

ſe, ne totæ in Saracenos verterentur. *Erat*, inquit *a*; *hic Iulianus vir ſagax, & aſtutus, & callidè incitavit Francos, ut expugnarent Hiſpaniam citeriorem.* Et rurſum: *Omnes deinceps Gothorum milites fuſi fugatique ferè uſque ad internecionem, gladio & inediâ perierunt: non ſolummodò inſecutionibus barbarorum, verùm etiam Francorum armis ex parte Galliarum conſumpti ſunt.* Auctor iſte gravis & antiquus eſt: ante quadringentos annos vixit, & inter primos eorum eſt, qui poſt Hiſpaniæ cladem res geſtas proſecuti ſunt.

Sed quid miramur indirectè illatam ab eis Hiſpaniarum Eccleſiis cladem, qui nec ipſi Eccleſiæ Gallicanæ, directâ illâ temporalium rerum curâ abrepti, pepercere? Nam vix decennio pòſt Eudo, *b* Dux Vaſconum & Aquitaniæ, quæ ſicut à temporibus Clodovæi pars Regni Francorum fuit, ita Vaſcones à Francis domiti, & à Geniale Duce per eos conſtituto, à Clotharii II. temporibus, gubernati; hic, inquam, Eudo illos eoſdem Saracenos in Galliam contra Carolum Martellum, à quo fugatus fractuſque fuerat, vindictæ cupiditate accerſivit; & Baſilicæ S. Hilarii, cæteriſque Eccleſiis Aquitaniæ *indirectè* per incendia graſſationeſque Maurorum, diriſſimas clades intulit. Scipio du Plaix *c*, natione Vaſco, vocat hoc *errorem popularem*, quem Chronographi ſecuti ſint, nullo antiquiorum fultum teſtimonio. Miror Scriptorem reverâ eruditum, & in antiquorum auctorum lectione verſatum, hoc

O 5 neſci-

a *Luc. Tud. in Chron. mundi lib. 3. in fine.*

b *Aimoin. lib. 2. c. 89. Du Plaix in Clothario II.*

c SCIPION DV PLAIX EN THIRRY IV. l'an 721. C'eſt un erreur populaire, ſuivy neantmoins de tous nos Annaliſtes, qu'Eude Ducq d'Aquitaine appella les Saraſins d'Eſpagne en France, &c. Mais nul ancien auteur n'en faiſant mention.

nescire potuisse: vel, si sciverit, nescio quo Vasconiæ aut Aquitaniæ suæ studio dissimulare vel negare voluisse. Hoc enim ante quingentos annos detestatus est Sigebertus *a*: *Eudo Dux Carolo per omnia inferior Saracenos contra eum invitat ab Hispania.* Et ante septingentos annos Annales Francorum *b*, quos Pithœus edidit, itemque Fuldenses, Pithœanis multò auctiores, quos Marquardus Freherus: *Saraceni ab Eudone in auxilium suum vocati, cum Rege suo Abdirama, Garonnam Burdigalemque perveniunt, cunctis locis vastatis, & Ecclesiis igne concrematis, Basilicam quoque S. Hilarii Pictavis incendunt.* Nam illi circa annum Dom. 883. hi verò circa annum 890. ubi desinunt, scripti videntur. Et ante octingentos circiter annos Fredegarius *c*: *Eudo Dux cernens se superatum atque derisum, gentem perfidam Saracenorum ad auxilium contra Carolum Principem, & gentem Francorum excitavit.* Paulus VVarnfredus, Diaconus Forojuliensis, qui sub Carolo Magno, Martelli nepote, anno septingentesimo octogesimo claruit, id ipsum palàm indicat: *Post decem*, inquit *d*, *annos Saraceni cum uxoribus & parvulis venientes, Aquitaniam Galliæ provinciam, quasi habitaturi, ingressi sunt. Carolus siquidem cum Eudone Aquitaniæ Principe tunc discordiam habebat.* Discordia igitur istorum Principum Saracenis adventûs causa fuit, Eudone videlicet, ut isti citati vetustiores & recentiores tradunt, eos aduersùs æmulum suum evocante. Utinam tamen Eudonis exemplum nostræ ætatis Principes, quemadmodum peccando, ita & pœnitendo sequerentur.

a *Sigebert. ad an. 729.* b *Annal. Franc. & Fuldens. ad annū 725.* c *Fredegar. cap. 108.* d *Paul. VVarnfred. lib. 6. de Gestu Longobard.*

tur. Nam sceleris ille sui percussus conscientiâ, in Saracenos, junctis cum Martello viribus, ex improviso à tergo impetum vertit, & eorum exercitum ad internecionem usque delevit. Sed *aliud est citò surgere, aliud non cadere.* a

Quid, quòd in ipso temporis articulo, quo Hispaniis ab Ariana peste per Reccaredi virtutem revocatis, Catholicæ fidei splendor illuxerat, Francorum Reges *indirectè* recentissimam, adeoque vixdum germinantem, Religionem afflixerunt? Nam illa sexaginta circiter Francorum millia, quæ Reccaredus militum trecentorum manu, uno prælio, Deo de cælo videlicet pugnante, prostravit, Lucas Tudensis in hæresis Arianæ subsidium advenisse testatur: *Francorum*, inquit b, *ferè sexaginta millia armatorum, qui ad auxilium venerant hæresis Arianæ, Gallias* (Gothicas, quæ Hispanis parebant) *irruentia, misso Claudio Emeritensium Duce prostravit.* Non quòd hæresim Arianam directâ voluntate stabilire niterentur; hoc enim est hostium Catholicę fidei: sed quòd directè alienis terris inhiantes, *indirectè* hęreticis Arianis, Reginæ Goisuinthæ, Leuvigildi conjugi, novercæ Reccaredi, Udilæque Episcopo, cum suis, in ejus necem conspirantibus, atque ita hęresi ab illis pertinaciter defensæ, patrocinium adferrent. Gregorius enim Turonensis perspicuis verbis tradit, caussam istius belli adversùs Hispanos à Regni dilatandi cupiditate profectam esse. *Gunthramnus*, inquit c, *Rex commoveri exercitum in Hispanias præcepit, dicens: Priùs Septimaniam provinciam ditioni nostræ subdite, quæ Galliis est propinqua. Indignum est, ut* hor-



a *Aug. lib. 10. Confess. c. 35.* b *Luc. Tudens. lib. 2. in Reccaredo.* c *Greg. Turon. lib. 8. cap. 30.*

*horrendorum Gothorum terminus usque in Gallias sit extensus.* Hinc est, quòd & Baronius immitem illum Gunthramni animum graviter taxat, qui neophyto Regi gratulari potiùs debuisset: *Illa potiùs,* inquit, *iniqua causa belli illati expendenda fuerat, cùm adversùs Gothos, potitos ad longum tempus Galliâ Narbonensi, jam Catholicos redditos, bellum movit: quando, abdicatâ jam Arianâ impietate, in unitatem Catholicam unà cum Rege ipsorum coissent; quo nomine ab omnibus Principibus Orthodoxis fuerant amplectendi, muneribusque, & aliis pietatis officiis frequentandi.* Sed animis, latiùs regnandi cupiditate cæcis, nulla est offensæ pietatis consideratio, nullus periclitantis Religionis honor, aut metus.

a *Baron. ad an. 588.*

## CAPUT XXIV.

*Non solùm Ecclesia, sed & Ecclesiæ Paranymphus; itemque Sponsus* indirectè *per Politicæ regulas interemptus est. Vtriusque interitus antithesi illustratur.*

SEd quid ego de Ecclesiæ & Religionis cladibus ingemino querimonias, quas illud indirectum Statûs tuendi telum attulit? Ipsi Religionis fundatores eodem illo perierunt. Joanni Baptistæ, Paranympho Christi, quid necis causa fuit, nisi pietate antiquior ratio, quam vocant Status? Meretriculæ tripudium magis occasio, quàm causa fuit. Secretior animo Herodis inhærebat metus, quàm Proceribus displicendi, quem nobis Iosephus aperit a: Καὶ τῶν ἄλλων συστρεφομένων, καὶ γὰρ ἤρθησαν ἐπὶ πλεῖστον τῇ ἀκροάσει τῶν λόγων, δείσας Ἡρώδης τὸ

ἐπὶ

b *Ioseph lib. 18. Antiquit. cap. 7.*

ἐπὶ τοσόνδε πιθανὸν αὐτοῦ τοῖς ἀνθρώποις μὴ ἐπὶ ἀποστάσει τινὶ φέροι, πάντα γὰρ ἐῴκεσαν συμβουλῇ τῇ ἐκείνου πράξοντες, πολὺ κρεῖττον ἡγεῖται, πρίν τι νεώτερον ἐξ αὐτοῦ γενέσθαι, προλαβὼν ἀνελεῖν, ἢ μεταβολῆς γενομένης μὴ εἰς τὰ πράγματα ἐμπεσὼν μετανοεῖν· καὶ ὁ μὲν ὑποψίᾳ τῇ Ἡρώδου, δέσμιος εἰς τὴν Μαχαιροῦντα πεμφθεὶς, τὸ προειρημένον φρούριον, ταύτῃ κτίννυται. *Cumque magni concursus ad eum* ( Baptiſtam ) *fierent , plebe talis doctrinæ avidâ , Herodes veritus, ne tanta hominis auctoritas defectionem aliquam pareret , quòd viderentur nihil non facturi ex ejus conſilio , iudicavit ſatius eſſe, priusquam novi aliquid exoriretur , illum tollere, quàm rebus turbatis ſeram pœnitentiam agere. Itaque vinctum miſſum in Macharuntem ſuprà dictam, illic occidi imperat.* Ipſe auctor fidei, & conſummator Religionis JESVS, nónne indirectâ illâ machinâ comprehenſus, nónne interfectus eſt *a? Si dimittimus eum ſic*, inquiunt Judæi, *omnes credent in eum : & venient Romani, & tollent locum noſtrum, & gentem.* Quis non ad interitum Reipublicæ impendentem contremiſceret? quis non item ad iracundiam Cæſaris, & ad everſionem univerſæ fortunæ ſuæ? Hæc enim Pilatus timuit, quãdo frementis populi minæ ſonuerunt *b : Si hunc dimittis, non es amicus Cæſaris. Omnis enim, qui ſe Regem facit, contradicit Cæſari.* Itaque invitus, lotis manibus, cogente ſtatu & alieno, & proprio, nullâ ſententiâ damnationis tamquam in reum pronuntiatâ, ſed tantummodò *c adjudicans fieri petitionem eorum*, hoc eſt, fieri ſinendum judicans id quod poſtulabant, *d* Jeſum *tradidit voluntati eorum.* Falſum eſt enim, Scripturiſque contrarium, quòd Pilatus ullam in Jeſum, tamquam damna-



a *Ioan.* 11. b *Ioan.* 19. c *Luc.* 23. d *Ibid.*

tione dignum, sententiam tulerit, sed ut Præfectus civitatis, politicæ doctrinæ gnarus, minister Cæsaris obsequiosus, postulatis Judæorum potiùs annuendum esse censuit, quàm perturbandam periculosâ seditione civitatem, novi Regis excitatione statum Cæsaris, Cæsaris indignatione suum. En typum vestrum, quotquot estis ubicumque, politici Statûs idololatræ, speculum imitationi, patronum defensioni; ut nemo vos *καινοτομίας* in Regno Dei arguat, quasi novorum dæmoniorum inventores aut sectatores. Exemplar habetis præclarissimum, quo formemini. Ille Dominũ suum, vos Dominam vestram; ille Sponsum, vos Sponsam ejus; ille Judæis, vos hæreticis sævientibus illudendos & crucifigendos traditis. Utrique in bonum directè tenditis; Reipublicæ salutem, ac Statûs incolumitatem sartam tectam quæritis. Quid indirectè consequatur, quis prudentibus videlicet nisi imprudens imputaverit? Nimirum utrique meritò ^a^ *lava is manus coram populo:* justè utrique dicitis, *Innocentes nos sumus à sanguine justi hujus. Vos* Judæi, *vos* hæretici *videritis: quid ad nos?* Pares videlicet estis facinore, caussis, innocentiâ. Nisi fortè in eo politica vestra sanctitas palmam ferat; quòd ille Dominum incognitum, peregrinum, nullius auctoritatis; vos domesticam, propria vestrâ confessione agnitam, toto orbe celebrem, in culmine auctoritatis constitutam persequimini: ille tacentem; vos gementem clamantemque: ille alieno judicio damnatum, & reum; vos vestro absolutam, & innocentem: ille beneficiis prorsus inexpertum; vos eam, à qua manui vestræ sceptrum datum, temporibus diadema, vertici consecrationem, amictui

a *Matth.* 27.

cucul-

cucullum & purpuram indultam profitemini; à cujus marito vitam in hoc mundo, spiritum in baptismo, divitias, gloriam, Regni præsentis auctoritatem vos accepisse, futuri felicitatem exspectare gloriamini. Ille blandiendo cōpressit adversarios; vos semisopitos compressosq; excitatis. Ille Cæsaris iracundiam, populique seditionem ex lenitate parcendi timuit; vos ex atrocitate sæviendi. Ille *instituit, quantum potuit, ut eum ex eorum manibus liberaret a*; vos, ne à Rege & Cæsare ista liberetur. Ille miratus est morientem, & honorari permisit mortuum; vos usque ad cineres extenditis immanitatem, ut ei neque cum clamore, quod Christo licuit, neque cum gemitu mori liceat, neque per Cæsarem in gloriam reviviscere. Et quomodo tandem fugietis a judicio Dei?

Quid enim ad innocentiam valet illa prudentissima vestra cautio, quòd *indirectè* per alios illa scelera detestanda perpetrantur? Quasi verò non omnium, pietatem simulantium, illa semper fuerit cavillatio. Facinorosorum est enim, in quibus exstincta est humana verecūdia, de facinoribus gloriari; cæterorum improbitas perquàm libenter sub probitatis velo latet. Non auditis & priscos illos peritissimosque Politicorum duces Pharisæos, quàm cautè Pilato dicant; *Nobis non licet occidere quemquam?* Quid enim sub ista fucatæ sanctitatis larva voluêre, nisi quod August. in medium protraxit b? *Iniquitatem facinoris sui in judicem hominem refundere volebant, ut quasi ipsi à morte ejus, viderentur immunes.* Sed numquid fefellerunt judicem Deum? Ipse ut spirituū, ita & obligationum ponderator est: c *Novit & decipientē, & eum qui decipitur.*

Ipsius

a *Aug. in Psalm. 63.* b *Aug. ibid.* c *Iob 12.*

Ipsius oculis nudum & apertum est, humana divinis, vanitatem veritati, profana sacris, typhum terreni dominatûs soliditati cœlestis fidei, atque Religionis debere cedere. Novit, quid Christo Christianissimus debeat, quid cruentatæ matri filius, quid periclitanti Regno patris heres, quid Domino vasallus, cujus tuendæ auctoritatis ac majestatis juratam fidem dedit. Calamitates talium, atrocesque injurias æquis animis præterire, iniquum est; inferre & augere; impium atque sceleratum; licitum dicere, insanum. Si sensum humanum eos exuisse judicamus, qui de rebus terrenis ratiocinando ita exorbitant, in divinis fœdiùs delirantes quisquam prudentes putet? Prudentia est, sed *carnis*, quæ *inimica est Deo a*: sapientia est, *sed hujus mundi, quæ stultitia est apud Deum*. Quàm sibi sapiens ille sollersque consiliarius videbatur, qui ad cõtemptum aliorum cùm fiducia pronuntiabat *b*: *Vos nescitis quidquam: nec cogitatis, quia expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gẽs pereat?* Applausum habuit ista sapientia, successu caruit. Nam uno mortuo gens tota periit: quia qui comprehendit sapientes in sapientia sua, *c adducit* plerumque tales *consiliarios in stultum finem, & judices in stuporem*. Ut Reges intelligant, non illos optimos esse consiliarios, qui acutuli in commodi semitis exquirendis, & ferocúli in exequendis, unam consiliorum suorum Cynosuram temporalem spectant utilitatem; sed illos, qui legem Dei, quæ tutissimum est consiliorum gubernaculum. Sed de istâ indirectâ Religionis afflictione satis. Nunc alios probationis fontes aperiamus.

a *Rom.* 8. b *Ioan.* 11. c *Iob.* 12. v. 17.

CA-

## CAPVT XXV.

*Ex aliâ tertiâ radice Francorum fœdera convelluntur, quia directè tendunt eò, ut infideles Catholicis præficiantur; quod illicitum est.*

FOedera Francorum cum infidelibus non esse licita, ex alia radice facilè demonstrari potest. Est enim doctrina certa, quæ neminem, quòd sciam, Catholicum Doctorem dissentientem habet, Non esse licitum fidelibus infideles de novo dominos præficere. Tradit eam asseverantissimè sanctus Thomas. Nam propositâ istâ eâdem quæstione, *Dicendum*, a inquit, *quòd circa hoc dupliciter loqui possumus: Vno modo, de dominio, vel prælatione infidelium super fideles de novo instituenda; & hoc nullo modo permitti debet. Cederet enim hoc in scandalum, & in periculum fidei. De facili enim illi, qui subjiciuntur aliorum jurisdictioni, mutari possunt ab iis quibus subsunt, ut sequantur eorum imperium, nisi illi, qui subsunt, fuerint magnæ virtutis. Et similiter infideles contemnunt fidem si fidelium defectus cognoscant. Et ideo Apostolus prohibuit, ut fideles non contendant in judicio coram judice infideli. Et ideo nullo modo permittit Ecclesia, quòd infideles acquirant dominium super fideles, vel qualitercumque eis præficiantur in aliquo officio.* Eadem Interpretum est mens, qui illum articulum explicandum susceperunt. Nec mirum, cùm in perspicua verissimaque ratione fundatus sit, scandalo infirmorum, & periculo fidei. Quod ita magnum est, ut ab exordio Ecclesiæ in hunc usque

a *S. Thom. 2. 2. q. 10. art. 10. in corp.*

uſque diem experientiâ irrefragabili compertum ſit, hæreticorum, de quibus nobis potiſſimùm ſermo eſt, imperium in fideles ſemper traxiſſe ſecum ruinam imbecillium, totamque fidem vel funditus, vel maxima ex parte deleviſſe. Europam circumſpice univerſam; ita ubique gentium contigiſſe cernes. In Norvvegia, Dania, Suecia, Pomerania, Saxonia, Brandeburgico Marchionatu, cæteriſque Germaniæ Borealis plagis, Palatinatu, Haſſia, Ducatu VVirtenbergenſi, pleriſque civitatibus Imperialibus, ita Catholica fides hac ex cauſa periit, ut pleriſque in locis nec unus quidem, quaſi racemus in vindemiata vinea, ſuperſtes ſit Catholicus. in Anglia pauci, Scotia pauciſſimi. In Provinciis confœderatis Catholica eaque ſola vigebat fides: ſimulatque dominis fidei deſertoribus pareri cœptum eſt, mirum dictu, intra paucos annos ita, ut plurimum, exſtirpata atque deleta fuit, ut initio Sacerdotibus eam ſuſcitare ſatagentibus vix hoſpitium repetiri poſſet ad commorandum, vix auditores ad prædicandum. Antiquiora tempora ſi repetamus, eadem ſub dominis infidelibus fidei Catholicæ ſors, eadem calamitas fuit. Nónne in Africâ, Arabiâ Petræâ, Deſertâ, Felici, Palæſtinâ, nec veſtigium quidem ſupereſt? vix ullum in Ægypto: in Meſopotamia, cæteraque ferè Syria itidem nullum. Conſtantinopolis, fidei Catholicæ in Græcia olim columna & caput, dominantibus Arianis ſuccubuerat. Tanta ſtrages fidei continuò ſecuta eſt intra paucos annos, ut S. Gregorius Nazianzenus, columen videlicet doctrinæ Chriſtianæ, ad ejus

resuscitationem destinandus fuerit. Quis in ejus adventu fuerit status Religionis, si scire libet, ipsum audite confitentem, cùm Episcopis congregatis valediceret a: Τοῦτο τὸ ποίμνιον ἦν, ὅτε μικρόν τε καὶ ἀτελὲς ἦν, ὅσον ἐπὶ τοῖς ὁρωμένοις, καὶ οὐδὲ ποίμνιον, ἀλλὰ ποίμνης τι μικρὸν ἴχνος, καὶ λείψανον ἀσύντακτον, καὶ ἀνεπίσκοπον, καὶ ἀόριστον, μήτε νομὴν ἐλευθέραν ἔχον, μήτε μάνδρᾳ περιεχόμενον, πλανώμενον ἐν ὄρεσι, καὶ σπηλαίοις, καὶ ταῖς ὀπαῖς τῆς γῆς, ἄλλο ἀλλαχοῦ διεσπαρμένον τε, καὶ διερριμμένον, ὡς ἕκαστον ἔτυχε, σκεπόμενον ἢ νεμόμενον, καὶ διακλέπτον τὴν ἑαυτοῦ σωτηρίαν. *Hic grex exiguus quondam erat & imperfectus, quantum quidem oculorum sensu judicari poterat: ac ne grex quidem, sed parvum quoddam & tenue gregis vestigium, aut reliquiæ, incompositus, pastore carens, nullis terminis inclusus, nec pascui liberi jus habens, nec caulâ cinctus, aberrans in montibus, in speluncis, & cavernis terræ, qui illuc dispersus atque disjectus, eoque redactus, ut, quà quamque ovem fors tulisset, tegeretur ac pabularetur, præclareque secum agi duceret, si salutem suam surriperet.* Et in Carmine de vita sua testatur, prædicationem suam Catholicæ fidei Constantinopoli tam visam fuisse novam,

Ὡς εἰσάγοντος ἀνθ' ἑνὸς πλείους θεούς.

*Multos perinde ac si Deos induceret.*

Quam ob causam Basilica, ubi fidei inchoata est restauratio, Anastasia, à pietatis resurrectione, nũcupata est. Sed in re perspicua quid multis opus? Totus terrarum orbis, quaquaversùm ab Oriente in Occidentem, ab Austro in Septemtrionem patet, magnâ fert voce veritati testimonium. Ubique enim fidei interitus dominantem infidelitatem consecutus est, in Græcia, Asia mi-

nore

a *Nazianz. orat. 32.*

nore atque majore, ejusque provinciis, Syria, Perside, Babylonia, vastissimis Indiæ regionibus, Africa universa. In Germania quodammodò fatale est, ut cæca subditorum submissio Principum suorum fidem velut suum sequatur solem, quemadmodum intra paucos annos in Palatinatu vidimus.

Quæ cùm ita sint, manifestum est, nullum esse præsentius defendæ fidei venenum, quàm infidelium super fideles principatum. Illicitum est igitur, magnumque crimen, infideles dominos fidelibus præficere, vel ad hoc conferre operam suam. Hic autem propriè Francorum fœderum in Germania maximeque Belgio scopus est, ut pagi, oppida, provinciæ legitimo Principi Catholico extortæ, Ordinibus confœderatis, hoc est, Præfectis hæreticis, subjiciantur.

Nec verò hic illa *indirecti* cavillatio locum habet. Nam expugnationes urbium, ut Sylvę-Ducis, Trajecti, &c. in quibus occupandis tam amplam laudem spoliaque Franci retulerunt, eò directè spectant, ut ex unius potestate, in alterius dominationem transferantur, à fideli in infidelem, à Catholico in hæreticum, qui de rebus omnibus, Ecclesiasticis non minùs, quàm sæcularibus, in expugnatis urbibus plenissimâ potestate statuat, ut visum fuerit.

CA-

## CAPVT XXVI.

*Subterfugium expenditur, quo prætexunt, liberum exercitium Catholicæ Religionis Germaniæ & Belgii civitatibus beneficio Regis Franciæ obtentum. Impietas ibi involuta evolvitur.*

VNum hîc ſubterfugium expendendum eſt, quo jam à triennio circiter Francicorum fœderum fœditas velari cœpit. Dicunt enim, non ea cedere in præjudicium Catholicæ Religionis, quia liberum ejus exercitium permittitur; ſicut jam Trajecti, Venlonæ, Ruræmundæ, videre licet. Hoc & in Suecico fœdere cautum eſt, ut Religio talis, qualem invenerit Suecus, in Imperio relinquatur. Hoc ergo præclarum illud remedium eſt, quo Politici, Francorumque vulgus, crudele vulnus, quo jam penè per annos quadraginta Eccleſiæ viſcera lancinata ſunt, & fides Catholica in Belgio indirectè devaſtata, nuper ſe ſanaſſe gloriantur.

Sed quamvis iſta Religionis libertas aliquid faciat, ad detergendas illas fœdas ſacrilegiorum labes, quæ ex conculcatis Eccleſiæ ſacris, exterminatoque Religionis cultu naſcebantur; nihil tamen ad infringendam vim præcedentis argumenti valet. Nam periculum illud, vel potiùs malum præſentiſſimũ, quod infirmis ex infidelibus Præfectis ſibi dominantibus proficiſcitur, non ex eo tantùm fluit, quòd libertatem Religionis auferant, quamvis, quidquid ipſi polliceri videantur, ſit & iſtud unum iſtius noxæ caput, ut mox oſtenſuri ſumus; ſed inde potiùs, quòd dominantium auctoritas, quibus homines, propter maximam benè maleque faciendi

faciendi potestatem, placere volunt, maximam habeat vim ad imbecillium traductionem in eorum, quos colunt, fidem: sicut in Germania perspicuum est. Non enim ideò tantùm Principes hæretici periculosi aut perniciosi sunt, quòd homines ad mutandam fidem cogant; hoc enim sæpè cavent: sed quòd hoc ipsum verbis factisque efficacissimè, & ipsâ sui exempli auctoritate suadeant, & plerumque persuadeant: denique quòd sub illorum imperio semper publica errorum impietas, quam ipsi profitentur, publicè doceatur, impunéque teneatur. Ex quo fit, ut simpliciores atque infirmi, dijudicandis erroribus inidonei, eò faciliùs seducantur, quò suis Principibus eos probari & placere sentiunt, quibus hoc placet, quod ipsi probant. Quibus ex causis verissimã illam sententiam pronuntiavit Sapiens *a*: *Secundùm judicem populi, sic & ministri ejus: & qualis rector est civitatis, tales & inhabitantes in ea.* Et alio in loco præclarissimè *b*: *Princeps, qui libenter audit verba mendacii*, qualia sunt omnium maximè verba perfidiæ, *omnes ministros habet impios.* Hæc ergo libertas Religionis vim præcedentis argumenti relinquit integerrimam; ut præsens Germaniæ status ad oculum probat. Ubicumque enim Catholici Principes regunt, fides maxima ex parte conservata est; ubi hæretici, eradicata.

Deinde libertas ista publica Religionis, de cujus procuratione sibi Franci blandiuntur, nec ipsas Religionis injurias, quas effugere nitũtur, abstergere potest. Reverà enim istâ speciosâ libertatis adductæ pompâ nihil aliud faciunt, nisi quòd vulnus vulnere medicando, sacrilegium hęreticorum indi-

a *Eccles.* 10. b *Proverb.* 19.

indirectè sibi imputatum directâ purgant Religionis injuriâ; quod non est tollere, sed mutare malum. Nec enim sese Franci istâ beneficii impertitione innocentes probant, sed directiùs apertiusque culpæ reos.

Quod ut perspicuè percipiatur, sciendum, libertatem Religionis publicæ, hoc est, credendi colendique Deum quocumque ritu publico, sive Catholico sive hæretico, non esse expetendum aliquod bonum, sed ingens malum: quod nullo pacto in Rempublicam, nisi graviorum calamitatum impendentium metu, admitti potest. Hoc omnes Theologi uno consensu cum S. Thoma docent a: *Aliorum* (præter Judæos) *infidelium ritus*, inquit, *qui nihil veritatis aut utilitatis adferunt, non sunt aliqualiter tolerandi, nisi fortè ad aliquod malum vitandum*; scandalum, dissidium, impedimentum salutis hæreticorum, ut ibidem S. Doctor tradit. Et quamvis omnium Scriptorum esset summum hac de veritate silentium, suis se ipsa radiis tam luculentè prodit, ut etiam tardissimorum oculis pateat. Quis enim usque adeò tenebris immersus est, qui non statim videat, gravissimorum scelerum licentiam non posse à Reipublicæ moderatoribus permitti, nisi quando non potest ampliùs, sine gravioribus malis, aut ipsius fortè Reipublicæ occasu, mali pervicaciâ remedium superante, coërceri? Non enim Principes Rebuspublicis præfecti sunt, ut, quidquid geratur, etiam circa Religionem, indifferenter ferant; sed in primis, ut scelera compescant, quibus Deus offenditur, boni affliguntur, & Respublica perturbatur. Qua de causâ Apostolus dicit b: *Si*

a 2.2.q.10. *art.* 11. b *Rom.* 13.

*Si malum feceris, time. Non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est, vindex in iram ei, qui malum agit.* Et Augustinus *a: Quomodo Reges Domino serviunt in timore*, sicut Psalmus præcipit, *nisi ea, quæ contra jussa Domini fiunt, religiosâ severitate prohibendo, atque plectendo?* Crimen autem hæreseos omnia scelera contra homines commissa, furta, adulteria, latrocinia, & si quid aliud sanæ doctrinæ adversatur, tantò gravitate impietateque superat, quantò est homine Deus major, humanis divina potiora. Nam & fidē Deo abrogat, eumque tacitè mendacem facit, & omnis salutis basim ex hominum pectoribus eruit; in proximos ut cancer serpit, concordiam rumpit, & civilem Reipublicæ statum rebellione perturbat. Unde fit, ut SS. Patres, quos suprà dedimus, hæreticos Judæis Paganisque deteriores esse statuant; imò dęmonibus pares, & subinde magis pervicaces & execrabiles. Crimen ipsum nonnumquam idololatriæ æquat, aut potiùs præfert. Augustinus *b: Horum impietas etiam idololatriam forsitan superat.* Tanta est eorum adversùs Dei veritatem contumacia, adversùs hominum salutem conjuratio. Quam ob causam non aliud Scripturę *c* sacrę novi veterisque Testamenti, Patres, Canones, civilesque sanctiones contra istos fidei Deo datæ desertores fidelibus clamant, nisi, Cavete, Fugite, Interficite, Lapidate. De quibus, tamquam in promptu positis, non est hîc latiùs disserendi locus. Hujus igitur tam nefarii, publicoque perniciosi, criminis licentia nullo pacto indulgeri potest, nisi gravissimorum malorum alioquin Reipublicæ impędentium

a *Aug. epist.* 50. b *Aug. epist.* 48. c *Ad Titum* 3. v. 10. 2. *Tim.* 3. v. 5. *Deut.* 18. v. 20. *Deut.* 13. *&c.*

tium metus extorqueat. Quamobrem etiam nullum est nunc in orbe Christiano Regnum, aut Respublica, in quam pestis illa à Catholico Principe intromissa sit, nisi ut è gravissimis bellorum tumultibus, quos hæresis conflaverat, respirare posset, & ab interitu ex cladibus illis imminente præservari.

Cùm igitur hæc doctrina planissima certissimaque sit, & inter Catholicos extra controversiam, de quâ soli hæretici elapso sæculo præsentique conqueruntur; dementiæ similis videtur sententia, quâ quis putet, hæreseos credendæ prædicandæque publicam potestatem à Christiano Principe non solùm liberè permitti posse in locis jam infectis, ad quæ ut cancer serpsit, sed etiam alia loca ab illâ peste prorsus immunia, à quibus hactenus exclusa fuit, & sine difficultate porrò excludi potest, diffundendo ejus veneno, consilio, pecuniarum largitionibus, armisque posse aperiri. Cur enim non dicamus, & adulteriis, & latrociniis, & sacrilegiis, cæterisque sceleribus, etiam cùm impediri facilè possunt, grassandi licentiam non modò indulgeri, sed etiam magnis conatibus posse procurari? Quo enim istorum non est hæresis sceleratior, Deo contumeliosior, hominibus infestior, Reipublicæ perniciosior? Quòd si ergo hoc sapere est desipere, & omnium hæreticorum seditiones pro inducendâ docendarum hæresium libertate à suscepti sceleris labe purgare; indubitatum esse debet, non solùm illicitum, sed gravissimam esse Religionis justitiæque læsæ maculam, quâ hæresis prædicandæ credendæque libertas Reipublicæ non laboranti permittitur, vel obtruditur. Contra quam licentiam licet

longè minorẽ, Spiritus Dei in Scripturâ clamat *a*: *Habeo adversùm te pauca, quia habes illic tenentes doctrinam Balaam*, &c. *Ita habes & tu tenentes doctrinam Nicolaitarum*. Nam esse vel in solâ illâ permissione peccatum, exsertè edicit *b*: *Habeo adversùm te pauca, quia permittis mulierem Iezabel, quæ se dicit propheten, docere, & seducere servos meos.* Hinc S. Gregorius Pontifex Maximus *c*: *Hi igitur, quos & fidei nostræ integritas, & legum damnat districtio, non leve peccatum est, si vestris inveniant temporibus licentiam reserpendi.* Et Gregorius Nazianzenus *d*: Τὸ δὲ πάντων χαλεπώτατον ἐν ταῖς ἐκκλησιαστικαῖς συμφοραῖς, ἡ τῶν Ἀπολιναριστῶν ἐστι παῤῥησία, οὓς οὐκ οἶδα πῶς παρεῖδέ σου ἡ ὁσιότης προελομένους ἑαυτοῖς, τοῦ συνάγειν ὁμοτίμως ἡμῖν ἐξουσίαν. *Quod autem ex omnibus Ecclesiasticis calamitatibus acerbissimum, Apollinaristarum licentia est, quos haud scio quonam modo pietas tua conventuum, æquè ac nos, habendorum auctoritatem sibi arrogasse, atque usurpasse, passa fuerit.*

His itaque constitutis, non se fallat, sibique blandiatur Christianissimus Rex, tamquam non contemnendum beneficium antiquæ fidei præstitisset, quòd publicam Religionis libertatem Trajecto, Venlonæ, Ruræmundæ, Limburgo, centenisque aliquot parochiis procurarit. Liceat liberam Sacerdoti pro fide & veritate vocem loqui. Pernicies est, non beneficium, quod venditatur. Fallaces verborum larvæ facessant à disputationibus, ut sine præstigiis res nudæ oculis objiciantur. Quid est libertas illa Religionis, quæ jactatur, nisi libertas hæresis, sacrilegii, blasphemiæ, scelerum, inquam,

a *Apocal. 2.* b *Ibidem.* c *Gregor. ep. l. 3.*
d *Nazianz. ad Nectar. orat. 46.*

inquam, divinâ humanâque lege damnatorum, quæ in Catholicas istas urbes introducta est? Quid est, nisi libertas errandi atque pereundi? Quam ita commendat August. ut dicat a: *Quæ est enim pejor mors animæ, quàm libertas erroris?* Non enim fidei Catholicæ libertas illis civitatibus, sed perfidiæ procurata est. Liberrima ibi fides, fideiq; Catholicæ publicus cultus erat, nullâ necessitate Ecclesia vel Respublica admittendæ hæresis premebatur. Armis urbes illas Francus adortus est, expugnavit, sanguine miserabilium victimarum suarum cepit, hæresin florenti dominantiq; Catholicæ Religioni superinduxit. Quis nisi mente captus non videt, perfidiæ Francos ibi publicam libertatem peperisse, vincula Catholicæ fidei injecisse, sanguine suo Calvino litavisse? Ipsa pacta deditionis urbium in fidem istius veritatis, & ignominiam Christianissimi Regis producentur in judicio Dei. Sic enim sonat articulus quartus pactorum, quibus Venlona in potestatem hæreticorum tradita est b: *Religionem reformatam profitentibus tradetur Ædes S. Georgii, ut in eâ suam Religionem publicè exerceant.* Et sic articulus primus deditionis Ruræmundanæ c: *Cives providebunt Religionem reformatam profitentibus locum opportunum, ubi publicè suam Religionem eis exercere licebit, sive in S. Georgii, sive alibi.* Sed longè clarioribus absque ullo fuco verbis mysterium istud expressit secundus articulus eorum, quibus deditio

 Traje-

a *August. ep.* 166.
b ARTICLE 4. Qu'à ceux de la Religion reformée sera donné l'Eglise de S. George, pour exercer leur Religion publiquement,
AV CAMP DEVANT VENLO 3. IVIN 1632.
c ARTIC. 1. Que ceux de la ville pourvoirons ceux de la Religion reformée d'un lieu commode, où ils pourront publiquement exercer leur Religion, soit dans S. George ou autre pais, LE 6. IVIN. 1632.

Trajecti pacta fuit a: *In posterum in urbem Trajectensem liberum & publicum admittetur reformatæ Religionis exercitium, ad illum modum, quo in Provinciis confœderatis exercetur; idque in templa & Ecclesias S. Iacobi, & S. Hilarii,* &c. Ecce expressa, clara, infucata conditio, ut in posterum hæresios publicum exercitium in Catholicam civitatem inferatur. Jam enim ibi Ecclesia vetus, veraque fides, sine ullo hæreseōn consortio, plenâ Religionis pace, plenissimâ exercitii sui libertate fruebatur. Non eam Francorum, sed Hispanorum Belgarumque sanguini debet, qui eam anno 1579. pulso Genevensi ritu, urbi captæ dedit: quam ad postremæ funestæque illius obsidionis diem constanter urbs illa conservaverat, & porrò ulteriùs, sine isto præclaro beneficio Gallicano, conservasset. Sic ergo constitutæ Religioni quid nisi hæresin, Rex Christianissime, militum tuorum cruore sociasti, fidem Genevensem cum Romanâ iisdem mœnibus conclusisti? Calvinus enim, urbe pulso domino Catholico, jam Catholicis dominatur. Ipse Religioni Catholicæ obses securitatis, ipse præses libertatis, ipse arbiter nascituræ cujusque controversiæ. Quis sanâ mente fidem hîc proditam, libertatem ejus captivam esse dubitaverit? Interrogentur cives, quàm sibi de Francico beneficio gratulentur. Vociferantur: Facessant ista ludibria. Non indigemus istâ libertatis impetratæ misericordiâ, quæ nec nocentium atrocitati cedit. Crudelis misericordia tua, quæ ut sanare videatur, vulnus infligit. Desine ab injuriis fidei, & liberum erit nobis avitæ Religionis exercitium.

a ARTIC. 2. Que d'oresenavant en la ville de Maestricht sera libremẽt & publiquement admis l'exercice de Religion reformée. ensorte qu'elle est exercée és Provinces unies, & ce és temples & Eglises de S. Iacques & S. Hilaire, &c.

tium. Feliciores erimus, te nobis non nocente armatâ manu, urbesque rapiente, quàm benefaciente. Isti sunt quotidiani civium gemitus, totiusque Belgii Catholici voces: quod nihil execratur vehementiùs, quàm Christianissima hujusmodi beneficia, sub quibus Catholicus orbis gemit. Quæ si simili benignitate reliquo Belgio Rex Christianissimus adferre meditatur, quæ calamitas ei acerbior exspectari potest? Pro tali quippe arcendâ Religionis libertate, quæ armis Francorum captis urbibus adfertur, dirissima jam tot annos Belgæ passi sunt, & adhuc diriora parati sunt pati. Ut monstri profectò loco habendum sit, Francos de hujusmodi libertatis beneficio vel hiscere posse, nedum audere gloriari. Quid enim, Deum immortalem! facit, quisquis in Catholicam civitatem hæresis exercitium, jam diu inde proscriptum damnatumque, vi armatâ, sub prætextu publicæ libertatis, adducit, nisi quòd Romanam tacitè damnat fidem? Audi doctissimi Nazianzeni verba, nō mea *a*: Εἰ τοίνυν οἱ τοιαῦτα φρονοῦντες ἐν ἐξουσίᾳ τοῦ συνάγειν γίνονται, σκοπείτω σου ἡ ἐν Χριστῷ εὐδόκιμος φρόνησις, ὅτι μὴ συμβαινόντων ἡμῶν οἷς ἐκεῖνοι φρονοῦσι, τὸ λαβεῖν αὐτοὺς ἐξουσίαν συνάξεως, οὐδὲν ἕτερόν ἐστιν, ἢ ἀληθεστέρους τοῦ καθ' ἡμᾶς δόγματος νομισθῆναι. Εἰ γὰρ ὡς εὐσεβοῦντες ἐκεῖνοι διδάσκειν, ὡς φρονοῦσι, καὶ κηρύττειν ἐν παῤῥησίᾳ τὸ καθ' ἑαυτοὺς ἐπιτρέπονται δόγμα, δῆλον ὅτι κατέγνωσται ὁ τῆς Ἐκκλησίας λόγος, ὡς τῆς ἀληθείας παρ' αὐτοῖς οὔσης; δύο γὰρ ἐναντίους λόγους περὶ τοῦ αὐτοῦ πράγματος ἀληθεῖς εἶναι, φύσιν οὐκ ἔχει. *Proinde si iis, qui talia sentiunt, cœtus habere licet; illud velim cogitet atque expendat tua in Christo illustris prudentia, quòd, cùm nobis cum eorum dogmatibus non conveniat, cœtus habendi potestatem illis factam esse, nihil aliud est,*

a Nazianz. orat. 46.

 *quàm*

*quàm eorum doctrinam nostrâ veriorem existimare. Nam si illis, ut & piè sentientibus, ea, quæ sentiunt, docere, libereque promulgare permittitur; quis non videt Ecclesiæ doctrinam condemnari, perinde ac veritate ab illorum partibus stante? Neque enim rerum natura fert, duas de eâdem re contrarias doctrinas veras esse.* Audiat Ambrosium, cùm Gentiles per Imperatorem aram Deorum & superstitionem restituendam poscerēt, acerbiùs in simili causâ stomachātem a: *Quòd si aliqui nomine Christiani tale aliquid decernendum putant, mentem tuam vocabula nuda non capiant, nomina cassa non fallant. Quisquis hoc suadet, sacrificat, & quisquis hoc statuit.* Et inferiùs Nazianzeni ratione, & penè verbis Imperatorem premens: *Si volens acquievisti, damnasti fidem meam: si invitus cessisti prodidisti tuam.* Quid enim interest, cultus Paganismi, an Calvinismi, publicè, unde exclusus est, reducatur? Uno tantùm; quòd ille, post incarnatum in mundo Deum, vel nullos omninò Christianos, vel paucissimos, propter evidentiam absurditatis, decipit; hic innumeros: ille ab omnibus irrisus despuitur; huic applauditur: illius redargutio & fuga judicio quoque populari facilis; hic fallit, fatigatque eruditos: ille, redditâ ratione unius veri Dei, non difficulter exuitur; hic pertinacissimè ipsis animi medullis hæret. Ex quo consequenter fit, ut Christianissimi Regis conatus ad inferendos in Catholicas civitates hæreticos, cum hæreseos prędicandæ libertate, tātò deterior sit favore Paganorum, quātò hæresis est seducendis Christianis periculosior, seductisq; perniciosior. Laudem igitur Rex promeretur beneficentiæ Iuliani in Catholicos parem; qui cùm Christianā Ecclesiam pessumdare meditaretur b, *dissidentes*

a *Amb. ep.* 11. b *Marcell. l.* 22, *n.* 7.

Chri-

*Christianorum Antistites monebat, ut, civilibus discordiis consopitis, quisque nullo vetante Religioni suæ serviret intrepidus.* Religionis enim dissidium, hæresisque prædicādæ libertatem, animarum Ecclesiæque venenum præsentissimum. esse noverat: quorum utrumq; similiter, Christianissimi Regis labore & militiâ, captis Belgii civitatibus propinatum est. Quid verò causæ est, cur non, cum eodem Iuliano, Deorum quoque delubra, eâdem illâ Religionis libertate à Christianissimo Rege recludantur, quę Constantinus clausit? Quidni & Turcæ in Germaniam, & Saraceni in Hispaniā, eâdem purpuratæ conscientiæ lege revocentur? Servant etiam Turcæ, non precariâ tantùm indulgentiâ, sed stabili Monarchiæ lege, Religionis, quam inveniunt, libertatem, lōgè fideliùs, quàm ulla hactenus Calviniana etiam jurata sigillataque fides. Nimirùm eâdem conscientiæ normâ utrumque licet. Poterunt & hîc Franci de allatâ Religionis libertate gloriari, ut quibus Ecclesiam hæreticis subjugare, est Catholicæ Religionis libertatem dare; benefacere, fidem non exstinguere. Quid specioso libertatis nomine mundo illuditur, & Religionis injuria prætexitur? Etiam in silvis qui despoliant, beneficium jactitant, & gratitudinem postulant, quia non occiderunt. Quid enim dirius Religioni Catholicæ fecerit apertissimus persecutor? Si hæresis Hispaniam invaderet, Italiam opprimeret, Romam Religionis arcem occuparet, aliudque prorsus prætenderet nihil, nisi ut in universo orbe Christiano, relictâ Catholicis Gallico-Trajectensi libertate, dominaretur; quis non acerbam persecutionem, & conatuum istorum sacrilegium exhorresceret?

Quid ſi novus aliquis ſatan Hugonottas adverſùs Chriſtianiſſimum Regem concitaret, ut urbes invaderent unde conciones excluſæ ſunt, templa Cathedralia & Parochialia civitatum pagorumque cum Catholicis, relictâ ſimili libertate, partirentur; quantos clamores hîc Chriſtianiſſimi Reges, & Purpurati Proceres, & Aſcetæ Conſiliarii, & Catholici cives tollerent! Quantis diris adjutores hæreticorum devoverent, qui Gallicâ beneficentiâ tantum eis largirentur Catholicæ libertatis beneficium! Impetremus, obſecro, homines ab hominibus, ut in causâ ſuâ alienam tantillùm cogitent, &, ſi non ſuccurrere afflictis diſcant, certè miſereri.

Enimverò ſi ſeria Catholicæ Religionis Francis cura eſt, directaque cogitatio; ecce in Angliâ fœderum connubialium debitrice, in Hollandiâ, cæteriſque Provinciis confœderatis campus Chriſtianiſſimi zelo patet. Illic oppreſſi jam diu Catholici gemunt, exulat liberum Religionis exercitium. Quin ibi expromunt decantatum illud ſuum liberæ Religionis beneficium, ubi beneficæ voluntatis puritatem operæ pretium, & laus ſincera commẽdabit? Ibi namque graſſantibus hęreſibus limites ſola libertas prædicandæ veritatis figet. Ibi opera, quam collocaverint, non in perfidiæ, ſed Catholicæ legis patrocinium cedet. Sed quid? Hîc quaſi frigidâ ſuperfuſâ totus Politicæ devotionis ardor cadit. Nempe hoc illis negotium eſt, non oppreſſę Religioni libertatem, ſed liberę captivitatem dare: ſtantibus ruinam, non jacentibus elevationem operari. Ut enim ille olim de quibuſdam dixit a, *Ruinas faciliùs operantur ſtantium*

a *Tertull. de Præſcriptione* c. 42.

*ſtantium ædificiorum, quàm exſtructiones jacentium ruinarum.* Nempe nullus tali Religionis libertate Hiſpanus impetendus eſt, nullus Imperator evertendus: qui unicus iſti hominum generi, & ſerviendi Deo, & hominibus placendi ſcopus, unica conatuum Cynoſura. Ut ita exemplo in promptu poſito diſceremus, non Religioni Trajecti, & alibi, ab eis prȩſtitum eſſe beneficium, ſed molimi_ num ſuſceptorum tectam turpitudinem, quò coram hominibus imperitis quâquâ ſpecie juſtitiȩ fucaretur, quod abominabile eſt apud Deum, eoque magis, quò propinquiùs adaptatum ſanctitati. Nam quemadmodum adversùs Dominum, juxta Auguſtin. a *falſi teſtes tantò pejores fuerunt, quantò propinquare veritati per calumniam voluerunt:* ita adversùs Eccleſiam, tantò magis conatus deteſtandi, quantò ſollertiùs eos pietatis colore tinctos eſſe volunt.

a *Serm.93. de diverſis c.1.*

## CAPVT XXVII.

*Libertas illa traditionem templorum Catholicorum conjunctam habet. Quàm hoc infame viſum ſit antiquis Patribus.*

SEd aliud eſt in hac prȩclarâ liberȩ Religionis procuratione, quod religioſi animi non minùs moleſtè ferunt, neque minorem fortaſſe Religionis contemptum ſpirat. Nam Catholicorum cœtus per hanc ipſam libertatis obtruſȩ legem avitis templis ſuis migrare coguntur, ut hȩreticis concionibus, novorumque rituum ſacrilegiis detur locus. Notum eſt enim, non poſſe confœderatos Ordines in poſſeſſionem urbium Franco milite

captarum, vel Catholicos in possessionem istius liberæ Religionis mitti, nisi Ecclesiæ victoribus nonnullæ ex pacto cedant, & omnes, cùm voluerint. Nam ut nova Religio condat novas, ubi veteres præstò sunt, paradoxum est Stoicis penè mirabilius. Falsam fortasse putares regulam, nisi Trajectum, Ruræmunda, Venlona, recenter libertate donatæ, omnesq; Provinciarum urbes, municipia & pagi veritati facerent oculatam cuilibet inspectanti fidem. Exstant urbium captarum pacta *a*, in quibus templa Catholicorum tradenda præscribuntur, Trajecti S. Iacobi & Hilarii; Ruremundę & Venlonæ S. Georgii. O præclarum igitur allatæ per Francos libertatis beneficium, quo Antistites aras ac templa sua, quorum nonnulla Sancti in cælo cum Deo regnantes, & in terrâ miraculis coruscantes, suis manibus fundaverunt, & incruentis mysteriis offerendis, Deiq; laudibus decantandis consecrarunt, Sanctorum hostibus, mysteriorum irrisoribus tradere profanāda compelluntur! Exiguum hoc est, scio, policitæ novæque pietati; sed priscæ, Catholicæ, germanitusq; Christianę quovis tormento terribilius. Iste sensus fuit S. Ioannis Chrysostomi, sanctissimi doctissimique Pręsulis. Cùm enim ab Arcadio, Gainę, res novas tyrannidemque molientis, terrore perculso, peteretur, ut illi tamquam hęretico Ædes una cederet, in quâ Ariana sacra Gainas cum suâ sectâ frequentaret, respondit ei generosè Chrysostomus *b*: Μὴ τοιαῦτα, ὦ βασιλεῦ, ὑπισχνοῦ, μηδὲ διδόναι παρακελεύου τὰ ἅγια τοῖς κυσίν. Οὐ γὰρ ἀνέξομαι, τοὺς μὲν τὸν Θεὸν Λόγον θεολογοῦντας τε καὶ ὑμνοῦντας ἐξαγαγεῖν, τοῖς δὲ τοῦτον βλασφημοῦσιν ἐνδοῦναι τὸν θεῖον νεών. *Ne istud ei pollicearis, Imperator,*

a *Vide art. deditionis c praced. allegatos.* b *Theod. l. 5. Hist. c. 32*

*rator, neque sanctum dari canibus mandes. Nam numquam equidem patiar, ut qui Deum Verbum sanctè augusteque laudibus celebrant, expellantur è sacro templo, idemque tribuatur his qui contra Deum loquuntur blasphemias.* Sed an Imperator criminis immunis, si istud vel faceret, vel pateretur? Audi Sozomenum *a*: Ἄμεινον εἶναι συμβουλεύων τῆς βασιλείας παραχωρεῖν, ἢ προδότην οἴκου Θεοῦ γενόμενον ἀσεβεῖν. *Consulebat, satius esse Imperio cedere, quàm prodere domum Dei, & à Religione deficere.* Ambrosii perinde sancti atque eruditi adhuc ferventior fuit erga templorum suorum custodiam fides. Nam cùm Basilicam Imperator ad colligendos hæreticorum cœtus, tamquam oblatâ illâ Gallicanâ Religionis libertate, quæ Trajectensibus acquisita venditatur, tradi jussisset, quantâ fiduciâ impietatem detestatus est! quantâ generositate imperium detrectavit *b*! *Si ille* (Naboth) *vineam non tradidit suam, nos trademus Ecclesiam Christi? Absit à me, ut tradam Christi hereditatem. Si ille patrum hereditatem non tradidit, ego tradam Christi hereditatem?* Et responsi sui reddens rationem, *Respondi*, inquit, *ego, quod Sacerdotis est; quod Imperatoris est, faciat Imperator. Prius est, ut animam mihi, quàm fidem auferat.* Et pleniùs in Epistolis suis *c*: *Advertitis, quid jubeatur, cùm mandatur, Trade Basilicam? hoc est, Dic aliquod verbum in Deum*, id est, Blasphema, *& morere. Nec solùm, Dic adversùm Deum; sed etiam, Fac adversùs Deum.* Et Calligono, propter Imperialis mandati despectum, caput ei auferendum minitante, *Vtinam*, inquit *d*, *permittat tibi, ut impleas quod minaris.*

P 6 *Ego*

a *Sozom. l. 8. Hist. c. 4.* b *Amb. in conc. de Basil. non tradend.*
c *Epist. 14. ad Marcellin. sororem.* d *Ibidem.*

*Ego enim patiar, quod Episcopi, tu facies, quod spadonus:* Martyrem utique in hujusmodi causâ Dei. *Scio enim*, adjicit in eâdem concione, *quia quidquid passus fuero, pro Christo patiar.* Quantus in eâdem calamitatis interminatione populi luctus, bone Deus, quantus fletus! Fidei Christianæ summam agi in istâ causâ putavisses. Itaque S. Augustinus Doctorum Ecclesiæ coryphæus, cùm ostendere vellet impietatis magnitudinem, quæ in hujusmodi templorum Christianorum traditione continetur, proprium eorum, qui Christianæ pacis inimici sunt, adeoque Apostatarum, hoc facinus esse tradit. *Constantinus*, inquit *a*, *vobis* Donatistis *Basilicas jussit auferri, Iulianus restitui. Quid horum Christianæ paci conveniat, vultis nosse?* ILLVD FECIT QVI CREDIDERAT IN CHRISTVM; HOC FECIT QVI DIMISERAT CHRISTVM.

Jam ergo vides, Rex Christianissime, & Princeps Catholice, præclara S. Ludovici soboles, quid de beneficio tuo Trajectensibus obtruso duo illa columina Christianæ Theologiæ sensêre, dixêre, scripsêre. Nempe tale est, quod ne acciperent sancti Antistites, Martyres esse delegerunt. Nam ut istud armis tuis in Catholicam Belgii civitatem sub Ordinum imperio sine templorum traditione inferas, fieri nullo pacto potest. Urbium deditarum conventa cum Ordinum Duce pacta, præsentibus & spectantibus Centurionibus Tribunisque tuis inita, qui militum tuorum sanguinem pro mœnibus occupandis, & illâ libertate Religionis afferendâ profuderant, templa Catholicorum dedicanda sacrilegiis, postula-

ta

a. *August. l. 2. contra Petil. c. 91.*

ta ac tradita esse testantur. Quid si Presul aliquis divino caritatis ardore generosior responderet cum Ambrosio: *Non tradam Christi hereditatem*; nonne Martyrem tuo fecisses beneficio? Quid si alius tibi in istâ causâ diceret: *Satius est*, tibi Rex, *Imperio cedere, quàm prodere domum Dei, & à Religione deficere?* Prodit enim, qui proditoribus jungitur; proditores excitat, proditoribus portas militum suorum sanguine aperit, proditorum potestati & arbitrio Religionem, templa, sacra, profanaque tradit. Quàm ob causam, in ipsâ Franciâ, quamvis hereticis publica libertas data sit, templa tamen Catholicorum prorsus negata sunt. Nam si hoc Christianis Regibus in Catholicorum urbibus licet, agite, via strata est, ut, cùm libuerit, sub illo liberæ Religionis afferendæ beneficio, templa Christi, Turcis admissis, in Mosquea convertantur. Quid enim in Turcis odiosius, nisi nomen? Rem enim, hoc est, impietatem, incredulitatis & sacrilegii magnitudine hæretici superant, hæreticos cunctos Calvinistæ impudentiâ, blasphemiis, pervicaciâ, crudelitate, fractæque fidei in rebus Religionem spectantibus notâ. En quò nos tandem phalerata illa Religionis libertas trahit, si semel, nullâ necessitate fidei periclitantis advocata, sed solâ Regum vicinorum emulatione stimulante obtrusa, sub consuetudinis jam quasi inolite probateque patrocinio radices inter Christianos egerit.

## CAPVT XXVIII.

*Aliâ ratione peccatum in istâ liberi exercitii Catholici procuratione. Quanta observatio libertatis illius, & securitas perpetuitatis speranda sit.*

Sed age, in hac Religionis Catholicæ procuratâ libertate nullam ejus violatæ labem intervenisse statuamus, quis inde fructus in Christianam Rempublicam redundabit ? ille profectò, propter quem etiam à Catholicis nostris adornata, & ab hæreticis Belgicæ promissa est, ut populus speciosâ Religionis intemeratæ pollicitatione seductus nihil interesse putet, utri ipse pareat, hæretico an Catholico, uter Reipublicæ Belgicæ habenas moderetur. Nam hâc de causâ egregium istud beneficium etiam ante civitatum obsidiones toti Belgio venditatum fuit: ut faciem Reipublicæ novam, quam commutandam destinaverant, & Catholicæ Religionis statum, & hæresean secuturam libertatem indifferenter ferendo, dominaturis hæreticis Respublica simul cum Religione proderetur. In quo ipso libertatis adornatæ scopo perniciosus error, & impietas intoleranda clauditur. Quis enim sanę fidei eousque amentiæ prorumpat, ut non Ecclesiam feliciorem putet, quando hęreticis vastatoribus Religionis caret, quàm cùm eorum impietate conspurcatur ? Aut non Catholicæ Religionis conditionem, quidquid tandem de illâ libertate promittatur, incomparabiliter pejorem sub hæreticorum, quàm sub Catholici Principis dominatione futuram arbitretur ? Quis eò impudentiæ, ut hoc aut dicat, aut sentiat ? Quod si planissimum est, de quo nemi-

neminem umquam, nisi novarum sectarum amatorem, disceptantem aut ambigentem vidi aut legi; impietatis professò plenum est, illam populis opinionem instillare, quâ à Catholicæ legitimæque dominationis auctoritate in hæreticorum potestatem, & ab antiquæ Religionis tutelâ ad permittendam hæreseωn libertatem, se æquis animis, depositoque defensionis studio, transferri sinat. Ita nihil undique conatus isti Politici spirant, nisi impietatem adversùs Deum, & crudelitatem adversùs homines, dum simul à divinâ pietate, & humanâ æquitate discedunt.

Sed aliud est in hac liberæ Religionis venditatione præclarissimum, quod paulò penitiùs intuendum est, quàm egregiè Catholicæ Religioni, sub hæreticis confœderatarum Provinciarum Ordinibus, & in Germaniâ sub Protestantibus Principibus, cautum sit. Nimirum novâ naturæ metamorphosi, calor à frigore, virtus à vitioso, fides ab infidelibus, in illâ ipsâ infidelitatis professione, exspectanda nobis est; juxta S. Spiritûs institutionem scilicet a: *Cùm viro irreligioso tracta de sanctitate, & cum injusto de justitiâ, cum impio de pietate, cum inhonesto de honestate, cum servo pigro de multâ operatione.* Sed clariùs mox documentum salubre adjicit: *Non attendas his in omni consilio.* Quomodo enim servabunt hominibus fidem, quam Deo non servaverunt? *Homo apostata*, inquit Scriptura b veritatis, quæ fallere aut falli nequit, *vir inutilis, graditur ore perverso, pravo corde machinatur malum, & omni tempore jurgia seminat.* Quæ mala non machinati sunt in Franciâ? quæ jurgia non semi-

a *Ecclesiastici* 37. b *Proverb.* 6.

seminarunt? quæ Regum jussa, quæ pacta toties iterata servavêre? Mirum profectò, tot domesticis calamitatibus eruditos necdum sapere, vel in tantâ causâ potius de industriâ sic velle desipere. Nónne ipsi ex professo docent, & ubicumque possunt, hæretici, usu clariùs, quàm voce clamant, nullam Catholicæ, ut blasphemant, idololatriæ dandam esse libertatem? Obsequium se putant præstare Deo, si eam aquâ & igne interdictam suarum ditionum limitibus proscribant, nisi aliud timor aut utilitas jubeat. Centuriatores ita profitentur: a *Considerent omnes sanâ tantùm mente præditi (non jam de piis, Deumque timentibus loquemur) qualis sit justitia vel æquitas, quàm conformis ipsi rationi, quòd latronibus ac lupis, hoc est, hostibus animarum (quid enim nocentius est animabus falsâ doctrinâ?) securitas & libertas permittitur, ut voce, stylo, librisq; longè la è que per orbem Christianum dispersis lucem verbi divini gloriæ Dei detrahant, spiritum turbent, animas hominum in æternum exitium, & regnum diaboli pertrahant?* Et Paræus b Calvinista: *Magistratus Christianus non debet confusionem in Religione permittere, sed solam veram Religionem tueri atque defendere.* Quam doctrinam eorum praxis per totum orbem, ubicumque securè dominantur, excluso publico Catholicæ Religionis cultu, probat.

In ipso Belgio, de quo quæstio est, quàm eis pacta de Religionis Catholicæ libertate libera sint, quid opus est sigillatim recensere? Tota factio ab eo die, quo inchoata est, usq; ad pactas Inducias, quemadmodum suprà vidimus, odium spirat in Catholicam fidem implacabile, professúmque in eluden-

a *Centuria 7. in epist. præfixa edit. an. 1564. Basileæ.*
b *In epist. ad Rom.*

eludendis pactis studium, quibus publicum Religionis antiquæ cultum se permissuros, diversis occasionibus receperant. Vix *Pacificationem Gandensem* pacti fuerant *a*, in quâ Religioni Catholicæ utcũque cavebatur, cùm Monasteria in Monte S. Gertrudis, aliisque locis alia solo coæquarũt.

Gandavi, *b* ubi conceptę Pacificationis leges, fugato Clero, templa Monasteriaque fœdissimè spoliata, & plerique Pacificationis articuli pessumdati.

Antverpię anno 1578. *c pax Religionis*, quam nuncupabant, generaliter coaluerat, quâ libertas Catholici cultûs, itemque Calvinistici, publicè in Belgio sanciebatur. Hac usi Calvinistę, multis in locis publicè suę superstitionis apparatum protulerunt, ędesque sacras occuparunt. Ubi invaluerant, mox palàm Catholicos depresserunt.

Amorsfortia, opidum exiguum, sed avitę fidei tenacitate nobile, bis pacisci de Religione compulsa fuit; bis eos perjuros & fœdifragos experta. Primùm se dedidit Comiti Montensi, & illius pręsidium accepit *d*, eâ lege, *ut Catholica Religio sarta tecta conservaretur, omnisque iconomachia cessaret:* quod Pręfectus, in editiori loco stans, publico juramento, invocato Spiritûs sancti numine, juravit. Sed ille ipse perjurus cũ suis, paulò pòst omnia templa, superioribus annis ab Iconoclastarum impetu defensa, diripiunt, aras evertunt, & sacra profanis miscent. Iterum septennio pòst dedita est Ultrajectensibus *e*, acceptis conditionibus *de conservandis privilegiis; promissâq; liberaliter Catholicæ Religionis conservatione.* Itaque medio in foro

a *An.* 1576. b *Ad an.* 1578. c 22. *Iulii anno* 1578.
d *Anno* 1572. e *Anno* 1579. *mense Martio.*

foro patibulum excitatum, ex quo pœnas luerent, qui in Catholicos insolescerent. Nempe Priapus ficulnus,

> — a *Furum aviumque*
> *Maxima formido.* —

Nam sequenti die, contra pacta præcedentis, Senatum mutant, Prætore officio submoto, alium subrogant, libertas Catholicæ Religionis exulat usque in præsentem diem.

Schoonhovia, cùm à Comite de Marck obsidione premeretur b, *vitam, fortunas, Catholicæ Religionis liberum exercitium, Religiosorum locorum personarumq́ privilegia*, in arce Lisveldiâ cum hoste pacta, deditionem fecit. Ille perjurus undecimo Kalend. Novemb. tēpla profanans, Ecclesiasticam supellectilē diripiens, aras subvertens, Sacramenta sceleratis pedibus conculcans, omnem Catholicæ Religionis usum exterminavit. Mox Religiosos Monasterii suburbani Canonicorū Regularium, alios vulneribus inflictis interemerunt, alios è nuce suspensos strangularunt, alium equinæ caudæ alligatum raptatumque, deinde antennâ sursum deorsumque immaniter tractum, suffocarunt.

Amstelredamum quando in Principis Orangii potestatem venit c, ita Religioni antiquæ lege caverat, ut ne quidem concionibus Calvinistarum in urbe totâ pateret locus, sed *ut his, qui aliâ essent Religione à Romanâ, facultas esset extra urbem cœtus habere, & concionari, mortuos suos loco designando sepelire.* Instrumentum fidei faciendæ Principis sigillo communitum est: Ordines Hollandiæ, Zelandiæ, & Ultrajectini, tamquam fidejussores, etiam

a *Horat. lib. 1. Sat. 2.* b *An. 1572.* c *An. 1578. 5. vel, ut alii, 8. Ianuar.*

etiam appenderunt ſua, cùm cives fraudem pertimeſcerent. Quis non in utramque aurem dormiret, tantâ ſecuritate fretus? Menſe Junio ſequente *a* tanta ſtrages in ædes ſacras, altaria, imagines edita, & in ſacra tot commiſſa ſacrilegia, ut furori & perfidiæ barbari palmam concederent. Ipſi Catholici tot ſcommatibus injuriiſque vexati, ut urbe cedere ſatius ducerent.

Harlemenſes hac inter cæteras ſe conditione tradiderunt *b*, *ut cives Catholicæ Religionis publicum uſum retinerent: Calviniſtis unam Eccleſiam habendis cœtibus & concionibus concederent*. Utrimque pactum ab Antiſtite Harlemenſi & Orangio ſubſcriptum eſt. Vix anno elapſo *c*, feſtâ Sanctiſſimi Sacramenti die in templum irruunt, Antiſtitem capiunt, Clerum pulſant, partem vulnerant, unum occidunt; mox oppreſſum Catholicæ Religionis exercitium.

Sed fortè novæ Religionis muſto in cordibus tunc ferventi vertigo illa infidelitatis & ſcelerum tribuenda eſt. Videamus igitur, quàm bellè ſibi ſimiles adoleverint. Neomagum, cùm jam illa initia deferbuiſſent, in deditionis articulis, quos pepigerat *d*, unum obtinuerat, *Ne Eccleſiæ violarentur*; etſi negatâ Catholicæ Religionis libertate. Sed Kalendis Januarii deſignati ex Geldriæ Senatu viri veterem Magiſtratum abdicant, Monachos fugant, Sãctorum effigies in forum productas per carnificem comburunt, Decanum & Canonicos captos ad Eccleſiarũ opes demonſtrãdas adigunt.

Decẽnio pòſt *e*, Gravia Francis adjutoribus expugnata, & duabus inter cæteras pactorũ legibus tradi-

a *An.* 1578. *Iunio ineunte.* b *An.* 1577. c *An.* 1578. *in feſto SS. Sacramenti.* d *An.* 1592. e *An.* 1602. 20. *Septemb.*

tradita est. Quarta erat: *Quibuslibet, sive viris sive fœminis, sive Ecclesiasticis sive laicis, qui Catholicam Religionem profitentur, licitum erit in oppido commorari; tranquilleque vivere, sine injuriarum & exprobrationis metu. Quibus & Ecclesia concedetur, devotionis eorum, baptismi, & matrimonii celebrandi causâ.* Quinta verò: *Omnes Monachi & Religiosæ in Monasteriis suis permanebunt, si placuerit, suisq; fruentur bonis ac reditibus.* Utrique ad Kalendas Græcas Ordines facient satis.

Quid multis? Totus istorum hominum status non nisi perpetua quędam perfidię tela est in Catholicam Religionem. Mentior, nisi illa ipsa pervulgata *Vltrajectensis Vnio* a, unde nomen *Vnitarum Provinciarum* ferunt, eos publicâ luce convincat. Inspiciatur articulus Unionis decimus tertius, quo conceptis verbis decernunt b, *Cæteris Provinciis, præter Hollandiam ac Zelandiam, licitum esse juxta Pacem Religionis jam conceptam vivere.* In hujus autem Pacis plerisque articulis publicum templorum Catholicęque Religionis exercitium sanciebatur, concedebaturque Religiosis omnibus bonorum suorum usus. Adjuncta fuit Unioni Kalendis Februarii quędam c *Explicatio,* quâ declararunt, se non excludere ab hac Unione ullas urbes aut Provincias, quę etiam *solius Catholicæ Religionis usum retinere vellent.* Ubi jam fides in hac parte istius tam celebratę juratęque Unionis? ubi observantia? Risu exploderent, imò proditionis arcesserēt, eos, qui eam vel observandam, vel revocandam somniarent. Barneveltius ipse aculeos eorum sensit, cùm eam in nonnullis articu-

a *Conclusa est Vltrajecti an.* 1579. 13. *Ian.* b *Art.* 13. 14. *&c.* c *Art.* 10. *eodem an.* 1579.

articulis, quia jurejurando ſancitam, etiam obſervandam contenderet. Audi Petrum Holderum, pſeudo-Miniſtrum Euangelii, retundentem libertatem ejus a: *Profectò ſi Vnio Vltrajectina ſervanda ſit, ut tu urges* (Barnevelti) *tunc omnes Papiſtæ triumphabunt, qui liberrimè tunc omnes ſuas Miſſas facere poterunt. Imò ſi artic. 13. ſervari debeat, omnes Monachi revocandi erunt in omnes fœderatas Provincias, omniaque Eccleſiaſtica bona & Monaſteria illis reſtituenda. Domini mei Status, videte, quò ruat ille cum ſuo Arminianiſmo. Súntne hæc conſilia Hiſpanica, & excitationes luporum dormientium?* Hæc eſt fides legum atque pactorum quorumcumque de Catholicâ Religione, quam iſtud hominum genus univerſum Catholicis ſe debere arbitratur. Quærat enim quiſquis volet, promiſſionum iſtarum omnium præcedentium, quantumcumque ſubſcriptarum, ſigillatarum, juratarum veſtigium, nullum profectò niſi in pactorum chartaceis inſtrumentis, ſcriptiſque libris, inveniet: irrefragabile ſcilicet Calviniſticæ fidelitatis teſtimonium ad tuendam Catholicis promiſſam libertatem. Qui jam deinceps fallitur, ſibi imputet, quem nondum alienæ calamitates cautum reddiderunt.

a *Petrus Holder.*

## CAPVT XXIX.

*Vberiùs hoc oſtenditur ex poſtremâ expeditione Batavorum & Francorum in Brabantiam, & excidio Thenenſi.*

SEd quamvis nulla hujuſmodi experimenta præceſſiſſent, quid, rebus ipſis in ſe conſideratis, imprudentius excogitari poteſt, quàm ut ab hære-

hæretico, hoc est, à jurato Catholicæ Religionis hoste, patrociniū Catholicæ Religionis exspectetur? Mitiores forsan suspicaberis antiquæ fidei esse Batavos, odioque hæreseos nimiam de hæreticis diffidentiam me concepisse. Utinam mendacem stylum veritas convinceret! Facessant hinc igitur conjecturæ: res ipsas gestas non quorumcumque perduellium antiquæ Religionis, sed horum ipsorum intueamur, de quibus quæstio est, quas non in ipsis profanæ novitatis incunabulis, sed hoc ipso tempore, hâc ipsâ postremâ expeditione Brabãticâ, quâ libertatem Religionis Catholicæ toti Belgio, adjutoribus Francis, venditabant, incredibili immanitate perpetrarunt. Necdum fines Leodiensis ditionis egressi erant, cùm animos injuriis Catholicæ fidei gravidos in Hougardiam, Leodiense municipium, Brabantiæ contiguum, tamquam pertæsi diuturnioris moræ, laxare cœperũt. Invaso siquidem Bogardorum Cœnobio, pulsatisque & fugatis Religiosis, quorum nonnulli Lovanium se proripuerunt, vestigia reformationis Calvinianæ luculenta reliquêre. Hinc Thenas adorti, universum furorem suum in Ecclesias, omniaque sacra tantâ impotentiâ effuderunt, ut, quemadmodũ natura sparsas totius universi perfectiones in microcosmum velut compendium contraxit, ita quidquid ignominiosum probrosumque adversus Catholicam Religionem infernus olim evomuit, Historiæque sive veteres, sive novæ, posteritati tradiderunt; hoc in unius oppiduli expugnatione, cui videlicet libertatem Catholicæ fidei inferebant, cumulatissimè expressum sit. Ecclesiæ & Monasteria universa fœdissimè violata, altaria eversa, fractæ & illusæ Sanctorum

Deique

Deique Genitricis effigies, non sine execrandis in omne quod sanctum est blasphemiis. Ignis templis atque ædibus ex omni parte vicatim injectus, non impetu militari, sed postridie, quieto destinatoque consilio, fascibus magno numero & labore in ædis majoris turrim aliaque loca cõgestis, ut Calviniana impietas, & Neroniana crudelitas haberet spectaculũ, quo pasceretur. Nosocomium unà cum ægris exurere, parum erat, nisi rabies etiam civibus, militibusque Regis igne excruciandis gestiret. Ustulatos ac semitostos in oppidis proximis non pauci nec sine ingenti ejulantium commiseratione, spectarũt. Raptos ab ubere infantes, spectantibus matribus, parietibus allisêre, pugionibus confodêre, ignibus injecêre: quorum complures in ædiculâ Beatæ Virginis, vulgò ten Poele/ mortuos, & in cruore suo volutatos, posteà civitas vidit. Diversorum Ordinum Religiosi barbarâ excepti crudelitate. Alii *a* vestibus indecorè nudati, & impudenter illusi: alii *b* percussi, pluribusque vulneribus, ad *c* undecim usque, graviter sauciati: alii *d* equis impositi, & instar morionum, vestibus cucullóque lacero, & femoralium incisis retinaculis, per forum vecti: alii plures *e* crudeliter occisi. Pecuniis extorquendis nulla tormẽta erant satis. Senes verberibus tantùm non enecati, pulvis nitratus fæminarum uberibus impositus, incensusque, ut spoliati omnibus, plura, quàm suppeterent, faterentur. Denique ad miseriarum cumulum omnibus, velut captivis, ad fæminas puerosque octennales usque, lytrum extortum, & in rogum bustumque versa civitas.

Quæ

*a* Franciscani, Carmelitæ. *b* Iidem. *c* Franciscanus. *d* Augustinianus. *e* Franciscani.

Quæ non ludibria & ſacrilegia in Auguſtiſſimum iſtud Angeliſque tremendum Sacramentum, univerſumque Sacrificii incruenti apparatum conjecerunt? Alii ornamenta ſacra per plateas publicas raptare; alii caſulis induti ad tibiæ modulos canere, geſticulari, tripudiare; alii ſacratiſſimam Hoſtiam flammis tradere, pedibus in templis Annuntiatarum & Carmelitarum, aliiſque locis conculcare, cultris conciſam in equorum pabulum ſpargere; alii pyxidem, quod Ciborium vocant, equorum caudis alligare, & ſpectante gementeque oppido, aquatum ducere: ut & cives diſcerent, quos liberæ Religionis auctores vindiceſque recepiſſent, & Franci, ludibriorum ſpectatores, tandem rebus ipſis intelligerent, quibus impietatis furiis cooperatrices præbuiſſent manus, quàm commentitiis nugatoriiſque phaleris veritas in Galliâ fucaretur, populuſque Gallicanus & Rex ipſe luderetur. Hæc ignominioſa atrocitas in pleraſque Eccleſias ditionis Thenenſis ac Lovanienſis, quò rabies eorum pertingere potuit, inſolentiſſimè edita eſt; ne quis potius furorem ſubitum militarem, quàm ſtabile antiquæ fidei odium partes ſuas egiſſe putet. Nam quibuſdam in pagis, intactis incolarum ędibus, ſola templa conflagrarunt: quibus pepercit ignis, tot ubique ſacrilegiis polluta ſunt, tantâque ſacrarum imaginum altariumque ſtrage profanata, ut Saracenicam impietatem ea pervaſiſſe, imò ſuperatam eſſe, meritò credas. Saracenis enim imagines Divorum ſuſtuliſſe ſat eſt: iſtis profanitatis coryphæis nullum ignominiæ genus in Catholica ſacra, in Sanctum Sanctorum, humanæ imbecillitati attemperatum; in Sanctos ejus, reliquum fuit. Statuis eorum me-

moriam refricantibus aliis truncarunt manus, aures, nares, aliis asininas aures affixêre; aliis alia probrosa intulêre, cujusmodi religiosis auribus audire, & linguis fari piget ac tædet.

Crudelissimas eorum libidines, & petulantissima flagitia, quæ in infirmiorem sexum, dedicatasque Deo Virgines commisere, vel attingere horret stylus. Nam in oppidulo, quod eos neque contumeliis provocaverat, neque obsidionis prolixitate fatigaverat, neque resistendi pertinaciâ, nobiliúmve Ducum morte exasperavetat, sed quod contra fidem datam, interfecto etiam in mœnibus tympanistâ Caduceatore, inter pacifcendum occupaverant; tale specimen humanæ æquitatis, & Calvinianæ humanitatis ediderunt, ut quidquid vel Scripturæ ab idololatris, vel Historiæ sæculares à barbaris designatum posteritati commendarunt, vel fingendi licentiâ Poëtæ cecinerunt, longè superaverint. Revolvantur quæ vel à Suecis in Germaniâ, vel olim Jerosolymis à Chaldæis Romanisque in hoc genere perpetrata sunt, vel quæ Chalcondylas, oculatusque testis Phranza Cõstantinopoli edita à Turcis produnt, omnia petulantiæ impietatisq; magnitudine post se reliquerunt. Nùlla ætas, nulla professio aut status libidines eorum infames non expertus est: nec octennibus, penè ad mortem usque, aut septuagenariis effœtisque parcitum. Nudas non paucas, quibus illuserant, in plateas publicas, atque adeò extra oppidum expulêre, quarum nonnullas, omnibus exutas vestibus, jugulatos infantes ulnis complexas, ad vicina notaq; omnibus loca fors errabũdas detulit. In sacras Virgines, velut preciosã prædam, vulneribus & ignominiâ insolentius sæ-

vitum ac petulantiùs. quarum uni cùm vim afferre in æde S. Francisci Francus niteretur, moneretúrque esse dedicatam Deo; *Deo*, inquit (ô blasphemam vocem!) *affigenda cornua*, perfecitque scelus. Conjugatas in conspectu maritorum, filias in oculis parentum, ad ludibrium oppresserunt. Nec Benjamiticæ impietatis in uxorem Levitæ exemplum, vel exempla potiùs defuêre. Sedecim, viginti, triginta, imò, quod constanter asseritur, octoginta & plures, unâ abutebantur, canum instar de prærogativa certantes, quoad probrosæ crudelitatis contumeliam etiam mors abrumperet. Quantò Benjamitis fæx ista sceleratior! Nam illi noctis pallio ab oculis hominum tecti; hi, hircis petulantiores, canibúsque impudentiores, die mediâ, cælo soloque teste, in ipsis plateis adeoque templis S. Germani, B. Virginis, Franciscanorum, Carmelitarum, Scholisq; Augustinianorum, non exiguâ capientiũ captivorumq; turbâ circũstante, immundissima huiusmodi & sacrilega flagitia designarunt: unde nõ paucas sub manibus Medicorum Lovanii ac Trudonopoli decumbere explorata veritas est. Quid illud? quas non Cynicæ impudentiæ, ac satanicæ impietatis metas transiit? Puellam, quam stupraverant, in sacri mensâ altaris mortuam extenderunt, ut omnibus esset spectaculo. Ab aliis pluribus, gladio transverberatis & mortuis, eos rapuisse constat, quod à viventibus rapere effrenis lasciviarum obscœnitas solet. Nempe tartareus istorum ardor in frigidis cadaveribus exstinguendus fuit. Quæ inaudita barbaries in fœminam penè septuagenariam, morbis gravissimis exhaustam, omnibúsque exutam vestibus, in ipsa æde S. Germani crudelissimè

lissimè crinibus raptatam, tormētisq; talibus interfectam, perpetrata est. Erubuit, arbitror, Luna, & confusus est Sol, quòd vel execranda ista scelera, vel progeniem ipsam totam viperarum, radiis umquam suis collustraverint. Nec multò mitiùs aut verecundiùs in rusticanas mulieres, tum in quibusdam pagis, tum per Sogniam silvam lenones isti grassati sunt. Nihil invidiæ causâ exaggero. Testes vivunt, qui invitis oculis ista nefanda spectavêre, & corporibus passi sunt; ut jure merito cum Israëlitis in Israël Christiano exclamare possimus a: *Numquam res talis facta est in Israel, ex eo die, quo ascenderunt patres nostri de Ægypto, usque in præsens tempus.* Quisquis enim inde redit, scelerum infamiam ac turpitudinem linguas humanas excedere profitetur.

Has Religionis injurias & abominationes Francis Batavi, Batavis Franci imputant, ut utrosque reos teneamus. Quamvis, Thenensium judicio, Batavi in sacrilegiis, incendiis, crudelitate, incestibus committendis; cum Gallicana petulantia & insolentia, ut minimùm de palma contenderint. Scelerum verò enormitas & sacrilegiorum tanta fuit, ut ipsosmet in sceleribus coëgerit erubescere, nec impudentiæ impietatisque magnitudine, naturæ reclamantis voces exstinguere potuerint. Nam, quæ extrema adhuc naturæ bonæ scintilla est, quos ea perpetrasse non puduit, puduit videri perpetrasse. Hinc etiam inter ipsos illos facinorum auctores auditæ subinde conscientiæ oblatrantis voces: *Si Deus est aliquis, & ille justus, fieri non potest, quin ista impietas ei pœnas luat.*

Et ista monstra, non hominum, sed scelerum, etiam ab Hispanica tyrannide, si superis placet,

a *Iudic.* 19.

Belgicas Provincias ſe liberatum ire profitentur; quorum impiiſſimæ crudelitati, & crudeliſſimæ impietati quælibet barbarorum cedit immanitas. Præclariſſimo humanitatis iſtius tirocinio Belgas docuerunt, ut Romanâ potiùs fortitudine ſenatorios annulos, mundumque muliebrem in belli ſumptus conferant, & Chriſtianâ pietate ſacra vaſa Antiſtites confringant, vomereſque ruſtici in gladios vertant, quò peſtes iſtæ Reipublicæ & Eccleſiæ à cervicibus arceantur. Nam & Dionyſii enſis, & Phalaridis bos, & Buſiridis ara, quæ paucorum nece decantata ſunt, expertâ iſtorum tyrannide tolerabiliora. Nihil enim vel humanæ æquitatis, vel Chriſtianæ pietatis præ ſe ferunt, niſi ut ſub Chriſtiano velamine, Chriſtianæ Religionis fæx & opprobrium eſſe queant. Ὦ καλὲ θεὲ, ut cum Polycarpo a dicam, εἰς οἵους ἡμᾶς καιροὺς τετήρηκας, ἵνα τούτων ἀνεχώμεθα! *O bone Deus, in qua nos tempora reſervaſti, ut iſta patiamur!*

Cogitet nunc Chriſtianiſſimus, uti dici cupit, Rex, quem etiã ſubinde Juſtum, Gallicanâ phraſi, ſpe melioris frugis, hactenus vocavimus, quàm præclaro auſpicio Catholicæ Religionis, hæreſis, inquam, Calvinianæ, libertatem Belgio Catholico inferre aggreſſus ſit. Cogitet iterum atque iterum, & cum ipſo Belgæ univerſi, quibus furiis inferorum, veræ cœleſtiſque Religionis arbitrium committendum ſit. Nam eadem obſeſſi quoque Lovanii, cæterarumque civitatum occupandarum, fuiſſet haud dubiè quantum ad Religionem ſors (quemadmodum pagorum in territorio Lovanienſi ac Thenenſi fuit) niſi benignior Deus illa purpurata impiaq; conſilia diſturbaſſet.

a *Apud S. Iren. in epiſt. ad Florin.*

bassset. Erumpebant subinde ex fossis militaribus Batavorum obsidentium fremebundæ voces, quibus dira Papis, hoc est, hæreticorum phrasi, Presbyteris, quibus Lovanium refertum est, ac Religioni minabantur: ut maturè intelligerent, quam libertatem Religionis Catholicis afferre meditarentur. Franci ipsi, quorum plerique se Catholicos dictitabant, ingenuè se ignorare fatebantur, quo fuco talia coram sui Regis oculis induci possent. Sed quemadmodum quando distorta regula velut recta approbatur, quidquid eâ metimur, expers esse erroris videtur: ita, postquam Theologia Principum Ecclesiæ rigorisque cœnobitici, statûs ancilla esse cœpit; nihil in Religionem tam perversum, nihil tam sacrilegum, quod non imperitorum oculis æquitatis colore fucari queat. Nulli enim errores faciliùs nequiusque instillantur, moribusque periculosiores sunt, quàm qui à morum magistris obtentu veritatis propinantur.

Ex quibus profectò liquidò perceperit, quisquis non de industriâ delirare velit, quam Catholicæ Religionis libertatem à talibus novis Dominis præstolari debeat: cùm ex professo nihil aliud hac militiæ Batavicæ Gallicæque consociatione agi manifestum sit, (quod hoc loco præcipuè in culpam trahimus) quàm ut hæresis Calviniana, omniaque ei cognata sacrilegia, in universo Belgio Catholico, unde hactenus tantâ sanguinis effusione exclusa sunt, securè dominentur. Hoc ipsa typis edita vulgataque Precum formula, quibus hanc expeditionem in Provincias obedientes auspicatam Batavi reddere conati sunt, apertiùs clamat, quàm ut ullâ Gallicâ astutiâ aut fuco tegi queat. Orantes enim, aut execrantes, di-

cunt Deo: *a Tu scis, Deus, quas ob causas noster Iosue cum omnibus copiis suis arma procul extra limites nostros ferat. Nimirum, ut illi miseri innocentesque liberentur, qui jam tot annos contra mentem atque conscientiam coacti sunt idola venerari, & vi impediti fuerunt, ne nomen Salvatoris* JESU *Christi juxta verbum ejus confiterentur; utque pura verbi tui prædicatio in medio idololatricarum Provinciarum non modò plantetur*, &c. Et infrà non minùs luculentè: *b Tu scis, ô Domine, tu scis, nos hac de causa potissimùm adversùs inimicos nostros bellum gerere, qui ferre non valent aut volunt, ut salutem nostram in sola tua gratia, & Filii tui meritis quæramus; sed adigere nos volunt, ut ad eam per propria merita, per preces defunctorum Sanctorum, per peregrinationes,* aliaq;

*a* In het Huys-ghebet ghemaeckt op dese teghenvvordighe Eede-daghen in dese ghevaerlijcke Heyrtochten des Doorluchtighen Prince van Orangien, buyten de Provincien: ghedruckt te Gorinckum voor Adriaen Helmischsz. anno 1635.

O rechtveerdighe yverighe Godt / ghy weet om wat saken onsen Iosue / met alle sijne Heyr-crachten te velde is / verre buyten onse Landt-palen / omme de arme onnoosele menschen te verlossen / die soo menich iaer teghen haer ghemoet ende conscientie ghedwonghen zijn gheweest d'Af-goden te eeren ende te dienen / ende door ghewelt en dwangh ghehindert den naeme IESU Christi haers Salighmaeckers naer sijn woort te belijden / ende om de suyvere verkondinghe dijns Goddelijcken woorts in't midden vande Afgodische Provincien niet alleen neder te planten / maer oock / &c.

*b* Ghy weter / o Heere / ghy weter / dat wy den oorlogh principalijck daerom teghen onse vyanden hebben / die niet connen oft willen verdraghen / dat wy onse salicheyt alleen soecken in uwe grondeloose ghenade / ende verdiensten IESU Christi: maer willen ons dwinghen / door eyghen verdiensten / door voorbiddinghe der af-ghestorven Heylighen / door Bedevaerden ende andere versierde Afgodische insettinghen / onse salicheyt te soecken / &c.

*aliaq; commentitia idololatrica instituta nitamur*, aliaque plura in hanc sententiam.

Sentísne tandem, Rex qui te Christianissimum dicis, cernísne, tangísne manibus, non solùm ex eventis tam funestis militiæ tuæ, sed ex verbis ipsis, ac professione Batavorum, quo scopo bellum istud gerant? cui proposito arma tua sociaveris? quorum facinorum atque flagitiorum impietas redundet in caput tuum? quibus præcisionibus metaphysicis illudant Purpurati Religiosiq; Proceres, Aulæ, Clero, militibus tuis? quibus denique præsidibus libertatis arbitrium Religionis tuæ committi tanto armorum tuorum strepitu velis? Hoc verò si non solùm permitti, sed tanto conatu tuo, directè, ut profiteris, & ex professo procurari potest, omnia me, fateor, Theologiæ principia, omnia juris humani divinique fallunt. Quâ de re in superioribus jam satis diximus.

## CAPVT XXX.

*Item ex indole hæreseos, præsertim Calvinianæ; ex lege capitali Statûs Batavici. Epilogus de ista Religionis libertate.*

QVòd si verò veterum monumenta jam inde ab hæreticorum exortu inter Christianos arcessamus; non arbitror in Catholicas mentes hactenus illam absurditatem incidisse, ut fidei suę libertatem ultrò hęreticorum fidei committerēt, & ab eorum benignitate suspenderent. Necessitas est quidem durum telum; sed illa crudelissimas quoque persecutiones, nedum precariam aliquam Religionis libertatem ab hęreticis exspectandam, tolerari ac devorari facit. Est enim certa hæresis

cujuscumque, præsertim Calvinianæ, lex, ut, ubi dominatur, affectet solitudinem, juxta decantatam ab eis Scripturarum vocem *a* : *Populus solus habitabit*, *& inter gentes non commorabitur.* Ubi verò cum cæteris Religionibus pacem tantillùm colunt, potestas eos, non voluntas deficit. Nec tamen ideò mansuetiores sunt. Non enim propterea mansueta bestia, quæ neminem vulnerat, vocari debet, si tantùm dentibus & unguibus suis ad nocendum caret. Sed indolem eorum genuinam intuere, ubicumque sæculari potestate prævalent, neque seditiones oppressorum Catholicorum timent. Anglia, Scotia, Saxonia, Pomerania, Marchionatus Brandeburgicus, Suecia, Norvvegia, Dania, velut in tabula depictos eorum ostendunt mores. Catholicis pro libertate Religionis adipiscendâ nec hiscere quidem fas est. Intrarunt ut advenæ; ut Judices jam Catholicis legem ferunt. Provinciæ confœderatæ quid? Nec angulus est quidem unus, ubi publicæ species libertatis reliqua sit. Vix captâ Silvâ-Ducis, duobus Edictis *b* antiquæ Religionis usum publicum ab omnibus ædibus sacris ac Monasteriis illius urbis, & octoginta parochiis proscripserunt. Imprudentia est, meliorem in urbibus nuper deditis conditionem expectare. Illecebra enim credulis fidisq; naturâ Belgis & Catholicis, alienam fidem ex sua metientibus, data est, quâ inescatos occupent, occupatis capitales illas leges, quibus tota Reipublicæ rebellis machina velut basi nititur, Batavicę dominationis imponant. Est autem inter eas prima Reipublicę istius reformatę lex, (pro qua hacte-

a *Numer.* 23.
b Primum datum est 20. Octobr. Silvæ-Ducis 1629. Alterum Hagæ-Comitis 13. Novembr. 1629.

hactenus decertarunt, quam nullis blanditiis, aut minis, aut Catholici populi postulatis, extorqueri sibi permiserunt) *Religio Acatholica publicè exercenda*. Sine istius inviolabili observatione constanter hactenus se salvos esse non posse, crediderunt. Vehementissimè semper timent, ne similitudo Religionis, quam legitimus subditorum Princeps colit, similitudinem gignat affectuum, quorum pietate mollita conscientia ad dominum suum postliminiò reverti velit. Vidit hoc Jeroboam olim, & exemplum, quod sequerentur, Batavis propinavit. Divulso Salomonis Regno, mox aliũ ementitæ Religionis cultum condidit, ne propter Mosaicum, *a converteretur cor populi ad Dominum suum*. Hanc legem nemo prudens in Provinciis confœderatis abrogandam speret, nisi fortè cùm Rex Calvino nomen dederit. Nam quemadmodũ hactenus nova superstitio dux rebellionis fuit, ita tũc rebellio superstitionis erit. Calvinismus enim jam strenuè politiâ temperatus est. Calvino, Luthero, Arminio, Gõmaro, Deo ipsi renunciabunt, dum sibi prosint, atque Hispano noceant. Lex eis ista ab ipso primo Reipublicæ Batavicæ architecto pręformata, profundissimeq; visceribus insculpta est. Cùm enim Ducẽ Alençonium, Regni Gallici successione excidere timẽtem, si se Provinciis hæresim propugnãtibus interponeret, ab illa mente Orangius revocare niteretur, sic omnes in uno ipso filios suos instituit: *b Agi de Provinciis conquirendis, eâq; in re nullã Religionis habendã esse rationẽ: vel eam ob causã, quòd fingi semper possint & inveniri rationes, Religionem ad vota subditorum, & causæ statũ alterandi*. Hæc est eis norma Religionis, ac colẽdi

 Dei:

a 3. *Reg*. 12. b *In liter. ad Ducem Alenson an*. 1582.

Dei: hæc ſervandarum Catholicis regula promiſſionum. Rege igitur Religionem ſuam immutante, mutabunt & ipſi ſuam, ut ſalva ſit Reſpublica. Quòd ſi verò Religionis antiquæ fides altioribus radicibus in Hiſpanorum Regum pectore defixa eſt, quàm ut evelli tam citò poſſit; fruſtrà lapidem Reipublicæ iſtius novæ angularem à Batavis ita movendum ſperes, ut ſolidam tibi Catholicorum rituum libertatem, cum aliquâ veri ſpecie pollicearis. Optimè norunt, publici cultûs unitatem, unionis auctorem eſſe. quod infelici proprię experientię felicitate probaverunt. In eligendâ dumtaxat Religione ab eis, non in conſervandâ unitate, peccatū eſt. Servabunt igitur pacta Trajectenſia de tolerandâ Catholicorū libertate, quamdiu fundamētalis Reipublicæ ſuæ proferendæ tuendæq; lex contra Hiſpanum juſſerit. Spem illam eis tolle, creſcant Catholici illo libertatis indultæ beneficio, mox habenas contrahent. Mille cauſandi anſas tēpus, occaſio, induſtria, ratio Statûs ſuppeditabit. Periculum, proditiones, inſolentias Catholicorum, pravam pactorum intelligentiam conquerentur. Non conjecturis, ſed rerum jam jam geſtarum fide nitimur. Quæ non ludibria in Catholicos, eorumque ſacra, poſt captas urbes Trajecti & Ruræmundæ jacta ſunt? Sanctorum ſtatuæ, aliæ publicè proſtantes fractæ, aliæ brachiis, naſo, capite mutilatæ: ſtipitibus infixa capita, & præ foribus honeſtorum civium noctu collocata. Genus hoc tormenti lepidus Calviniſtis luſus eſt, ſed ingenuis, vereq; Catholicis, quorum judicio imaginum ludibria in prototypum redundant, ipsâ morte crudelius.

Sed aliud capitale nuper Catholicis telum intenta-

tentatum est. Petierunt cives quorumdam vectigalium, quæ vulgò *Convoy* vocantur, juxta pacta conventa, immunitate frui. Scripto responsum est eis benè longo a, *Statum unitarum Provinciarum vectigalibus illis tamquam fundamento niti, ex quibus omnia belli gerendi subsidia hauriantur. Hinc nullo modo pacta Trajectensia sic intelligi posse, ut inde vel exceptio vel immunitas aliqua trahatur adversùs illam fundamentalem Reipublicæ suæ gubernandæ legem. Eos, qui conditiones istas pacti sunt, potestate caruisse paciscendi; juxta illum sensum qui prætenditur*, &c. Denique concluditur: *Vt ut se res habeat, causam illam Trajectensem non tam ex ratione ponderandam esse, quæ in pactis prædictis fundari posset, concordiaq́ꝫ Trajectensi, quàm juxta magnum interesse, malumq́ꝫ exemplum, quod inde in populum redundaret*, &c.

En vobis, Trajectenses, tres secures ad radicem arboris, hoc est pactorum vestrorũ, positas, *Legem*



a Responsum Civibus Trajectensibus datum anno 1633.

Dat den staet vande Vereenighde Nederlanden grondelijck bestaet inde Licenten ende Convoyen / waer uyt alleen de middelen van Oorloghe moeten eyghentlijck ghehaelt ende ghefurniert worden.

Dat daerom de capitulatie vande Stadt Maestricht by gheender manieren en mach soo verre verstaen worden/dat daer uyt eenighe exceptie ofte exemptie soude uyt ghewrocht worden teghen den voorsz. fundamentalen voet ende forme van dese regeringhe.

Dat de gene die de selfde capitulatie gemaeckt hebben/ gheen macht en hebben ghehadt / om die te raemen ende te sluyten met alsulcke verstandt ende effect/ als nu wordt ghepretendeert byde remonstrantie vande Gedeputeerde der selver Stadt / &c.

Dat daeromme in allen gevallen dese saecke van Maestricht niet en moet soo seer ghetracteert worden naer de rede of wet/ die daer souden mogen gebouwet worden op de voorsz. capitulatien ende concordaten van Maestricht/ als naer het grouwelijck interest/ eñ quaede consequentie/ die re ipsa daer uyt resulteren soude tusschen het volck, &c.

*fundamentalem*, *Interesse*, & *Malum exemplum Reipublicæ*; quibus omnes quarumlibet conditionum pactarum fibræ uno ictu succidantur. Primus in vectigalia letalis impactus est: hinc ad privilegia, Religionemque faciendus gradus. Nam ut naturâ, ita & vitio, *non primum, quod spiritale, sed quod animale.* Occasionem facilè tempus dabit: si non nascitur, seminabitur. Quid enim magis in promptu ingeniis ad politiæ strophas eruditis, quibus, ut hîc cernitis, Principatus arrepti salus suprema lex æquitatis est, & norma conscientiæ?

Sed quid tyrannis Batavis de exstinguendi Catholici cultûs causâ modoque laborandum est, à quibus jam capitale versutumque stratagema, non minùs adversùs Catholicorum civium Religionem, quam devotam Principi fidelitatem, ipsorumque libertatem usurpari cœpit? Quò enim istud spectet, quòd immensis præsidiis ubique neophytos suos cives opprimunt, commercium intercipiunt, enormibus vectigalibus exhauriunt, planissimeque cunctos ad restim adigunt, perquàm liquidò perspicaces vident. Nempe jam Silvæ-Ducis experti sciunt, Regiæ libertati assuetis animis intolerabile esse Batavicæ tyrannidis jugum. Itaque constantiores quosque arbitrantur fato suo morituros, tædio, tristitiâ, oppressionis duritiâ migraturos, fæces fore prædam suam: exteris gregalibus suis implendas domos, templa, forum. Ita timore liberabunt statum suum, liberi exercitii sponsione fidem suam. Vacuis enim Calvino dominanti relictis civitatibus nec ipsi quidquam adversùs pacta de servandâ libertate perpetraverint, nec quisquam reliquus fuerit, qui de injuriis violatæ libertatis vel velit vel audeat queri.

Hic

Hic ſcopus inchoati tyrannici ſtratagematis, quo jam pars non exigua civium defuncta, vel diſſipata eſt: alteram brevi, eâdem procellâ perpetim ſæviente, diſſipabunt. *Minimus a* enim *digitus* Ordinum confœderatorum *groſſior eſt dorſo patris* eorum. Quibus pater blanditus eſt, vel quos ſubinde tamquam *filios flagellis* juſtæ diſciplinę cecidit, ipſi *cadunt ſcorpionibus*: ut, quibus paterna Regis benignitas quandoque ſubmoleſta fuit, nunc divina in ſe judicia venerentur. Habent enim hoc ferreo jugo preſſi ex humana iniquitate futurarum calamitatum pręludium, ex divina æquitate patientię tirocinium. Sic ſubditi, quid inter patrem novercamque ſit diſcriminis, experimento diſcent, ſi qui ratione ſapere noluerunt.

Quapropter, ut ſermonem iſtum de egregiâ Religionis libertate nuper indultâ finiam, Catholici Belgę etiam atque etiam videant, ne umbram avidè ſectando, veritate fruſtrentur. Sciant non tam Batavicum iſtud, quibus animus adverſùs Religionem, quam damnarunt, obduratus permanet, quàm Gallicum commentum eſſe; ut, illâ pręſtigiarum fallacia præſtrictis Belgarum oculis, hoc agi non animadvertant; ut, quidquid Provinciarum fidei & Regi reliquum eſt, tyrannicum iſtud Batavorum ſuſcipiat jugum, atque ita Provinciis à Rege ſuo ſeparatis, & Religione hęreticorum arbitrio ludibrioq; proſtitutâ, ſine ſpe redintegrationis, pietas avita fideſq; deleatur. Nimirum *ut imperium evertant, libertatem præferunt; ubi everterint, ipſam aggreſſuri.* Quam nunc venditant libertatem Religionis, Gallicæ dominationis

 ancil-

a 3. *Reg.* 12.

ancilla est. Si Status eorum Batavicis armis indigeat, aut Batavicus Gallico formidolosus fiat, nec hiscere quidem adversùs Batavos audebūt Galli, ut Catholici oppressi promissâ Religionis libertate potiantur. Nec verò hili istam Religionis libertatem facient, si Gallicis prętensionibus importuna fiat. Fucum quidem prætexunt fallaciæ speciosum, deesse Catholicæ Majestati voluntatem aut vires tuendi vinculi illius, quo Provinciæ sub illo in unam Catholicam Religionem, atque in unum corpus salubriter constringantur. Sed benè habet, quòd inanibus fabulatorum vocibus atque votis tempus & eventa detraxerint fidem. Iam enim omni probatione luculentiùs orbi terrarum patefactum est, illum unicum esse Regem, cui plus virium, voluntatis ac studii est, addo & obligationis, quàm universo reliquo orbi Christiano, ut istæ Provinciæ sub unius Principatu, concordi unitatis Religiosæ civilisque vinculo constrictæ maneant, & ita Capite concordiam illam influente, altera alterius auxilio fulta, incolumis, hostibusque fidei ac Reipublicæ invicta perseveret. Oculos per hujus Monarchæ Imperium circumferat ab Oriente in Occidentem, quisquis vel invidus volet, neque Paganis, neque Iudæis, neque hæreticis libertatem, neque prece indultam, neque pretio toleratam experietur. Ubique Synagogæ disturbatæ sunt, templa deorum clausa, conciliabula hæreticorum gemunt. Quantum inde vulnus ærariis Regis inflictum sit, quid attinet dicere, cùm res ipsa omni testificatione luculentiùs clamet? Sed vincit amor fidei, & cupido propagandę pietatis, quam sibi cum sceptris, & præ sceptris, commendatam tuendamque suscepit. Hæc illi

norma

norma principandi capitalis est. Subditos enim habere velle, Regum superborum esse putat; qualescumque, Paganorum; fideles Deo, Catholicorum. Ex quo Religionis ardore effectum est, ut, cùm Philippus II. Provincias istas in Heroinam augustissimam Isabellam filiam suam donatione transferret, expressis verbis, arctissimaque, super omnes adjectas leges, caveret conditione a; *Vt, si qui posterorum heredum Isabellæ à Catholica Religione discederent, atque in hæresim laberentur, post Pontificiam delicti declarationem, omni administratione Provinciarum istarum, & possessione, & proprietate privarentur, neque eis vasalli aut subditi amplius obedirent.* Cujusmodi exemplum legis, quâ posteri sanguine paterno Principum procreati Principatibus cum jacturâ Religionis exciderent, haud scio, an Respublica Christiana hactenus ullum viderit.

O quàm diversa adversaque quorumdam Francorum doctrina est, quâ persuadere moliuntur, hæreticum Regem, etiam cum Religionis vastitate, tolerandum esse, intactâque ejus personâ, & summo imperio, precibus ad Deum fusis, emendationem ejus cælitùs præstolandam! Et cùm hanc præclaræ suæ pietatis basin jecerint, mox alio ex capite omnium sibilis se explodendos immolant, dum Catholicum Regem Provinciis suis paternis exutum eunt, prætextu tuendæ fidei, per istum ostentatæ libertatis apparatum, quo hære-

sis

a. CONDITION 10. DE LA DONATION DE CES PROVINCES: Item à condition & non autrement, comme estant la principale, & la plus grande obligation par dessus toutes autres; que tous les enfans & descendans dudit mariage suivans la S. Religion qui en eux presentement reluit, devront vivre & mourir en nostre S. Foy Catholique, &c. & en cas qu'aucuns desdits descendans declinassent de la [illegible] Religion, & tombassent en heresie, apres que nostre S. Pere le Pape les [illegible] declaré pour tels [illegible] privez de l'administration [illegible] possession & proprieté desdites Provinces: & les [illegible] & subjets d'icelles [illegible], &c. Donné à Madrid le 6. jour de May 1598.

ſis ubique locorum introducitur. Quàm enim lubricum, malignum pernicioſumque ſit hoc remedii genus, quàm prępoſterum conſervandæ fidei, quàm denique ab omni non ſolùm Epiſcopali atque religiosâ, ſed etiam Chriſtianâ pietate ſubmotum, jam ſuprà per aliquot capita diſſeruimus.

Verumtamen unum ex hoc veneno antidotum à prudentibus hauriri poteſt, ut, quemadmodum ex hoc Gallicæ beneficentię pręludio didicêre, non aliunde verę Religionis tutelam exſpectandam eſſe, quàm ab eo, qui patrocinium illius, quod per totum terrarum orbem in ſuis ditionibus profitetur, etiam factis probat; ita non aliunde militarium incurſionum, atque calamitatum remedium ſperent, quàm ab eo, qui illas non minùs totis viſceribus deteſtatur, quàm jam jam ſanandas totâ Imperii ſui mole ſuſcepit. Urunt illę non mediocriter eos, in quos ingruunt, fateor; ſed ſi cum Germanię ſtragibus tot jam annorum quotidianis, & uſitatâ Gallis inſolentiâ, quando Regni inteſtina bellis flagrant, eas conferre velis, nulla profectò comparatio.

Sed ærumnarum cunctarum remedium Belgio tandem patefeciſſe videtur Deus, Pignus chariſſimum, fratrem unicum, Hiſpaniarum ſuarum Ocellum, Eccleſiæ Decus, pietatis Exemplum, Belgarum Delicium, Proteſtantium Terrorem jam ſuis Belgis Optimus Monarcha dedit, ut omnibus clareſcat, quàm ſeriâ ſalutem eorum voluntate machinetur. Detracta eſt larva ſimulantibus, detectus morbus, parata laboranti patriæ medicina, compreſſæ Reipublicæ ſpongię, curan-

curandis ulceribus & vulneribus accinctus medicus, ferrum secandę rebellionis hydrę strinxit. Non tollet, juvante Deo, manum de tabula, nisi Belgium antiquæ glorię, Provincias pristinę unitati, Ecclesias splendori, Clerum dignitati, Academias frequentię, Sapientiam honori suo, Oceanum commerciis, emporia opulentię, urbes decori, flumina navigationi, agros cultui, itinera securitati, universos gratulationi atque lætitię restituerit. Quę quisquis ab illis speraverit, qui curationis Belgicę principium ab ista Religionis libertate petendum suggessêre, ac tam felici auspicio Thenis intulêre; nę ille remedium ipsâ perniciosius ęgritudine in medelam calamitatum suscipit. Sed grates Deo; nebulę, quibus fraus imperitis tegebatur, nunc detersę sunt. Videt utique Belgica, non se posse neque unionem, neque Religionem, nisi sub istius Monarchę supremâ auctoritate retinere. Quod ut perspicaciter prudenterque cernit, ita hisce postremis annis tantâ voluntatum conspiratione professa est, ut hujusce devotionis fides nulla posteritatis oblivione sepelienda videatur. Vinculis enim cumulatissimè satisfecit universis, quę per divinas, naturales, ęternasque leges, Natura, Justitia, Religio subditorum injecit conscientiis. Nam & Principi detulit, quod legitimo Capiti Natura debet; & Patriæ, quod Optimates laboranti Reipublicæ; & Religioni, quod Pietas imperanti Deo.

CA-

## CAPVT XXXI.

*Scripturis apertissimis munitur tradita hactenus doctrina.*

RAtionibus huc usque internis, inspersis hîc illic Scripturarum oraculis, & Patrum dictis, prout Deus dedit, Francorum fœdera cum infidelibus, & suppetias impugnavimus. Operæ nunc pretium nos facturos arbitramur, si quædam adhuc externa argumenta, Scripturarum, Patrum, Pontificum, Dei, & Sanctorum in cælo regnantium, ad majorem rei disputatæ lucem, & asserte certitudinem afferamus.

Scripturis hujusmodi fœdera proscribentibus nihil videtur evidentius, nihil efficacius; si non humani sensûs pervicacia promptior esset, ut tergiversationum latebras quærat, quàm earum effatibus se submittat. Asa Rex Judæ, cùm vires Baasæ Regis Israël formidaret, subsidio vocavit, pecuniarum pactus mercedem, Benadad infidelem Regem Syriæ a. *Fœdus inter me & te est*, inquit: *pater quoque meus, & pater tuus habuere concordiam. Quam ob rem misi tibi argentum & aurum*, &c. Sed quid dicit ei divinum responsum? Confestim missus est ad Regem Iudæ Hanani Propheta, qui cum increpationibus atque minis ei diceret b: *Quia habuisti fiduciam in Rege Syriæ, & non in Domino Deo tuo, idcirco evasit Syriæ Regis exercitus de manu tua. Nónne Æthiopes & Libyes multò plures erant quadrigis & equitibus, & multitudine nimiâ? quos, cùm Domino credidisses, tradidit in manu tua?* Et, ut ostenderet, stultam esse Politicorum sapien-

a 2. Paralip. 16. b Ibidem.

ſapientiam, qui, quaſi ipſi ſuâ prudentiâ orbem terrarum regerent, humanis ratiunculis & compendiis omnia conficienda arbitrantur, abjectâ omni fiduciâ, quæ in Deo vivo collocanda erat, addit Propheta *a: Oculi enim Domini contemplantur univerſam terram, & præbent fortitudinem his, qui corde perfecto credunt in eum. Stultè igitur egiſti; & propter hoc ex præſenti tempore adversùm te bella conſurgent.*

Amaſias item Rex Judæ, cum Idumæis cõgreſſurus, conduxit ex Iſrael, qui, relicto Deo vero, in idololatriam aureorum vitulorum Jeroboam defluxerant *b, centum millia robuſtorum centum talentis argenti.* Sed cùm Deo talis ſocietas cum infidelibus illis diſpliceret, venit ad illum Propheta, qui denuntiaret *c: O Rex, ne egrediatur tecum exercitus Iſrael. Non eſt enim Dominus cum Iſrael, & cunctis filiis Ephraim.* Ut verò Politici etiam hîc conſiliorum ſuorum inſipientiam intelligerent, quâ ſpem ſuam omnem in brachio carneo, & robore exercitûs ponere ſolent, præclariſſimè Propheta monet *d: Quòd ſi putas in robore exercitûs bella conſiſtere, ſuperari te faciet Deus ab hoſtibus, Dei quippe eſt & adjuvare, & in fugam convertere.* Paruit conſilio Amaſias, &, abjecto infidelium adjutorio, centumque talentorum, quæ jam in militum Iſraelitarum ſtipendium dederat, jacturâ contemptâ, victor Idumæorum fuit.

Sed quid ad intelligentiam clarius, & ad contenda hujuſmodi fœdera exquiſitius, quàm illud Prophetæ fulmen, quod in Ioſaphat Regis Judæ caput vibratum fuit *e? Impio præbes auxilium, & his qui oderunt Dominum, amicitiâ jungeris, & idcirco iram*

a *Ibid.* b 2. *Paral.* 25. c *Ibid.* d *Ibid.* e 2. *Paral. c.* 19.

*iram quidem Domini merebaris : sed bona opera inventa sunt in te, eò quòd abstuleris lucos de terra Iuda.* Nam quidquid tandem proferri possit ad illa fœdera cum infidelibus pallianda, quibus nihil cum impietate commune est; quid pro hisce Francorum fœderibus tegẽdæ fœditati humana versutia comminisci potest? Suecus, Protestantes, Batavi, ex Catholicæ fidei decretis impii sunt; Francus annuit. Oderunt Dominum: nec Francus negat. Jungitur eis amicitiâ: in confesso est. Præbet auxilium: Europa testis, Francus ipse gloriatur. Uter utrum iniquitate superet, causam causæ collidendo, videamus. Achab legitimus Princeps fuit; Batavi, Protestantes, ac Suecus, rebellium coryphæi, Principatuum usurpatores, sceptrorum raptores. Ille bello petebat infidelem Regem Syriæ; hi fideles. Ille justè repetebat *a*, *quod erat suum*, tamquam partem hæreditatis divinitus datæ *b* filiis Israël, ac *c* Jeroboam, *d*, urbem refugii, *e* Levitarum ex divino decreto domicilium, quam contra *f* promissum Rex Syriæ detinebat; hi injustissimè alienis inhiant, & impiè rebellioni patrocinantur. Illo bello nec directè, nec indirectè causa impietatis agebatur, sed pietatis potiùs; hoc è contrario directè Episcopatuum, Ecclesiarum, sacrorum bonorum, fidei, disciplinæque restitutio impugnatur, hæresis dilatatur, Religio pessumdatur, legitimi Principes perspicuâ rebellione vexantur. Quis jam ita sit, ut cum Augustino loquar, imprudens atque impudens, ita procax, pertinax, pervicax, ita postremò insanus ac demens,

a 3. *Reg.* 22. *v.* 3. b *Num.* 21. & 32. c 3. *Reg.* 11. *v.* 31. & 2. *Paral.* 10. d *Deuteron.* 4. & *Iosue* 20. e *Iosue* 21.
f 3. *Reg.* 21. *v.* 34.

mens, ut, cùm Iosaphatum præbitis auxiliis iram Domini meruisse fateatur, Francorum Regem, in tam enormi circumstantiarum omnium præponderante gravitate, innocentem esse contendat? Quid, quòd idem Josaphat à Deo propterea tantùm non exiguo supplicio flagellatus fuit, quòd fœdus cum Ochozia, *cujus opera erant impiissima*, percussisset, classemque cum eo communem in Aziongaber adornasset? Sic enim ei & peccatum, & supplicium, Prophetâ vaticinante, denuntiatum est a: *Quia habuisti fœdus cum Ochozia, percussit Dominus opera tua, contritaque sunt naves, nec potuerunt ire in Tharsis.* Et nos dubitamus, utrùm illâ belli societate, quo coram omnium oculis Catholica Religio opprimitur, hæresis in Catholicissimas urbes invehitur, prædicatur, plantatur; Ecclesiæ, Monasteria, & omnis generis Ecclesiastici suis in perpetuum spoliantur bonis, restauratio Religionis impeditur, denique nefariis sacrilegiis Christiana sacra proteruntur; utrùm, inquam, tam impii belli societate, Regis & Procerum Francorum conscientia polluatur? Si vel Saracenis, vel Hugonottis, damnantibus utrisque Romanam fidem, ista quæstio proponeretur, non aliud eos respondere posse puto, nisi alterutrum esse necessarium, ut vel secum isti sentiant, qui talibus fœderibus innexi, facinoribus talibus consequenter innectuntur: vel, si aliud sentiunt, propriâ conscientiâ teste sint rei. Quid enim nisi ream clamat conscientiam, quòd illa vastitas Germaniæ, urbiumque quarumdam Belgicarum, hoc est, illa Religionis desolatio, illa fuga Antistitum, Religiosorum, Virginum, illa sacrorum rum

a 2. *Paral.* 20.

rum profanatio, quam Catholica Europa novit, horret & gemit, summo silentio sepulta premitur in omnibus Francorum scriptis, quæ Suecorum, & Protestantium, & Batavorum arma celebrant, in Mercuriis, in novarum rerum chartulis, in sermone populari? Nemo vel in circulis audet publicas illas veritates hiscere. Fugitivis Religiosis ac Sacerdotibus perpessa publicè queri criminosum est, ne verum crimen cucullati & purpurati Achitophelis publico innotescat, quo Regem in injurias fidei suæ concitarunt. Quis enim non risu vel fletu potiùs dignum putet, quòd usque adeò veritas illic gravium Scriptorum calamo fucatur, ut Germaniæ Principes, contra Suecorum injurias, Francorum armis tectos fingant; fœdera verò nefaria, quibus ille idem Suecus in Electores Germaniæ Principes excitus, animatus, adjutus est, summo silentio prætermittant. Nempe occultum ista vulnus patefaciunt, quod nec ipsos læsæ fidei auctores latêre demonstratur, dum tam sollicitè satagunt omnium calamis, assentatorum, & ignarorum, ac timidorum, ut omnes lateat; ne qui coram Deo se reos teneri vident, coram hominibus verè Catholicis, quibus plena Francia est, rei esse videantur.

## CAPVT XXXII.

*Item Scriptorum recentiorum adstipulatione.*

CVm igitur divinis oraculis fœdera ista cum infidelibus, adeoque longè mitiora, tam perspicuè severeque damnentur, vix operæ pretium fuerit, hominum sensa ac dicta vestigare. Sed quia multorum imbecilles oculi faciliùs umbras

bras corporum, vel corpora luce colluſtrata, quàm ipſam lucem ferunt; etiam talibus morem geram, ut ſaltem hominum eruditorum proborumque ſenſui qualemcumque ſuum accommodare dignentur. Inter quos præcipuè Francos proferam, tum quia domeſticis laboranti veritati ſuccurrentibus ſit æquius magis credere, tum quòd illi quoque familiariùs, ad ſanandum inteſtinum ſui corporis malum, iſta fœdera perniciosa perſtrinxerint. Nam extra Franciam quęſtio iſta extra omnem controverſiam ita poſita eſt, ut neminem umquam peritum vel imperitum Scriptorem Catholicum me legiſſe ſciam, qui ea in talibus circumſtantiis licita eſſe confirmaverit. In ipſa Francia difficile eſt ullum invenire eruditum ac probum, qui, intellecto vero ſtatu cauſæ, & malorum ſerie conſequentium, quæ inter Francos de induſtria obſcurantur, & pleroſque latent, eis palàm patrocinari velit.

Unde igitur accommodatiùs auſpicabimur hoc defenſionis genus, quo ſententiis hominum productis perſpicua veritas munienda eſt, niſi à teipſo, Arroye, quantumcumque vel ignorantiâ facti, vel gentilitio fortè affectu abreptus, eam impugnare velle videaris? Sic ergo ipſe loqueris *a*: *Omnes, qui rebellioni Principis cujuſquam verbo aut ſcripto favent, tametſi aliquid ex parte domini ejus reprehenſione dignum eſſet, ejuſdem peccati, quo rebellis, rei ſunt; quia publicam perturbant tranquillitatem.* Et infrà: *Si is, qui movet bellum, ad inducendam idolo-*

a ARROY FOL. 212. Tous ceux qui favoriſent la revolte d'un Seigneur par parolles ou par eſcrit, quand meſmes il y auroit quelque choſe à redire du coſté du Souverain, peſchent du meſme crime, que la rebelle, parce qu'ils troublent le repos publicque.
IDEM FOL. 222. Si celuy, qui fait la guerre, la fait ouvertement pour introduire l'idolatrie ou une fauſſe Religion, en ce cas il le doit quitter & la troiſieſme, il doit voir ſi la guerre ſe fait contre ſon Souverain, pour la quitter auſſi en ce cas, &c.

*idololatriam, falsámve religionem, illud apertè moveat, vel contra suum dominum, supremâ pollentem auctoritate, deseri debet.* Ecce hîc utrumque concurrit. Nam & rebelles contra dominum suum tumultuantur, & falsam Religionem pervicacissimè tuentes, eam in omnibus locis, quæ Catholicis vi eripiunt, templis superstitioni suę dedicatis, inferunt, & per magnam Belgii Germaniæque partem propagarunt. Quid evidentius suffocandis fœderibus istis, cum ista lue, in ista causa percussis, vel ipsa veritas dictaverit? Si enim tales deserendi sunt, profectò & fœdera abrumpēda. Nemo enim fœdere ad aliquid præstandum, juvandumque, devinciri aut compelli potest, quod præstare ac juvare non licet. Hanc doctrinam manifestiùs in thesi tradit Carolus le Bref, Francorum Regi à Consiliis, de hæreticis Christianæ Religionis loquens a: *Attendi vellem, utrùm confœderatione nostrâ uti desiderent ad amplificandam Religionem suam, infirmandamque nostram: nam isto casu non est dubium, quin impium sit armis ipsorum arma nostra sociare.* Secùs ipse censet, si de tuendis agatur bonis. Sed utrumque simul ab hæreticis, bellum inferentibus, spectari nihil vetat. Eodem quippe bello vindicta criminis, & vindicatio ereptæ civitatis, & defensio societatis, & propagatio superstitionis, & adhuc plura, si libet, pariter spectari queunt: quæ si vel cuncta injusta, vel, excepto superstitionis patrocinio, cuncta justa fuerint, sola verę Religionis infirmatæ, vel falsæ amplificatæ, labes bellum istud, armorumque societatem, vitia-

a CHARLE LE BREF LIB. 4. DE LA SOVVERAINETE. CAP. 8. Ie voudrois qu'on considerast, s'ils veulent se servir de nostre alliance, pour accroistre leur Religion, & affoiblir la nostre: car en ce cas, il n'y a point de doute, que ce seroit impieté, de joindre nos armes avec les leurs.

vitiaverit. Illud verò quàm ex adytis veritatis promptum? quo docet a, *impietatem esse manifestam, fœdus percutere cum infidelibus* (à fide Christi alienis) *& eorum armis arma nostra conjungere, ut bello alii Principes Christiani petantur; neque quemquam hoc posse in dubium revocare, nisi qui Fulconem, Archiepiscopum Remensem, falsi redargutum velit.* Rectissimè. Sed numquam rationem dabit solidam, cur, quando eadem vel deterior impendet Catholicæ fidei strages, liceat cum hæreticis, fidem Catholicam depopulantibus, suámque propagantibus, arma nostra contra Catholicum Principem sociare. Gilbertus Genebrardus talium fœderum impietatem apertè jugulat b: *Barbarussa Turcarum classi à Solimanno præfectus: deinde, incidentibus inter Hispanos & Gallos bellis, cum ingenti classe Francisco Regi opem tulit, gementibus piis, quibus impiorum à Christi nomine abhorrentium fœdera improbantur.* Ecce piorum gemitus, fœdera ista deplorantium, quibus & nunc in Gallia à piis rerum gestarum consciis cælum tundi notum est. Julius Cæsar Bullingerus easdem confœderationes graviter damnat c: *Id temporis fœdus cum Turco non sine dedecore à Francisco I. ictum, à Carolo IX. cum Solimanno, qui Melitam magno navali paratu obsederat, non minori labe renovatum est. Ita se res habet, fidem cum infideli tutam non esse; societatem cum impio in noxam abire. Melitâ captâ, Italiæ, & ipsius Galliæ exitium præstò erat.* Clemens VIII. Summus Pontifex, Francorum amantissimus, si-

R gnificat

a LE MESME AV MESME LIVRE : Que c'est impieté manifeste de contracter alliance avec les infideles, & unir ses armes avec les leurs, pour faire la guerre contre les autres Princes Chrestiens ; personne ne le peut revoquer en doute, s'il ne veut dementire ce grand Archevesque de Rheims Foulques, &c.

b *Genebrard. libr. 4. Chron. ad ann. 1549.*

c *Iul. Cæs. Bulling. libr. 2. Histor.*

gnificat Henrico IV. Galliæ Regi, quem tamquam filium unicè diligebat *a*, *Majestatem ejus credere posse, quanti sibi doloris argumentum sit, quòd inimicos Dei, tam perfidos, & adversùs Apostolicam Sedem exacerbatos, qui anno præterito tot sacrilegia & abominationes contra Ecclesias locaq; sacra perpetrarunt, suppetiis & favore sublevari ab eo cernat, quem sancta Sedes tam bono animo quibuscumque potuit modis atque rationibus complexa est, pacemq; Regno ejus intus & foris procuravit.* Et anno præcedenti Legato Regis Franciæ Cardinali Ossato graviter idem Clemens questus fuerat *b*, *Francos Hollandis atque Zelandis, Deo & Principi suo rebellibus, ferre suppetias; cùm Rex suo experimento didicisset, quantum Principibus dolorem afferat, quando subditis bellum adversùs eos gerentibus subsidium datur.* Gregorius *c* XIII. sanctus & prudens, Galliæque perquam studiosus Papa, vehementer aversabatur *fœdus*, quod Henricus III. *cum Regina magnæ Britanniæ Elisabetha* hæretica meditari dicebatur, quemadmodum testatur Legatus ejusdem Regis Paulus Archiepiscopus Tolosanus. Pius V. *d* Pontifex Maximus, pietate celebris, *societatem Franciæ Regis cum Turcarum Rege damna-*

a CLEMENS VIII. LE CARDINAL d'OSSAT, EN SA LETTRE 327. Que sa Majesté peut croire, combien grande affliction luy donne, de voir, que les ennemis de Dieu, si perfides, & si animez contre le S. Siege, & qui en la ditte année passée ont commis tant de sacrileges & d'abominations contre les Eglises & autres lieux sacrez, soient aydez & favorisez par celoy que le S. Siege a embrassé d'un si bon cœur, & en toutes les facons & moyens, qui luy ont esté possibles, & procuré de luy pacifier le Royaume dedans & dehors.

b LE CARDINAL d'OSSAT LETTRE 276. Et neantmoins les Francois vont contre eux pour les Hollandois & Zelandois rebelles à Dieu & à leurs Princes, tellement que la meilleure cavaillerie & infanterie qu'ayent les dits rebelles, est des Francois, & toutefois le Roy a experimenté à soymesme, combien il fasche à un Prince, quand on donne secours à ces sujets, qui luy font la guerre.

c *Gregor XIII. apud Paul. de Foix epist. 5.* Sa Sainteté esperoit que vostre Majesté ne feroit point ligue avec la ditte Royne d'Angleterre, &c.

d *Pius V. apud Francisc. Long. Coriolan. in Breviar. Chronol.*

*damnavit, eam Franciæ labem dictitans*, ut auctor fide dignus tradit.

Sed quid ego singulares Scriptores & Pontifices commemoro adversùs hujusmodi fœderum labẽ, cùm universus orbis Christianus ea & nũc & olim, propter perspicuas Christianæ Reipublicæ noxas, detestatus sit? Cujus universi sensum satis expressit Genebrardus, quando paulò antè dixit, Francisci cum Turcis fœdus gementibus piis percussum fuisse, quibus impiorum à Christi nomine abhorrentium fœdera improbantur: Et Franciscus *a* Belcarius, Episc. Metensis, quando dicit, propter piraticam Turcarum immanitatem, qui ex fœdere suppetias laturi venerant, *Franciscum in odium Germanorum* inductum. Et Blasius de Montluc, quando sensum Venetorum, communemq; Christianorum sui temporis exprimẽs dicit *b*: *Nescio quæ fuerit sententia Reipublicæ de tam arduo negotio*, (fœdere Francisci cum Turcis) *nec utrùm eloquentiâ fratris mei victa probaverit Respublica id, quod tantopere improbabat. Vnũ probè mihi constat, quòd & tunc, & postea sẽper factum istud culpari audiverim, credoq; causam fuisse, ne res nostræ meliori fuerint loco.* Ut meritò dixerit du Bref, *esse manifestam impietatem*, & *neminem hoc in dubium posse revocare.* Sed idem ille Mareschallus de Montluc, cùm Principes multos Christianos hoc fœdus Francisci cum Turcis miratos esse docuisset; ingenuam ipse, planeque militarem excusandi rationem subtexit: quam verisimile est, potiorem omnibus rationibus Religionis & pietatis apud plerosque fœderum illorum primos auctores



a *Belgar. lib. 23 Histor. n. 60.*

b LE MARESCHAL DE MONTLVC LIV. 1. Ie ne sçay pas, qu'elle opinion reste à la Seigneurie d'un si grand affaire, n'y l'eloquence de mon frere leur fit trouver bon, ce qu'ils trouvoient si mauvais, une chose sçay je bien, que lors & depuis j'ay tousjours ouy blasmer ce fait, & crois que nos affaires ne sont pas mieux portées.

tenuisse locum *a*: *Verùm adversùs inimicum suum omne subsidii genus accersi potest. Ad me quod attinet, si omnes inferorum spiritus ad comminuendum inimici mei cerebrum, qui meum comminutum vellet, evocare possem, utique (Deus ignoscat mihi) libenti animo facerem.* Hanc prorsus *b* ipsam non est dubium cum nuperrimè secutum esse, qui captâ Philippo-poli (quod ab ipsis Gallis, atque Ordinibus Batavorum, publicorum motuum & arcanorum conscìis, scribitur) Turcicam classem, quam Asiaticus ille tyrãnus instructam habuit, magni pretii pollicitatione adversùs Italiã concitavit; ut, quia à fæce Christiani nominis accersitũ auxilium, Deus impietatis persecutor obtriverat, à conjurato ejus hoste, feliciori successu pręberetur. Ita semel abruptis pietatis retinaculis, nullus fidei aut apostasiæ limes est, quem non ebrius ambitione, à Deoque desertus, animus prętergrediatur. Nẽpe hoc illud est, quod suprà diximus, & evẽtus verissimum esse probat, eâdem purpuratę & cœnobiticę conscientiæ lege Turcas & hæreticos posse adversùs Principes Christianos in perniciem Religionis armari. Sed & hîc profanis consiliis Numen conatibusque maledixit; ut rebus ipsis doceretur, illã adversum se cælitus sententiam esse pronuntiatam: *c Ecce ego judicio contendam tecum, eò quòd dixeris, Non peccavi. Et ab Ægypto confunderis, sicut confusus es ab Assur. Nam & ab ista egredieris, & manus tua erunt super caput tuum:* QVONIAM OBTRIVIT DOMINVS CONFIDENTIAM TVAM, ET NIHIL HABEBIS PROSPERVM.

CA-

a LE MARESCHAL DE MONTLVC LIV. 1. Mais contre son ennemy on peut de tout bois faire flesches. Quand à moy, si je pouvois appeller tous les esprits des enfers, pour rompre la teste à mon ennemy, qui me veut rompre la mienne, je le ferois de bon cœur, Dieu me le perdoint.

b *Litteræ Ordinum confœder. ad Principem Orang. mense Iul.* 1635. c *Ierem.* 2.

# CAPVT XXXIII.

*Item testimoniis antiquorum Patrum.*

NEc verò recentiores tantùm Christiani, sed in primis vetustiores hujusmodi fœdera cum infidelibus, maximeque quæ tantam Reipublicæ atque Religioni perniciem adferunt, detestati sunt. Nam ante quingentos annos Rupertus Tuitiensis Abbas de fœderibus Machabæorum cum Romanis intrepidè pronuntiavit a: *Subobscurum quiddam fratribus victoriosis in medio suæ claritatis accidit, Iudæ, Ionathæ atque Simoni: quòd videlicet victoriis clarificati, ultrò miserunt societatem & amicitiam statuere cum Romanis potentibus & famosis. Quamvis super hac re non culpet eos Scriptura, res gestas continens ipsorum: nihilominùs tamen animadvertere promptum est, non fuisse tutum coram Deo, neque lege concessum Iudæis, ut expeterent amicitias Gentium.* Et aliquantò inferiùs aliã radicem tangens: *Tales eventus singulorum fines obscurare videntur, quòd in eo sibi cæleste diminuerint auxilium, dum quærunt ab hominibus sæculi quasi pacis & securitatis firmamentum.*

Inter eos, qui Rupertum præcessêre, unus instar omnium esse possit Fulco, Rhemensis Archiepiscopus. Nam ante 730. annos, cùm Carolus Simplex, legitimus Francorum Rex, diffideret se viribus suis Eudoni, qui ante pubertatem ejus Rex Franciæ coronatus fuerat, resistere posse, Nortmannos infideles sibi subsidio advocare decrevit. Fulco fidelissimus ejus Consiliarius, cujus in primis auctoritate Rhemis adversùs Eudonem Rex



a Rupert. l. 10. de victor. verb. c. 26.

cõsecratus fuerat, re intellectâ graviſſimas ad eum litteras dedit, quibus, quid de fœderibus hujuſmodi ſentiendum ſit, Epiſcopali auctoritate & libertate declarat *a: Quis, qui vobis, ſicut oportet, fidelis eſt, non expaveſcat, vos inimicorum Dei amicitiam velle, & in cladem ac ruinam nominis Chriſtiani Pagana arma & fœdera deteſtanda ſuſcipere? Nihil enim diſtat, utrùm quis ſe Paganis ſociet, an abnegato Deo idola adoret. Nam ſi, ut ait Apoſtolus b, bonos mores colloquia prava corrũpunt, quantò magis corrumpitur caſtitas animæ Chriſtianæ Ethnicorum conſiliis & ſocietate? Neque enim poterit non imitari, quod aſſiduè viderit, quin potiùs adſueſcet paulatim, & quaſi vinculo malæ cõſuetudinis trahetur ad facinus. Certè progenitores veſtri Reges, depoſito gentilitio errore, divino cultui ſe ſublimiter ſubdiderunt, & à Deo ſemper auxilium expetiverunt, propter quod & feliciter regnaverunt, & Regni hæreditatem ad ſuos poſteros tranſmiſerunt. Vos è contrà nunc Deum relinquitis. Dicam certè, licet nolens, quia Deum relinquitis, cùm vos ejus hoſtibus ſociatis. Vnde & meritò prophetica illa vox ad vos dirigitur, quæ quondam ad Regem Iſrael ſimilia facientem directa eſt c: Impio præbes auxilium, & his, qui oderunt Deum, amicitiâ jungeris. Et certè cùm deberetis malis præteritis terminum ponere, & rapinis & deprædationibus pauperum renuntiare, ac pro his omnibus pœnitentiam agere; nunc ad majorem iram Dei provocandam, his, qui Deum ignorant, & in ſua feritate confidunt, vos conjungitis. Credite mihi, quia numquam ſic agendo ad regnum pervenietis, imò velociter diſperdet vos Deus, quem irritatis. Hactenus quidem de vobis meliora ſperabam: nunc video vos cum omnibus conſanguineis veſtris perituros, ſi tamen hoc verè vultis agere, & talibus conſiliis acquieſcere. Reverâ, qui tale vobis dant*

a *Apud Flodoard, l. 4. Hiſt. Rem. c. 5.* b 1. *Cor.* 15. c 2. *Paral.* 19.

*dant consiliũ, non fideles, sed per omnia infideles esse comprobantur: quos si audire volueritis, terrenum simul & cœleste regnum amittetis. Deprecor itaq; vos per Deum, ut tale deseratis consilium, neq; velitis vos in æternũ præcipitare interitum, & mihi, cæterisq; qui secundùm Deum vobis fideles sunt, æterni doloris afferre dispendium. Melius enim fuerat vos non nasci, quàm diaboli patrocinio velle regnare & illos juvare, quos deberetis per omnia impugnare.* Quid verius, liberius, efficacius adversùs fœderum similium impietatem dici potest? Et tamen res temporalis, Francici Regni salus, tota Regis auctoritas adversus potentem adversarium agebatur. Auxilia etiam Germanica, ab Arnulpho consanguineo Christiano Imperatore missa, sine fructu, Eudonis industriâ, diffluxerant. Quæ gravior causa temporalis excogitari potest?

Paucis annis, vix octo aut decem, ante Fulconem, Ioannes VIII. Romanus Pontifex, cùm quidam Italiæ Principes atque populi, suis privatis commodis temporalibus prospicientes, cum Saracenis fœdus percussissent, ut eorum viribus, neglecto Ecclesiæ detrimento, res suas stabilirent; diversis epistolis ad eos exaratis rem, tamquam gravissimi sceleris atrocitatem, execratus est. Vocat enim diversis locis a *impium, infandum fœdus, quod cum Saracenis impiè pepigerant*: b *profanum fœdus cùm inimicis Dei*: c *iniquam colligationem* d: *impium pactum*: e *impium scelus*: f *societatem ad perditionem animarum initam*: g *immane profundum*, &c. Itaque hortatur, suadet, præcipit Apostolicâ auctoritate, hujusmodi pacta dirumpi: *Misimus*, inquit, *illuc VValbertum Portuensem*



a *Ioan. VIII. Papa epist. 36. & 45.* b *epist. 41.* c *epist. 52.* d *epist. 225.* e *epist. 242.* f *Ibidem.* g *epist. 41.*

*& Eugenium Ostiensem, ut pactum illud, quod perditionis est causa, dissolvi per omnia suaderent.* Et inferiùs a: *Admonemus itaque, insta opportunè, importunè, ut, tam impio discisso fœdere, pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum, nobis tandem cælitus restituatur.* Et in alia epistola b: *Iterum & iterum exhortamur, ut Christiani nominis viri Paganorum fœdera fugiant, & solùm in Deum, qui eos creavit, & non in diaboli membra, quæ sunt fornicationis, & vasa iræ, spem suam ponere discant.* Et rursùm ad Ioannem Episcopum Beneventanum c: *Tuam Reverentiam adjuramus, suadentesq; omnibus modis deprecamur, & auctoritate Principum Apostolorum fraterno freti amore præcipimus, ut omnibus viribus tuis, omnique posse tuo labores, tam scilicet cum germano fratre, quàm cum aliis Christicolis, in hoc opem ferre valentibus, ut impia Agarenorũ fœdera, quæ Neapolitani vel sui consocii cum inimicis Christi nominis inierãt, Christo miserante quantocyùs destruantur.* Quæ suasiones, preces, jussa sæpè in aliis epistolis d repetuntur. Nec in istis Pontificis sollicitudo & auctoritas stetit. Etiam anathematis fulmen isti crimini intentavit e: *Semel te tuosque adhuc monere non abnuo, ut ab infidelium consortio declinetis, & à tam profano tandem aliquando fœdere recedatis. Quòd si nos audieritis, non solùm bona, quæ cupitis, affluentiùs ex nobis habebitis, sed & magna præmia cælitus assequemini. Sin autem, non solùm nos spirituali vos iteratò gladiò percellemus; sed & hi, qui non sine causa materiales gladios portant, cùm sint sanctæ Ecclesiæ validi defensores, & fervidi zelatores, cunctis adversis & prosperis conculcatis, adversùs vos protinus arma corripient, & vindices contra vos impugnato-*

pugnato-

a *Idem epist.* 36. b *Idem ep.* 38. c *Idem ad Episcop. Beneuens.* d *ep.* 241. & 265. e *Idem epist.* 40.

*pugnatores ejus celeriùs properabunt.* Et in epistola ducentesima quadragesima secunda ad Episcopum, Præfectum, totumque populum Amalphitanum *a: Quòd si in tali impio scelere, diabolo suadente, ampliùs permanere præsumpseritis, & ipsum pactum de præsenti non corruperitis, præcepimus huic Episcopo nostro Dominico, ut vice nostrâ, omni Ecclesiasticâ vos communione privare procuret.* Ecce quanto horrore fœdera illa detestatus est Ioannes Pontifex, quantâ severitate plectenda censuit. Nec tamen illi aliud, quàm temporales causas Saracenorum auxilio & fœdere munire nitebantur, nec aliter nisi *indirectè* Ecclesiis cladem ex consortio impietatis adferebant. Quod ex ipsis epistolis Ioannis manifestum est; ubi dicit *b*, se decertasse, ut *pactū*, quod cum Saracenis haberent, *omnimodis rumperent, ne ex consortio gentis malignæ Ecclesia Dei per vos*, inquit, *sic crudeliter affligeretur, & animabus vestris non solùm temporale inde discrimen, sed etiam æternum acquireretis supplicium.* Et infrà: *Vt corrupto fœdere, quod cum eis ad perditionem animarum vestrarum, & terræ sancti Petri habetis.* Quam ob causam, cùm sibi mala ista nullo pacto, queãdmodum etiam nunc, imputanda viderentur, etiam excusatione apud Pontificem se purgare nitebantur: *Cognovimus*, ait Pontifex *c*, *eos excusabiles se velle coram nobis reddere tentavisse, super contracto infando fœdere.* Non esse verò excusabiles, probat Papa ex calamitatibus quæ inde profectæ fuerant *d*: *Cæterùm miramur, quomodo vos in litteris vestris, quas in ipsa Paschali festivitate suscepimus, inculpabiles tentetis adstruere, cùm piaculum vestrum totus,*



a Idem epist. 242. b Ibid. c Idem epist. 36.
d Epist. 40.

*qui desertus est, mundus, & sanguis de terra, qui diffusus est, clamat.* Quid si cruentas illas Bellonæ sævientis clades, miserum Belgii hæreticis subjugati statum, Ecclesiarum Germaniæ vastitatem & solitudinem, fugam Virginum, Monachorum, Antistitum, totiusque Cleri spectavisset, quæ nunc nobis Gallicana fœdera per infideles pepererunt; quæ anathemata, quæ fulmina percutiendis fœderum Capitibus sufficerent, qui nunc reformatâ terrenis regulis Theologiâ innocentes videri volunt? O tempora! ô mores!

Ante Fulconem, & Ioannem VIII. Pontificem, idem Ecclesiæ in aliis Sanctis sensus fuit. Nam quadringentis annis antè, S. Chrysostomus, vel quisquis auctor operis imperfecti in Matthæum, cùm historiam & fœdus Iosaphat cum Achab impio percurreret, *Vides*, inquit, a, *quia nec dare potuit auxilium inimicis Dei, nec ab eis accipere? Quoniam autem nec accipere oportet ab inimicis Dei, docet nos supradicta historia de Asa: quoniam verò nec dare, instruit nos hæc Scriptura de Iosaphat. Qui enim petit auxiliū ab inimicis Dei, de auxilio Dei desperat, utiliores sibi existimans inimicos Dei, quàm Deum: qui autē dat auxiliū inimicis Dei, adversatur Deo. Deo enim volenta conterere inimicum suum, ipse eum defendere tentat.*

Ante Chrysostomum S. Greg. Nazianzenus b: Διδαξάτω τὸν εὐσεβέστατον βασιλέα, ὅτι οὐδὲν κέρδος ἔσται τῆς λοιπῆς αὐτοῦ περὶ τῆς Ἐκκλησίας σπουδῆς, εἰ τὸ τοιοῦτο κακὸν ἐπὶ καθαιρέσει τῆς ὑγιαινούσης πίστεως διὰ τῆς παῤῥησίας αὐτῶν κατισχύσει. *Pientissimum Imperatorem doceat, nihil ex reliquo ipsius erga Ecclesiam studio rediturum esse utilitatis, si tale malum ad fidei sanæ eversionem, per eorum* (hæreticorum) *libertatem licentiamq; prævaleat.*

In

a *Auctor operis imperfecti in Matth Hom*, 1. b *Naz. orat.* 36.

In quem sensum scitè Theodorico ac Theodeberto, Regibus Francorũ, S. Gregorius olim scripsit *a: Quàm diversum sit, Excellentia vestra perpendat, caput* ( Christum ) *honorare, & membra ipsius hostibus calcanda permittere.* Quorum idcirco pietatem excitans subnectit: *Vt in hoc vos ampliùs dignos cultores omnipotentis Domini demonstretis, quòd fideles illius ab inimicis ejus absolvitis.* Audis ipsam Regum socordiam in reprimenda hæreticorum licentia, omnem eis bonorum operum zelique fructum tollere? Quid eis igitur exspectandum, qui licentiam hæreticorum non modò non comprimunt, sed temporalis æmulatione Principatûs accendunt, & ad eversionem Ecclesiarum eis laxissimas habenas, adeoque subsidium, præbent? qui membra Christi non solùm hostibus ejus calcanda permittũt, sed de industria calcanda tradunt, eosque, qui tuentur libertatem fidei Religionisque suæ, ferro sternunt, & innocentem clamantemque in cælum sanguinem fundunt? Nempe tales forsan neque Christiano nomine dignaretur par utrique Gregorio, quà eruditione, quà sanctitate, Basilius, quantumcumque de cætero rectè vivere, & pietatem studiis suis prætexere viderentur *b*: Χριστέμποροι οἱ τοιοῦτοι, καὶ οὐ Χριστιανοὶ, τὸ ἀεὶ αὐτοῖς κατὰ τὸν βίον τοῦτον λυσιτελοῦν τοῦ κατ' ἀλήθειαν ζῆν, προτιμῶντες. ὅτε ἐνόμισαν κτᾶσθαι τὴν κενὴν ταύτην ἀρχὴν, προσέθεντο τοῖς ἐχθροῖς τοῦ Χριστοῦ· ὅτε εἶδον τοὺς λαοὺς ἀγριαίνοντας, χρηματίζονται πάλιν τὴν ὀρθότητα. *Non Christiani,* inquit, *sunt tales, sed Christi negotiatores, qui quod præsenti vitæ commodum est, vitæ ex veritate ducendæ præferunt. Vbi inanem hunc principatum adipisci se posse arbitrati sunt, inimicis Christi se*



a *Greg. Magn. l. 7. ep. 116.* b *Basil. ep. 192. ad Presbyt. Nicopol.*

*se sociarunt: ubi populum irritari viderunt, rursus fidei rectitudinem præ se ferunt.*

## CAPVT XXXIV.

*Fœdera ista damnari à Scripturis & Patribus videntur, hoc ipso, quo cum infidelibus ad suppetias mutuas ineuntur, etiam citra læsionem Religionis.*

QVæ quidem Scriptorum antiquorum sententiæ, & oracula Scripturarum si attentè ponderentur, non hoc dumtaxat, quod nos hîc tradere conati sumus, sed aliud longè strictius, istisque fœderibus capitalius documentum, Christianis, ut videtur, inculcatum volunt. Cùm enim nos hactenus nihil aliud Scripturarum, & Patrum, & rationis auctoritate presserimus, quàm ut fœdera ista Francorum singularia, quæ tantâ circumstantiarum impietate cinguntur, tantâque fidei Catholicæ, sacrarumque rerum strage infamia sunt, illicita esse censeantur, de quo nemini, ut putamus, Catholico dubitare fas est; amplius videntur Patres Scripturæque postulare, ut videlicet ipsa sola cum impiis, hoc est, impietatem infidelitatis profitentibus, seu professis hostibus veræ Religionis, virium confœderatio, subsidiorumque invicem præstandorum societas, fidelibus interdicta credatur. Nihil enim crimini vertit Scripturæ textus Asæ Regi, nisi quòd, advocatis impiorum auxiliis a, *habuisset fiduciam in Rege Syriæ, & non in Domino Deo* suo, *qui præbet fortitudinem.* Nihil Amasiæ, nisi quòd *non esset b Dominus cum Israël* idololatrâ, *& cunctis filiis Ephraim,* quos

a 2. *Paral.* 16. b 2. *Paral.* 25.

quos suppetiis ferendis accersiverat. Nihil in Rege Josaphat reprehendit, nisi quòd auxilium *impio* præberet; quòd amicitiâ his, *qui oderunt Dominum*, jungeretur; quòd habuerit fœdus cum Ochozia, *cujus opera erant impiissima*, nullâ sacrilegorum effectuum subjuncta mentione: exserteque notat, quòd *idcirco iram Domini merebatur*; ideoque percussisset Dominus opera ejus, *quia habuisset fœdus cum Ochozia.* Quo in genere præclara verba sunt cujusdam Legati Dagoberti Regis Francorum, Sicharii nomine. Cui cùm Samo Sclavorum Princeps, ad quem destinatus erat, libenter se jussis Dagoberti pariturum dixisset, si tamen *a disponeret secum amicitias conservare*; respondit cum stomacho Sicharius *b: Non est possibile, ut servi Dei cum canibus fœdera jungant.* Fulco quoque & Joannes, tam Papa quàm Chrysostomus, ille imperfecti Auctor operis, perspicuè volunt & probant, ipsam hujusmodi fœderationem fidelis cum infidelibus esse vetitam, noxiam, Deo detestabilem: usque adeò, ut Fulco *Deum relinqui* dicat, *cùm ejus hostibus sociamur*; & eum, qui illis utitur, *diaboli patrocinio velle regnare.* Et uterque, quemadmodum & Scriptura, desperati auxilii Dei hoc argumentum esse profitetur.

Eadem quoque recentiorum Pontificum, Pii V. Gregorii XIII. & Clementis VIII videtur esse in allegatis verbis mens, qui ipsam fœderis turpitudinem, quod cum tam impiis sancitur, execrati sunt: eadem & Scriptorum quorumdam nostri sæculi, quos citavimus. Inter hos Le Bref apertissimè dicit *c*, *impietatem esse manifestam, fœdus percutere*



a *Aimon. lib. 4. cap. 23.* b *Fredegar. c. 68.*
c Verba Gallicè suprà data sunt.

*qui desertus est, mundus, & sanguis de terra, qui diffusus est, clamat.* Quid si cruentas illas Bellonæ sævientis clades, miserum Belgii hæreticis subjugati statum, Ecclesiarum Germaniæ vastitatem & solitudinem, fugam Virginum, Monachorum, Antistitum, totiusque Cleri spectavisset, quæ nunc nobis Gallicana fœdera per infideles pepererunt; quæ anathemata, quæ fulmina percutiendis fœderum Capitibus sufficerent, qui nunc reformatâ terrenis regulis Theologiâ innocentes videri volunt? O tempora! ô mores!

Ante Fulconem, & Ioannem VIII. Pontificem, idem Ecclesiæ in aliis Sanctis sensus fuit. Nam quadringentis annis antè, S. Chrysostomus, vel quisquis auctor operis imperfecti in Matthæum, cùm historiam & fœdus Iosaphat cum Achab impio percurreret, *Vides,* inquit, a, *quia nec dare potuit auxilium inimicis Dei, nec ab eis accipere? Quoniam autem nec accipere oportet ab inimicis Dei, docet nos supradicta historia de Asa: quoniam verò nec dare, instruit nos hæc Scriptura de Iosaphat. Qui enim petit auxiliũ ab inimicis Dei, de auxilio Dei desperat, utiliores sibi existimans inimicos Dei, quàm Deum: qui autẽ dat auxiliũ inimicis Dei, adversatur Deo. Deo enim volenta conterere inimicum suum, ipse eum defendere tentat.*

Ante Chrysostomum S. Greg. Nazianzenus *b:* Διδαξάτω τὸν εὐσεβέστατον βασιλέα, ὅτι οὐδὲν κέρδος ἔσται τῆς λοιπῆς αὐτοῦ περὶ τῆς Ἐκκλησίας σπουδῆς, εἰ τὸ τοιοῦτον κακὸν ἐπὶ καθαιρέσει τῆς ὑγιαινούσης πίστεως διὰ τῆς παρρησίας αὐτῶν κατισχύσει. *Pientissimum Imperatorem doceat, nihil ex reliquo ipsius erga Ecclesiam studio rediturum esse utilitatis, si tale malum ad fidei sanæ eversionem, per eorum* (hæreticorum) *libertatem licentiamq; prævaleat.*

In

a. *Auctor operis imperfecti in Matth Hom,* 1. b *Naz. orat.* 36.

In quem sensum scitè Theodorico ac Theodeberto, Regibus Francorũ, S. Gregorius olim scripsit a: *Quàm diversum sit, Excellentia vestra perpendat, caput* ( Christum ) *honorare, & membra ipsius hostibus calcanda permittere.* Quorum idcirco pietatem excitans subnectit: *Vt in hoc vos ampliùs dignos cultores omnipotentis Domini demonstretis, quòd fideles illius ab inimicis ejus absolvitis.* Audis ipsam Regum socordiam in reprimenda hæreticorum licentia, omnem eis bonorum operum zeliquc fructum tollere? Quid eis igitur exspectandum, qui licentiam hæreticorum non modò non comprimunt, sed temporalis æmulatione Principatûs accendunt, & ad eversionem Ecclesiarum eis laxissimas habenas, adeoque subsidium, præbent? qui membra Christi non solùm hostibus ejus calcanda permittũt, sed de industria calcanda tradunt, eosque, qui tuentur libertatem fidei Religionisque suæ, ferro sternunt, & innocentem clamantemque in cælum sanguinem fundunt? Nempe tales forsan neque Christiano nomine dignaretur par utrique Gregorio, quà eruditione, quà sanctitate, Basilius, quantumcumque de cætero rectè vivere, & pietatem studiis suis prætexere viderentur b: Χριστέμποροι οἱ τοιοῦτοι, καὶ οὐ Χριστιανοὶ, τὸ ἀεὶ αὐτοῖς κατὰ τὸν βίον τοῦτον λυσιτελοῦν τοῦ κατ' ἀλήθειαν ζῆν, προτιμῶντες. ὅτε ἐνόμισαν κτᾶσθαι τὴν κενὴν ταύτην ἀρχὴν, προσέθεντο τοῖς ἐχθροῖς τοῦ Χριστοῦ· ὅτε εἶδον τοὺς λαοὺς ἀγριαίνοντας, σχηματίζονται πάλιν τὴν ὀρθότητα. *Non Christiani,* inquit, *sunt tales, sed Christi negotiatores, qui quod præsenti vitæ commodum est, vitæ ex veritate ducendæ præferunt. Vbi inanem hunc principatum adipisci se posse arbitrati sunt, inimicis Christi se*



a *Greg. Magn. l. 7. ep. 116.* b *Basil. ep. 192. ad Presbyt. Nicopol.*

*se sociarunt: ubi populum irritari viderunt, rursus fidei rectitudinem præ se ferunt.*

## CAPUT XXXIV.

*Fœdera ista damnari à Scripturis & Patribus videntur, hoc ipso, quo cum infidelibus ad suppetias mutuas ineuntur, etiam citra læsionem Religionis.*

QVæ quidem Scriptorum antiquorum sententiæ, & oracula Scripturarum si attentè ponderentur, non hoc dumtaxat, quod nos hîc tradere conati sumus, sed aliud longè strictius, istisque fœderibus capitalius documentum, Christianis, ut videtur, inculcatum volunt. Cùm enim nos hactenus nihil aliud Scripturarum, & Patrum, & rationis auctoritate presserimus, quàm ut fœdera ista Francorum singularia, quæ tantâ circumstantiarum impietate cinguntur, tantâque fidei Catholicæ, sacrarumque rerum strage infamia sunt, illicita esse censeantur, de quo nemini, ut putamus, Catholico dubitare fas est; amplius videntur Patres Scripturæque postulare, ut videlicet ipsa sola cum impiis, hoc est, impietatem infidelitatis profitentibus, seu professis hostibus veræ Religionis, virium confœderatio, subsidiorumque invicem præstandorum societas, fidelibus interdicta credatur. Nihil enim crimini vertit Scripturæ textus Asæ Regi, nisi quòd, advocatis impiorum auxiliis *a*, *habuisset fiduciam in Rege Syriæ, & non in Domino Deo suo, qui præbet fortitudinem.* Nihil Amasiæ, nisi quòd *non esset b Dominus cum Israël* idololatrâ, *& cunctis filiis Ephraim,* quos

a 2. *Paral.* 16. b 2. *Paral.* 25.

quos suppetiis ferendis accersiverat. Nihil in Rege Josaphat reprehendit, nisi quòd auxilium *impio* præberet; quòd amicitiâ his, *qui oderunt Dominum*, jungeretur; quòd habuerit fœdus cum Ochozia, *cujus opera erant impiissima*, nullâ sacrilegorum effectuum subjuncta mentione: exserteque notat, quòd *idcirco iram Domini merebatur*; ideoque percussisset Dominus opera ejus, *quia habuisset fœdus cum Ochozia.* Quo in genere præclara verba sunt cujusdam Legati Dagoberti Regis Francorum, Sicharii nomine. Cui cùm Samo Sclavorum Princeps, ad quem destinatus erat, libenter se jussis Dagoberti pariturum dixisset, si tamen *a disponeret secum amicitias conservare*; respondit cum stomacho Sicharius *b: Non est possibile, ut servi Dei cum canibus fœdera jungant.* Fulco quoque & Joannes, tam Papa quàm Chrysostomus, ille imperfecti Auctor operis, perspicuè volunt & probant, ipsam hujusmodi fœderationem fidelis cum infidelibus esse veritam, noxiam, Deo detestabilem: usque adeò, ut Fulco *Deum relinqui* dicat, *cùm ejus hostibus sociamur*; & eum, qui illis utitur, *diaboli patrocinio velle regnare.* Et uterque, quemadmodum & Scriptura, desperati auxilii Dei hoc argumentum esse profitetur.

Eadem quoque recentiorum Pontificum, Pii V. Gregorii XIII. & Clementis VIII videtur esse in allegatis verbis mens, qui ipsam fœderis turpitudinem, quod cum tam impiis sancitur, execrati sunt: eadem & Scriptorum quorumdam nostri sæculi, quos citavimus. Inter hos Le Bref apertissimè dicit *c*, *impietatem esse manifestam, fœdus per-*



a *Aimon. lib. 4. cap. 23.* b *Fredegar. c. 68.*
c Verba Gallicè suprà data sunt.

*cutere cum infidelibus, Christi nomen abhorrentibus, & eorum armis adversùs Christianos arma nostra conjunjungere; neminemque hoc in dubium posse revocare.* Nam quod ipse discrimen inter infideles istos, & alios Christi nomen profitentes ponit, quos non hæreticos, juxta veritatem & Catholicam fidem, sed schismaticos, mitigandi fœderis Francici causâ, nuncupat, hoc tempori, & Regi, cui à Consiliis est, tributum accipimus. Sed Scripturarum oracula, & Ecclesiæ disciplina jam inde ab Apostolis introducta & usitata, schismaticos tales, hoc est hęreticos, multò magis quàm infideles exhorret. Quidquid enim in utrisque spectes, sive Christi contumeliam, sive odium veritatis, sive contentiosissimã animi pervicaciam adversùs Deum, sive Christianorum periculum & contagium, sive denique impietatis magnitudinem; juxta Theologiæ principia, Patrum effata, Ecclesiæ cautionem atque sollicitudinem, & Scripturarum oracula, in omnibus hæretici præ simpliciter infidelibus seu Paganis palmam ferunt. Unde fit, ut primitiva Ecclesia nec *Ave* quidem eis dictum voluerit; Joannes Apostolus formidaverit viso Cerintho [a], *μὴ καὶ τὸ βαλανεῖον συμπέσῃ, ne & ipsum balneum corrueret*, in quo lavabatur; Polycarpus Marcionem τὸν πρωτότοκον τοῦ σατανᾶ, *primogenitum diaboli* appellaverit; alii eorum aspectum sermonemque aversati sint; alii eos, ut suprà vidimus, Judæis, Paganis atque idololatris nequiores; alii ipso dæmone pervicaciores judicaverint. Tantus horror semper Ecclesiæ, verorumque Christianorum ab hæreticis, non ab aliis infidelibus fuit. Quam sollicitam Ecclesiæ cautionem ac detestationem

[a] *Euseb. lib. 4. Hist. cap. 13. ex Irenæo lib. 3.*

tionem infra magis, quàm supra verum fuisse, horribiles illæ strages animarum, Ecclesiæque vastitates, quas nostro sæculo, præteritisque omnibus intulerunt, omni argumentorum luce clariùs probant. Fert enim Deus molestissimè, filios suos ad capitalium hostium suorum subsidia confugere, quos in benevolentiâ ejus paternâ sperare decuisset. Quid enim reverâ loquitur talis Catholicorum diffidentia, nisi impotentem esse Deum, qui suos adjuvet; sed diaboli & filiorum ejus operâ regnandum esse, quemadmodum Carolo Simplici Fulco exprobravit? Quam ob causam Asæ & Amasiæ, in se confidentibus, & impiorum auxilia jam coëmpta paratáque respuentibus, promptissimas Deus suppetias tulit. Quocirca si Scriptorum Scripturarúmque auctoritates fœdera illa subsidiaria, cum impiis seu impietatem profitentibus percussa, reprobant, hoc ipso, quia cum improbis percussa sunt; (quemadmodum diligenter expensæ videntur apertè profiteri) profectò subsidiaria illa quoque Francorum fœdera ad ineundam armorum societatem cum coryphæis impietatis, vera ratio, & verborum citatorum energia, hoc ipso detestanda esse convincit. Sed, ut jam dixi, de hoc ego, quamvis verum esse videatur, hoc loco non contenderim. Si enim justioribus ponderibus examinatum istud forsan falsum apparuerit, scopo nostro nihil nocet; sin verum, capitaliter prodest. Sic enim doctrina, quâ tradimus illicita esse Francorum fœdera, quæ cum tantâ Religionis strage sanciuntur, inexpugnabili defensione munitur.

## CAPUT XXXV.

*Solvuntur duæ Objectiones, ex fœdere Abraham cum Abimelech, & Iudæorum cum Spartiatis petita.*

NEc verò fœdera fidelium cum infidelibus, quæ ex Scripturis proferuntur, ad eam infirmandam quidquam faciunt. Quod quamvis initio tractatûs hujus breviter insinuatum fuerit, hîc paulò fusiùs declarandum est.

Primum igitur fœdus ex Scripturis Arroyus profert *a*, quod Abraham sanxit cum Abimelech. Respondeo: Abimelech infidelem fuisse Arroyus dicit, non probat. Aliud sensit Ambrosius, qui perspicuè dicit *b*: *Abimelech fidelis æstimatus est à Deo, ut meruerit audire, Et ego scio, quia puro corde fecisti hoc, &c. Nec est dubium, cæteris operibus ejus indignationem Domini esse revocatam, quippe qui interioris arbiter est conscientiæ, & animi ac mentis interpres.* Hîc audis Abimelech fidelem, meritum admonitionis divinæ, opera indignationem revocantia. Aliud item sensit Theodoretus à Lipomano in Catena citatus *c*: *Abimelech Rex, cùm esset justus, Saram justam sibi copulare tentavit, maximæ sibi gloriæ futurum existimans, si ex tali feminâ liberos suscepisset.* Nulla verò justitia sine fide unius Dei. Aliud denique textus ipse Scripturæ poscit, dum Abrahamum inducit dubitantem, utrùm *in isto loco esset timor Dei d*; Septuaginta θεοσέβεια, id est, *cultus Dei*; quem inter idololatras nullum esse, nemo pius dubitat. Abimelech quoque tamquam justus, ab injuriis peregrinorum, & adulteriis, veluti

a *Fol.* 191. b *Ambros. lib.* 1. *de Abraham cap.* 7. c *Theodoret. in Catena Lipomani.* d *Genes.* 20.

veluti Regno Regique calamitosis, abhorrens introducitur.

Sed, esto, fuerit infidelis, quid inde conficietur? Nihil aliud illo fœdere ab Abimelech interpositâ jurisjurandi fide expressum fuit, nisi *a ne noceas mihi, & posteris meis, stirpique meæ: sed juxta misericordiam, quam feci tibi, facies mihi, & terræ, in qua versatus es advena.* Quæ vel umbra hîc subest mali? Alia est induciarum & pacis, alia subsidiorum bellique societas. Illam Deus auctor pacis probat, per Apostolum præcipiens *b, ut cum omnibus hominibus pacem habeamus*, quantum in nobis est; istam vetat. Quis enim tantâ fatuitate deliret, ut vicinos infideles perpetuis bellorum cladibus à Christianis atterendos, vel benè meritis de nobis, quemadmodum Abimelech de Abraham benè meritus fuerat, malum pro bonis, quibus affecti simus, reponendum arbitretur? Quæ profectò causa est, ut olim & nunc Cæsares Regesque Christiani cum Paganis, Saracenis, Turcis, Persis, hæreticis, Hugonottis, Geusiis, diversa pacis vel induciarum pacta, sine sapientis cujusquam reprehensione sanxerint, ut Imperia, Regna, Respublicæ, Ecclesiæ denique ipsæ attritæ bellicis calamitatibus aliquantulum ab ærumnâ respirarent. Hoc ipsum enim Religioni Christianæ, haud secùs atque Reipublicæ, prodest plurimùm: quæ numquam graviora, quàm sæviente bellorum tempestate, patiuntur. Hoc ergo confœderationis genus qui in Cæsaribus aliisque Franci culpant, suo seipsos, quamvis mortuos, ense jugulant, & sensum Christianum contradicendi studio perdiderunt.

De

a *Genesis* 21. b *Rom.* 12.

De fœdere cum Spartiatis *a* inito, eadem ferè ratio est. Non enim ad belli societatem, minùs adversùs Principes fideles, minimè omnium cum aliquâ clade Religionis ictum fuit; sed ad fovendam fraternitatem generis, indeque profectam amicitiam: ut nihil sanè fœderibus Frãcorum dissimilius sit. Nam Spartiatæ, diu ante bella Machabæorum, ultrò Judæis significaverant *b*, *inventum* esse scriptum *de Spartiatis & Iudæis, quòd essent de genere Abraham*: quibus idcirco tamquam consanguineis, bonorum suorum societatem benignè offerebant, quemadmodum libri Machabæorum docent. Hanc ergo fraternitatis memoriam, ne fortè temporis morâ intercideret, Jonathas *c*, & postea Simon renovavit; sed ita tamen, ut expressè dicerent, se neque societate eorum & amicitiâ, quâ præventi fuerant, indiguisse, nec eorum operâ uti voluisse. *Nos*, inquiunt *d*, *cùm nullo horum indigeremus, habentes solatio sanctos libros, qui sunt in manibus nostris, maluimus mittere ad vos renovare fraternitatem & amicitiam, ne fortè alieni efficiamur à vobis*. Et inferiùs iterum: *Noluimus ergo vobis molesti esse, neque cæteris sociis & amicis nostris, in his prælijs. Habuimus enim de cælo auxiliũ, & liberati sumus.*

a *Arroyus fol.* 194. b *Lib.* 1. *Machab.c.*12.
c *Ibid.c.*14. d *Lib.*1.*c.*12.

## CAPUT XXXVI.

*Alia dua, ex fœdere Moysis cum Hobab, & Israelitarum cum Ægyptiis.*

FOedus Moysis cum Hobab, quod item Gallicis fœderibus fucandis hîc prætexitur, Ar-

royum

royum a risu, vel causam ejus dignā profectò miserationc declarat, quæ talium ineptiarum indigeat patrocinio. Cujus enim hîc vel commentitii belli species esse potest? cujus adversùs fidelem Principem? cujus cum pernicie Religionis? imò quæ vel imago fœderis? Hobab enim cognatus Moysis comiter invitatus fuit, ut cum Israëlitis proficisci dignaretur, in speciem quidem, ut exercitum Israëlitarum per desertum duceret, tamquam peritus locorum, ubi *castra ponerentur*; re ipsâ verò, quod Scriptura indicat, ut Moyses eum inter Israëlitas, tum corporalibus, tum præsertim spiritualibus beneficiis, veræque Religionis notitiâ cumularet. Nam columna nubis, Angelus, Moyses ipse, qui & vates erat, & annos quadraginta desertum pererraverat, ductore non indigebat. Itaque sanctus Gregorius b: *Neque enim Moysi mentem ignorantia itinerum angustabat, quem & ad prophetiæ scientiam cognitio divinitatis expanderat, quem columna nubis exteriùs præibat, quem de cunctis interiùs per conversationem cum Deo sedulam locutio familiaris instruebat. Sed videlicet vir providus elato auditori colloquens solatium petivit, ut daret. Ducem eum requirebat in via, ut dux ei fieri ad vitam potuisset*, &c. An ita fortè Arroyus mente perturbatus est, ut infidelem ad fidem, verumque Dei cultum dexteritate perducere, nihil aliud esse putet, quàm fœdus cum infidelibus percutere, bellique societatem contra fideles Principes, cum Religionis noxa, quod propriè inter nos disputatur, nectere? Quid, quòd Hobab iste tamquam cognatus Moysis, viri undequaque sanctissimi, & filius Raguelis, seu Jethro, cultoris veri Dei, & Rechabita-

a *Arroyus fol. 192.*

b *Gregor. Pastor. cura par. 3. adm. 18.*

Principes cultores Dei: hos verò subditorum cum superioribus suis nexus hortando, suadendo, jubendo, stringit arctiùs, præcipitque inviolabilis obedientiæ professione servari. Ex quo proficiscitur, ut, si quis fidelis infideli Principi, vel vice versâ, fideli infidelis, sive nascendi, sive peregrinandi, victumque quæritandi, sive justâ alterius necessitatis conditione subdatur, Rege jubente, non disputare, sed parêre teneatur, &c, nisi clareat injustitia, arma capere. Tanta est ordinis jubendi & obediendi in Christiana Religione observantia. Sed quid isti obedientiæ subditorum generali ac necessariæ cum voluntariis Principum fœderibus? Nimirum naufraganti causæ tabula undequaque arripienda est.

## CAPVT XXXVII.

*Item alia duo difflantur; fœdus Iosua cum Gabaonitis, & Davidis cum Achi Rege Geth.*

ADfers *a* & fœdus Josue cum Gabaonitis ad tuenda tua, à quibus, ut lux à tenebris, in multis capitibus discrepat.

Primò, quia Josue cum iis, tamquam cum fidelibus, hoc est, Deum verum jam agnoscentibus, pactus est *b*. *De terra*, inquiebant Gabaonitæ, *longinqua valdè venerunt servi tui in nomine Domini Dei tui. Audivimus enim famam potentiæ ejus, cuncta quæ fecit in Ægypto*, &c. Ecce famâ magnaliũ divinorũ exciti in nomine Dei Israël fœdus ambiunt.

Secundò, fœdus istud non fuit initum ad bellandum adversùs fideles Deo Principes, multò minùs, cum aliqua clade vel periculo veræ Religionis,

a *Arroyus f.* 192. & 193. b *Iosue* 9.

gionis, ut Francorum fœdera; qua de re tota nostra controversia est.

Tertiò, fœdus istud ne quidem belli fuit, hoc est, nullâ omninò bellandi adversùs quemquam societate, neque subsidii ullius accipiendi dandive conventione, de quo nos agimus, constitit, sed nudæ pacis, eaque solâ sancitum conditione, ne Gabaonitæ internecione delerentur. *Fecitq; Josue*, ait Scriptura *a*, *cum eis pacem, & inito fœdere pollicitus est, quòd non occiderentur.* Et rursum effectum fœderis significans: *Et non percusserunt eos, eò quòd jurassent eis Principes multitudinis.* Nec ipsi Gabaonitæ aliud quidquam in illo fœdere, nisi vitæ suæ salutem, spectaverunt: *Timuimus valdè, & providimus animabus nostris, vestro terrore compulsi, & hoc consilium inivimus.* Quis jam ita non solùm à Christiano, sed etiam ab humano sensu remotus est, ut vel à Deo, vel ab hominibus vetitum putet, vitam salvam donare vel pacisci infidelibus, quibuscum nulla nobis, ut putabat Josue, controversia est? Unde, detecta fraude, non in belli societatem admissi, sed in perpetuam tabernaculi templique servitutem tamquam servi mancipati sunt: quos propterea Josue ab injuriis Chananæorum, tamquam infima Reipublicæ suæ membra, defendit. Utinam Christiani Principes, ipsique adeò Francorum Reges, talia frequenter fœdera cum infidelibus ferirent, ut Dei veri potestate territi, & Christianorum arma formidantes, velut magno beneficio corporali vitâ donarentur, vel servitute mulctati, vitam fidei reciperent spiritualem. Nónne talibus exemplis fœderum te, Arroye, triumphare, est planissimè in tuâ causâ delirare, vel de tuâ causâ desperare?

*a* *Josue* 9. b *Ibid.*

Fœdus

Fœdus David cum Achi Rege Geth etiam in ſubſidium, ſed fruſtrà, advocas *a*. Nihil aliud fecit David, niſi quòd, vitâ periclitante, ad Regem infidelem ſalutis ergò conceſſit: quod & Abraham *b* fecit, quando, terrâ fame vexatâ, vitæ tuendæ causâ in Ægyptum; & Iſaac *c*, quando in Gerara ad Abimelech Regem Palæſtinorum peregrinatus eſt; & Jacob *d*, cùm in Meſopotamiam; & Chriſtus *e* ipſe, cùm in Ægyptum, declinandæ causâ perſecutionis, fugit. Quis iſta reprehendat, niſi qui neſciat, quid loquatur, vel de quibus affirmet? Quæ eſt enim in iſtis umbra fœderis cum infidelibus, vel belli cum fidelibus, vel peſſumdatæ Religionis, de quibus potiſſimùm diſceptatio eſt? Prædas quidem David egit, ſed *f de Geſſuri, & de Gerzi, & de Amalecitis*, qui non erant de populo Iſraël. Quamobrem *g virum & mulierem non vivificabat David, nec adducebat in Geth*, ne fortè aſtus ejus proderetur. Ad pugnam adversùs Saulem ductus eſt, Regiq; ancipiti pollicitatione proteſtatus *h*: *Nunc ſcies, quæ facturus eſt ſervus tuus*. Sed vel in Regem Achin, hoſtem populi Iſraël, arma verſurus erat, ut quidam volunt, & meritò Satrapæ Philiſthinorum verebantur; vel potiùs, tamquam vates ex divina voluntate ſuſpenſus iſta protulit, jam videlicet divinitùs inſtructus, ſe, quod accidit, Philiſtinorum decreto, & ipſius Achis auctoritate dimittendum. Nihil igitur omninò factum Davidis pro Francorum fœderibus, & ſuppetiis, hæreticorum factioni adversùs Catholicos Principes in injuriam Religionis datis, facit.

CA-

a *Arroyus f.*193. b *Gen.*12. c *Gen.*26. d *Gen.*28.& 29. e *Matth.*2. f 1.*Reg.*17. g *Ibid.* h *Ibid. cap.* 28.

## CAPVT XXXVIII.

*Fœdus Machabæorum cum Romanis explicatur.*

FOedus Machabæorum cum Romanis luculentius est & plausibilius; quod tamen non attigisti, probè conscius fortassis, nihil omninò pro vobis facere. Nam inprimis fœdus quidem cum infidelibus hîc audio, sed subsidia contra fidelem Principem data, bellaque fidei perniciosa non audio. Nihil igitur ad rhombum nostrum. Deinde Machabæi, qui fœdus istud cum Romanis pacti sunt, haud scio, an non illud ipsimet luculentiùs agendo culpaverint, quàm sacer textus narrando laudavit. Nam quamvis post ictum fœdus, occisis Judâ, Jonathâ, Simone, fortissimis hostium premerentur exercitibus, & cum extremis angustiis Respublica luctaretur; numquam suppetias Romanorum, vel ullorum infidelium copias, divino auxilio constanter freti, advocare voluerunt. Ita profitentur in litteris ad Spartiatas exaratis præclarissimè: a: *Nos autem circumdederunt multa tribulationes, & multa pralia, & impugnaverunt nos Reges, qui sunt in circuitu nostro. Noluimus ergo vobis molesti esse, neque cateris sociis & amicis nostris, in his praliis. Habuimus enim de calo auxilium, & liberati sumus nos, & humiliati sunt inimici nostri.* Judicabant viri prudentes atque Religiosi, subsidium Romanorum in Religionis noxam, & Reipublicæ interitum cessurum, sicut reverâ postmodùm utrique cessit, cùm, contendentibus Hyrcano & Aristobulo fratribus, Pompejus in Judæam accersitus est. Itaque magis potentiores hostes suos, ut videtur, Romano

a 1. *Machab.* 12.

fœdere terrere, & arcere à cervicibus suis, quàm viribus eorum uti voluerunt. Nam octo aut decem annis ante primum fœdus, viderant in propinquo ad Leusinem Antiochum, qui Romæ obses fuerat, gravissimũ Reipublicæ suæ & Religionis inimicũ, cùm Alexandriæ totiq; Ægypto cum exercitu immineret, solo Senatûs imperio *a* fractum, quod ei per Popilium Lænam denuntiatum, & ex templò, antequam circulo sibi circumscripto excederet, acceptandum fuerat, Ægypto re infectâ discessisse. Denique fœdera ista cum Romanis narrata lego, laudata non lego. Non enim inusitatum istis libris est, quædam humano judicio speciosa narrare, quæ divino *b* reprobantur. Morte Raziæ quid animosius, & strenuitatis admiratoribus nobilius? Quæ tamen Augustini *c* calculo, & veritate damnatur. Itaque quid mirum, si, quemadmodum illi laudato licet ibidem viro, *tamquam homini elatio superba subrepsit*; ita Machabæis, licet præclaris ducibus Reipublicæ suæ, quidam diffidentiæ torpor obrepserit? Jam enim toties opitulatricem Dei manum senserant, qui contritis hostibus populi sui, Rempublicam oppressam miraculosâ suâ virtute liberaverat: ut meritò jam liberati, multò alacriùs & confidentiùs auxilium ab ipso solo, non ab hostibus ejus tam Religioni quàm Reipublicæ periculosis, exspectare debuissent. Quapropter cùm ab illâ pristinâ fiduciâ suâ metu fracti vel tãtillùm decidissent, ut fœdus vel sanciendum, licèt non utendum, cum infidelibus percuterent, gravissimis ex illo die calamitatibus involuti sunt. Ut sanè cum Augustino, aliud agente, dicere possimus *d*, *factum narra-*

S *tum*

a *Livius l.*45. b 2. *Machab.*14. c *Aug. epist.*62. d *Aug ibid.*

*tum est, non laudatum; & judicandum potiùs, quàm imitandum:* & non injuriâ Rupertus id, quod superiùs allegavimus, de Machabæis dixerit *a*: *Quamvis super hac re non culpet eos Scriptura, res gestas continens ipsorum; nihilominùs tamen animadvertere promptum est, non fuisse tutum coram Deo, neque lege concessum Iudæis, ut expeterent amicitias Gentium.* Nam in eo *b cæleste sibi diminuerunt auxilium, dum quærunt ab hominibus sæculi quasi pacis & securitatis firmamentum.* Sed jam, disjectis illis argumentorum obicibus, cætera de fœderibus prosequamur.

a *Rupert. lib. 10. de Victor. verbi c. 26.* b *Ibidem.*

## CAPUT XXXIX.

*Fœdera cum infidelibus crimen anathemate dignum judicârunt antiqui. Excommunicatio pluribus Canonibus adversùs illud pronuntiata.*

PRoximè Patrum antiquorum, aliorumque Scriptorum aciem produximus: nunc videndum, quibus pœnis fœdera cum infidelibus, & suppetias inde datas, digna judicaverint, ut pleniùs ea divino quoque judicio vetita esse cõstet. In primis igitur Ecclesiæ Præsules fulmine anathematis ea ferienda judicasse, imò subinde feriisse, idque etiam, quamvis non nisi indirectè causa Religionis ageretur, exploratum est. Nam Fulco Remensis Archipræsul, cùm fœderis à Carolo Francorum Rege cum Nortmannis initi turpitudinem, & criminis magnitudinem declarasset, æterni anathematis Regi intrepidè intentat minas: *Sciatis*, inquit *a, si hoc feceritis, & talibus consiliis acquie-*

a *Apud Flodoard. lib. 4. Hist. Rem. c. 5.*

*acquieveritis, numquam me fidelem habebitis: sed & quos utcumque potuero, à vestrâ fidelitate revocabo: & cum omnibus Coëpiscopis meis vos, & omnes vestros excommunicans, æterno anathemate condemnabo.* Fœdus istud non fuisse directè in fidei perniciē susceptū, certum est: indirectè verò Calvinistas Hollandiæ, & Lutheranos Germaniæ, longè periculosiores & perniciosiores esse fuisseq; fidelibus, quàm Nortmannos, & perinde Romanæ Religionis hostes, æquè perspicuum est. Nam quamvis Nortmanni Galliam grassando depopulati sint, attamen Catholicos ab eis in eorum perfidiam tractos, nemo tradit: cùm millia millium animarum hæreseos utriusque infecta lue, perditionis æternæ in Hollandiâ & Germaniâ pœnas luant.

Jam verò Joannes VIII. Pontifex, ut suprà vidimus, fœdera Principum Italorum cum Agarenis, propter similem indirectam Ecclesiarum noxam, sæpiùs excommunicationis pœnâ se persecuturum, interminatus est. Quos præfractiores in retinendis illis pactis expertus est, eis reipsâ Ecclesiasticum fulmen intorsit: a *Nunc autem vel illis* (Neapolitanis) *incorrectis existentibus, & ad percutientem se redire nolentibus; vel tibi cum ipsis habitanti, & idcircò à divinis omnibus pariter sequestrato, quo pacto, antequam resipiscentes ad viam salutis & justitiæ revertamini, parcere, aut à nexu Ecclesiastici vos judicii valemus absolvere? Absolvite ergo vos priùs colligationes impietatis, & fœdus impium, quod cum inimicis Christi habetis compositum, & nos illicò misericordiam*, &c. Et statim vehementiùs: *In scelere impio manentibus miserendum non est.* Et ad populum Amalphitanum, eodem fœde-

S 2 re

a *Ioan. VIII. epist.* 41. b *Idem epist.* 22.

re contaminarum: *a Virtute sancti Spiritûs, & auctoritate sancti Petri, cui ligandi & solvendi in cælo & in terrâ à Domino est concessa potestas, omni sacrâ communione, sancto videlicet Corpore & Sanguine Domini nostri* JESU *Christi, vos unà cum totius Apostolicæ Sedis consensu privavimus, & ab Ecclesiæ Dei societate separavimus, ut in eâdem excommunicatione maneatis, donec resipiscentes ab impiâ vos Paganorum pradâ separetis.* Cujusmodi pœnæ interminatione territus Guaiferius Princeps Salernitanus, Leone Ostiensi teste, fœdus Saracenorum rupit, & plurimos ex eis trucidavit. Ex quibus perspicuè demonstratur, quantumvis indirectè duntaxat hujusmodi fœdus in Religionis detrimentum vergeret, directè verò securitatem statui suo parare niteretur, crimen grave & anathemate dignissimum ab utroque Remensi & Romano Præsule *b* fuisse judicatum: quod etiam contra *divina statuta* alio in loco commissum esse declarat.

Cùm ergo istud certum sit, ulteriùs inquiri potest, Utrùm nullo jure Ecclesiæ pœna anathematis, ipso facto incurrendi, fœderibus hujusmodi, quæ cum hæreticis aliisque infidelibus feriuntur, constituta sit. Ex duobus potissimùm capitibus difficultas nascitur, ex Favore, & ex Auxilio infidelium.

Quod ad utrumque caput attinet, fœderibus, quæ cum hæreticis contra Catholicos Principes percutiuntur, cum tanto præsertim damno Religionis, pœnam excommunicationis latæ irrogatam esse, satis perspicuè convinci potest. Est enim omnium Doctorum judicio certum, *fautores ac defensores hæreticorum* excommunicationis vinculo

a *Joan. Papa VIII. epist. 22.* b *idem epist. 41.*

lo innodatos esse. Concilii generalis Lateranensis sub Innocentio III. clara sanctio, quæ in Juris Canonici Corpus relata est, his verbis eos perstringit: a *Credentes verò, præterea receptores, defensores, & fautores hæreticorum excommunicationi decernimus subjacere.* Eadem pœna statuitur libro quinto Decretalium b cap. *Noverit: Excommunicamus omnes hæreticos utriusque sexûs, quocumque nomine censeantur, & fautores, & receptatores, & defensores eorum.* Eadem in Bullâ c Cœnæ Domini quotannis in eosdem à summo Ecclesiæ Capite promulgatur: *Excommunicamus & anathematizamus omnes & singulos hæreticos, quocumque nomine censeantur, ac eorum credentes, receptatores, fautores, & generaliter quoslibet eorum defensores.* Textus perspicui sunt, extra omnem controversiam positi. Solùm aliqua disceptatio esse potest, Utrùm, ut illâ pœnâ quispiã feriatur, fautor aut defensor hæretici tamquam hæretici esse debeat; an verò sufficiat, ipsi personæ hæretici, civili licet nomine sive societatis, sive amicitiæ, sive consanguinitatis, &c. favorem defensionémve præstitisse. Ubi communis Doctorum sensus est, quidquid tandem aliqui secùs dixerint, istud postremum ad subeundam Canonum pœnam non esse satis; sed hæretico tamquam hæretico defensionem favorémve præstitum esse oportere. Nec enim ullo modo verisimile est, solum humanitatis aut amicitiæ cultum tam gravi pœnâ esse perstrictum.

Verumtamen observandum est, duplici adhuc modo hæreticis, tamquam hæreticis, favorem defensionemque impendi posse. Unus est, ut nihil

S 3 aliud

a. *Concil. Lateran. decreto de Hæret. vide cap.* Excommunicamus. §. Credentes, *de hæreticis.* b *Cap.* Noverit, *de sententiâ excommunicationis.* b *Bulla Cœnâ.*

aliud intentione ſpectet is, qui defendit, aut favet, quàm ut ipſi hæreticæ pravitati hæreticum amplectendo faveatur, error protegatur, ſecta propagetur. Quod ſanè difficulter fieri poteſt, niſi ab eo, qui animo jam infectus Catholicam fidem nauſeat, & cui ipſa per ſe hæreſis placet. Alter eſt, ut aliquâ tēporali conſideratione defenſio hæretico favorque conferatur; ſic tamen, ut hoc in apertum & efficax hæreſeos ipſius redundet patrocinium. Modus iſte favendi tuendique multò minus odii in fidem Catholicam, & averſionis à veritate continet, ſed ſæpè multò efficaciùs in ipſius hæreſis adjutorium profectúmque cedit. Quapropter ut aliquis verè, propriè & efficaciter fautor hæreſis ac defenſor ſit, nullo pacto neceſſarium eſt, ut directè hæreſi fautum velit. Sufficit, ut ipſe rationibus commodiſque humanis ductus, ipſos homines ita favendo tueatur, ut videat non caſu, non fortunâ, ſed ex ipſo tuendi modo in illis circumſtantiis perniciem Catholicæ fidei, & hæreſis incrementa ſtabilitatemque ſecutura: hoc eſt, ſufficit, ut favor quoquo modo conferatur *in causâ ſeu materiâ hæreſeos*, etſi non *propter hæreſim.* Ampliùs profectò poſtulare, hominum videtur moralia principia non ſatis ponderantium, vel penetrantium. Inſpice peccata morum; videbis ubique, quemadmodum duplex voluntarium, directum & indirectum, ita duplicia inde peccata proficiſci. Quædam ipſam quodammodò malitiam ſpecificam intuentur, quam directâ voluntate homines appetunt, ut qui in homicidio, & gulâ, cæteriſque criminibus, ipſam peccati ſpeciem intuendo, prævaricantur. Alia ſpectant aliud, cujus amore malum adjunctum

nolunt

nolunt prætermittere. Sic ille, qui sclopo nihil aliud nisi volucrem in confertâ hominibus viâ petit, cædis est indirectè & interpretativè, ut loquitur Schola, reus; quia interpretativâ indirectâque voluntate crimen dumtaxat voluit. Mores hominum in comedendo, loquendo, ludendo, nocendo, infinitis exemplis hujusmodi culparum, interpretativè indirecteque volitarum, pleni sunt. Idem prorsus in præsenti casu usu venit. Directè defendit, ac favet, qui ipsi hæresi consultum cupit, vel hæreticis propter hæresim; indirectè atque interpretativè, qui homines favendo tuendoque ita sublevat, ut efficaciter in hæresis favorem atque defensionem, aut propagationem, aut stabilitatem, aut Catholicæ fidei noxam favor iste convertatur. Quod non paucis quoque Scholasticis Doctoribus, Hugolino, Sairo, maximeque Toleto, ratione ita poscente, placet. Nam verba Toleti ista sunt: a *Vno modo* (intelligi potest doctrina Cajetani & Navarri) *ut favor, receptatio, aut defensio hæretici fiant propter hæresim, seu in favorem hæresis. Altero modo, ut fiant in causâ hæresis, licet non fiant propter hæresim. Primo modo non est intelligendus Cajetanus. Est enim opinio falsa: non enim tantùm qui sic receptant, favent, aut defendunt, excommunicati sunt (nam lege 2. ff. de receptat. puniendus est ut receptator, consanguineus & affinis, qui receptat latronem occultando. & clarum est, quòd illi non recipiunt, quia fur est, vel in furti favorem, sed quia consanguineus: tamen, quia illa receptatio est in furti occultationem, censetur receptator.) Sic etiam erit de receptatore hæretici, defensore, vel fautore. Modo tamen secundo verissima est opinio, ut defensio, favor, rece-*



a *Tolet. lib. 1. Instruct. Sacerd. c. 19. num. 8.*

*receptatio sint in causâ hæresis, licet non propter hæresim fiant, sed quia amici aut consanguinei sunt, aut similibus aliis finibus vel motivis.* Quis enim in rebus humanis tam absurdè peregrinetur, ut verbi causâ rebellioni numquam ab extraneis domesticisve Principibus, favorem aut patrocinium impertiri putet, nisi ipsam rebellionis malitiam spectent? Favent & illi, & criminis à rebellibus commissi rei sunt, qui subditi cùm sint, vel etiam non sint, propter humana vincula, propriasque cupiditates aut emolumenta capienda, rebellibus, seu hominibus, subsidium præbent, quod palam vident illis rerum circumstantiis, in rebellionis incrementum firmamentumque redundare. Vasallos aut subditos suos nemo sapiens Princeps crimine læsæ Majestatis absolveret, qui talem rebellibus suis favorem defensionemque præberent, quâ, interim dum ipsi sua captant commoda, rebellionem stabiliendam augendamque, Regem regno suo exuendum vident. Ita prorsus ac deteriùs in fœderibus istis suppetiisque Gallicanis agitur. Scopus est, ut Regibus terrenis noceatur; effectus prævisus, ut hæresis radices agat, crescat, floreat; fides indirectè pereat; Ecclesia destruatur, imperiô Rex cælestis exuatur. Quid enim aliud ex istis hæreticorum suppetiis exspectari potest, ubi aperto Marte urbes Catholicæ Catholicis Principibus extorquentur, & hæreticis subjugantur? ubi hæresis ex professo, unde exulabat, introducitur? ubi Præsulatuum, Abbatiarum, Monasteriorum, Ecclesiarum, Religionis, disciplinæque Catholicæ restitutio, contra Dei & Ecclesiæ leges, cōtra Imperii prisca edicta, conventaque pacta, ex professo oppugnatur? Hunc

esse verissimum propriéque dictum hæreseos favorem atque defensionem, Dei legibus vetitam, Canonibus interdictam, bis terve repetitâ excommunicatione percussam, nullo me, fateor, pacto rei ipsius evidentia dubitare permittit.

## CAPVT XL.

*Eadem fœdera, subsidiaque hæreticis data, aliis trium excommunicationum telis feriuntur in Bullâ Cœnæ.*

SEd alia adhuc excommunicatio adversùs ista fœdera, pactaque auxilia, verbis Bullæ Cœnæ comprehenditur: a *Item excommunicamus*, ait Bulla, *& anathematizamus omnes illos, qui ad Saracenos, Turcas, & alios Christiani nominis hostes & inimicos, vel hæreticos, per nostras, sive hujus sanctæ Sedis sententias expressè vel nominatim declaratos, deferunt seu transmittunt equos, arma, ferrum, filum ferri, stannum, chalybem, omniaq; alia metallorum genera, atque bellica instrumenta, lignamina, cannabem*, &c. *aliaque hujusmodi, quibus Christianos & Catholicos impugnant.*

Tertia item excommunicatio ibidem verbis istis continetur: b *Nec non illos* (excommunicamus & anathematizamus,) *qui per se, vel alios, de rebus statum Christianæ Reipublicæ concernentibus, in Christianorum perniciem & damnum, ipsos Turcas & Christianæ Religionis inimicos, in damnum Catholicæ Religionis, certiores faciunt.*

Quarta verò ibidem eâdem verborum comprehensione subjungitur, quando dicit, illos quoque

S 5

a *Bulla Cœnæ excommunicatione* 1. b *Ibidem.*

que excommunicari & anathematizari, qui *illis ac ad id* (hoc est, qui Turcis & hæreticis in damnum Catholicæ Religionis) *auxilium, consilium, vel favorem quomodolibet præstant*. Tria ista anathemata propter tria diversorum genera peccatorum, in fœderum istorum suppetiarumque auctores perspicuè cadunt. Nam & equos, & arma, & bellica instrumenta, & alia huiusmodi, imò & ipsos milites, ad hæreticos transmittunt, quibus Catholicos, ipsamque Catholicam Religionem impugnent atque deprimant: & per se vel alios, de rebus Reipublicæ Christianæ statum concernentibus, hæreticos certiores in damnum Catholicæ Religionis faciunt, quantum possunt: & illis in damnum Catholicæ Religionis, auxilium, consilium, favorem multis modis præstant: quemadmodum per Germaniam & Belgium ac Turciam, legationes, tractatus, fœdera, conflictus, urbium occupationes, machinatæ proditiones, hæresis propagationes, classium Turcicarum evocationes, clamant. ut dubium esse nequeat, quin tot moliminum impiorum auctores, & consiliarii, & executores, sive milites, sive Duces, quâcumque dignitate fulgeant; vel pietatis larvâ squalleant, multiplici excommunicationis vinculo innodati sint.

Quid enim ad infringendam anathematum istorum vim responderi potest? De facinoribus istis præclaris tota Europa testis est: in damnum Catholicæ Religionis ea cedere, nec ipsa impudentia infitietur: nisi fortè, Religionem Catholicam in Germaniâ pessumdari, restitutioni ejus totis viribus resistere, Calvinistas uno hoc quinquenio, quo bellum istud postremum sævirt, mil-

a *Ibidem*.

lenas

lenas Germaniæ, pænè ducentas Belgii Ecclesias urbanas ruralesque occupasse, Pastores earum, & Monasteria Monachorum Virginumque fugasse, Religionis exercitium, conciones, Sacrificium, cantum ab omnibus exclusisse, nullum Catholicæ Religionis damnum esse decernamus. Quod nescio utrùm vel Atheorum frons perfricta dixerit. Religionis pessumdandæ intentio in his factis non requiritur. Nam ipsas actiones Christianæ Religioni perniciosas Pontifex percellere censurâ, & comprimere præcepto voluit; cujus transgressionem non tollit pravæ intentionis absentia, quemadmodum communi consensu Theologorum chorus docet. Et quis tandem Catholicus, nisi nomine aut veste tenus, Turcas aut hæreticos Christianam Rempublicam impugnantes adjuvans, ipsam Religionem fidemque quam profitetur, expresse directeque profligatam cupit? Aliud semper appetunt, lucrum, vindictam, gloriam, Principatum, vel aliquid hujusmodi, cujus adipiscendi cupiditate infidelibus in damnum Catholicæ Religionis auxilio, consilio, favore, vel *quomodolibet*, sicut loquitur Bulla, sociantur.

Unum dubitari posset, Utrùm Calvinistæ & Lutherani, qui per ista fœdera in damnum Catholicæ Religionis armantur, ab Apostolicâ Sede *expresse vel nominatim declarati sint*, ut Bullæ verba postulant. Nam quamvis ab istis verbis, vel istâ personarum conditione, criminis istius magnitudo non pendeat, sed ab auxilio, consilio aut favore: itemque à damno, quod infertur fidei atque Religioni, qualescumque hæretici illi fuerint, sive declarati, sive non declarati, quibus auxilium aut favor datur: vis tamen censuræ Ecclesiasticæ,

quæ à criminis magnitudine non semper petitur, à talibus circumstantiis non rarò ex judicis voluntate suspenditur.

Sed nec de clausulæ istius veritate meritò quisquam ambigere potest. Nam quamvis constet, non esse Calvinistas aut Lutheranos *nominatim* hæreticos declaratos, *expressè* tamen declaratos esse, ex hac ipsâ Bullâ manifestum est, in cujus initio dicitur: *Excommunicamus ex parte Dei omnipotentis quoscumque Lutheranos, Calvinistas, Vgonottas, &c.* Qui enim expressiùs, clariùs, disertiùs hęretici declarari queant? Nam declaratio illa, quæ *nominatim* fit, in singulis personis locum habere solet; quæ *expressè*, etiam in sectis integris. Quam ob causam disjunctivâ quoq; locutione Pontifex uti voluit: ut non illi solùm anathemate plecterētur, qui hæreticis *nominatim* declaratis in damnum Religionis opem ferunt, quod rariùs usu venit; sed in primis illi, quod frequentius longeq; fidei perniciosius est, qui favorem sectis integris Catholicos impugnantibus *quomodolibet* pręstant. Quamquam non desint, quibus placuit, hæreticos quoslibet, actu vel habitu Catholicos impugnantes, sub illis verbis, *& alios Christiani nominis inimicos*, esse cõprehensos. Sed utcumque se istud habeat, hoc interim constat ex Auctorum istorum, adeoque ex ipsius Bullæ mente, crimen etiam talium hæreticis non nominatim declaratis opitulantium, esse gravissimum, & excõmunicationis censurâ dignum, quamvis hîc nullâ feriretur. Crimen enim, ut diximus, favoris & auxilii erga quosq; notorios hæreticos ejusdē rationis est, nec ejus magnitudo à Pontificis punientis volũtate, vel ab expressâ declaratione, (quemadmodum pœna) pendet, sed supponitur.

## CAPVT XLI.

*Pœnis temporalibus persecutus est Deus fœdera cum infidelibus in Veteri Testamento.*

QVòd si quis fortè caput suum ab istius Bullæ fulminibus tueri se posse putet, saltem divinæ diras iracundiæ pertimescat, quas iratum Numen jam inde ab initio, etiam ante primordia Christianæ Religionis, in eos vibravit, qui infidelium arma suis sociando, temporalis Regni fumum periculis & damnis Ecclesiæ Dei habuêre potiorem. Asa Rex Iudæ, à pietate non mediocriter commendatus, cùm Regis Syriæ subsidium implorasset, graviter tamquam injuriâ affectus hoc tulit Deus, missoque Vate pœnam evestigiò comminatus est *a*: *Stultè egisti, & propter hoc ex præsenti tempore adversùm te bella consurgent.* Corporis etiam ægritudo molestissima confecit Regem *b*: *Ægrotavit etiam Asa anno trigesimo nono Regni sui dolore pedum vehementissimo*, quem propter illam diffidentiam ei inflictum esse, Chrysostomus *c*, ille operis imperfecti Auctor, tradit. Iosaphat, quòd fœdus cum Achab impio percussisset *d*, *iram Domini* promeruit: quòd cum Ochoziâ, percussis à Deo operibus ipsius *e*, *contritæ sunt naves* ejus. Amasias conducto exercitu centum millium idololatrarum ex Ephraim, jussus est per Prophetam copias illas dimittere, eò quòd *f non esset Dominus cum Israel, & cunctis filiis Ephraim.* Simul intentatæ sunt Regi minæ, quòd si putaret in robore talis videlicet exercitûs bella consistere, ab hosti-

S 7

a 2. Paral. c. 16. b Ibid. c Hom. 1. in Matth. d 2. Paral. 19. e 2. Paral. 20. f 2. Paral. 25.

hostibus, Deo vindicante, superandum. Paruit Rex, Deo fidit, hostes fudit.

Judas Machabæus primus omnium fœderibus Romanis iter aperuit: primus etiam infelici interitu confestim pœnas dedit. Nam eodem ipso anno, ac pęnè mense, antequam vel Legati Româ rediissent, ipse Judas *a* cum flore exercitûs prostratus est, unus fratrũ interfectus, alii duo, Jonathas & Simon, velut exules in desertum pulsi, tota regio cum urbibus & præsidiis in Demetrii potestatem tradita, talisque *b facta tribulatio in Israel, qualis non fuit ex die, quâ non est visus Propheta in Israel.* Iste fructus primi fœderis cum infidelibus, quo se perspicuè, dum ab hostibus Dei subsidium petũt, divinâ protectione nudaverunt. Qui enim oppressam Rempublicam, divino fretus auxilio, exiguâ suorũ manu à casu suo erexerat, ad infideles conversus, eam stantem florentemque præcipitavit.

Jonathas, Judæ frater, & successor in Principatu, divinorum immemor mirabilium, post annos paucos idem fœdus cum Romanis renovavit. Quo fructu, vide. Nondum reuersis Ierosolymam *c* Legatis, ipse cum duobus filiis, & mille viris, proditione Tryphonis interfectus est, & Respublica iterum in summum conjecta periculum, ac trepidationem. Simon fratrum ultimus, necdum edoctus, Deo potius quàm infidelium fœderibus fidendum esse, tertiò cum Romanis nexuit societatem. Sed ecce ipse tertius, cum duobus *d* itidem filiis, à proprio genero Ptolemæo in convivio trucidatus est.

Et hactenus quidem Simon, cæterique Macha-
bæi

a 1. *Machab.* 9. b *Ibidem. libr.* 1. *Machab. c.* 12.
d 1. *Machab.* 16.

bæi in fœderibus nudis Romanorum steterant, omnesque Reipublicæ suæ angustias, nullis eorum subsidiis imploratis, solâ Dei protectione superaverant. Posteri eorum, ut ad suppetias etiam re-ipsâ postulandas progressi sunt, gravioribus etiam calamitatibus ipsi cum Republicâ involuti sunt. Hyrcanus *a* & Aristobulus, ex nepote Simonis nati, cùm inter se de imperio contenderent, primùm à Scauro, deinde à Pompejo Romanorum auxilium coëmerunt. Sed non inultam præteriit impietatem eorum Deus. Nam inde mox Ierosolymorum *b* obsidio, Templi, Pompejo adyta penetrante, profanatio, Reipublicæ Iudaicæ Romanis subjugatæ servitus. Hinc, Deo vindictam suam prosequente, nexisque quâdam serie ex illo fonte calamitatibus, Hyrcanus ab Herode occisus est *c*, Aristobulus, cum filiis atque filiabus, Romam in vincula adductus; ipse veneno à Pompejanis exstinctus; uterque filius ad Antiochiam securi percussus, Alexander jussu Pompeji à Scipione, Antigonus ab Antonio; Regnum à Romanis alienigenæ Herodi traditum, & cum violatâ fœderibus istis Religione pessumdata est Respublica; deletusque Machabæorum Principatus. Utrumque certum est & perspicuum, Romana fœdera suppetiasque peperisse, dum Filius Ecclesiæ veteris primogenitus, Principum Sacerdotum consilio, Pharisæorum prudentiâ, Infidelium auxilio, de imperio cum juniore decertat. Scimus *d* antiquis *omnia in figuris contigisse; scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos fines sæculorum devenerunt.*

a *Ioseph. lib. 14. Antiq. c. 4. & 5.* b *Ibid. cap. 8.* c *Ioseph. lib. 14. Antiq. c. 13. & lib. 15. c. 1.* d *1. Cor. 10.*

CA-

## CAPUT VII.

*Itemque in Novo. Plurimis exemplis exercita à Deo severitatis declaratur.*

NAm si ad Ecclesiam Christianam pergere libet, tantò in ulciscendis hujusmodi fœderibus Dei vindicta severior fuit, quantò in paciscendis impietas evidentior. Ruffinus *a* Gothos Arianos in Europæ, Hunnos Paganos in Asiæ cladem traxit. Cujus proditionis Reipublicę & Ecclesiæ prosequendæ studio dum incumbit, Deo impietatem persequente, mille ictibus confossus, & in frusta ab exercitu discerptus, membra inter milites partita, caput pilo fixum cum dexterâ omnibus ludibrio fuit. Bonifacius Comes dolo Aëtii rebellionis injustè accersitus, quamdiu divino auxilio fidit, superior fuit adversariis suis *b*, Ducibus Mavortio & Galbione interfectis: sed cùm desperaret se resistere posse, VVandalos Alanosque hæreticos *c* in interitum Ecclesiæ Africanæ, & Catholicæ fidei, in Africam evocavit. Adfuit continuò etiam pœnitenti ultor Deus. Nam cum VVandalis pugnans victus est *d*, & Hippone obsessus; auctus copiis Asparis iterum superatus, in fugamque versus est. Tandem singulari certamine cum Aëtio congressus, ex vulnere inflicto & ipse periit. Eodem ferè tempore Ioannes per Aëtium Hunnos infideles in subsidium suum vocans, ab Aspare Ravennæ interfectus *e* est, Aëtius ipsis manibus Valentiniani obtruncatus.

a *Sozimus l. 5. Sozomenus l. 8. c. 1. Claudian. in Ruff. lib. 2.*
b *Prosper. in Chron.* c *Paul. Diac. l. 14. Hist. miscell.* d *Procop. l. 1. de bello VVandal.* e *Paul. Diacon. l. 24. Hist. miscell.*

truncatus. Eudoxia Augusta *a* cùm eosdem VVandalos Arianos contrà Maximum in Italiam accersisset, ipsa, Deo vindice, cum filiabus Eudoxiâ & Placidiâ in Africam captivæ ductæ sunt.

Saracenos in Hispaniam cum incredibili Religionis clade immisit Iulianus: sed nefarium scelus non impunè tulit. Uxor ejus à barbaris obruta lapidibus, filius è Septensi turri præceps actus, ipse bonis exutus, miserabili morte in compedibus contabuit *b*. Eudo Dux Aquitaniæ, eosdem hostes fidei in Galliam contra Martellum evocat. Ipso paulò pòst defuncto *c*, uxor ejus, filia, & neptis vivæ in hostis sui potestatem venerunt: Hunoldus & Vaifarus filii paterno Ducatu spoliati, alter eorum denique à suis trucidatus est. Arnulphus *d* Rex, sive Imperator, ut alii malunt, ut Zuenteboldum everteret, Hunnos excivit in Germaniam: qui tantam Ecclesiarum stragem ediderunt, ut eam Luitprandus istis gemitibus deploret *e*: *O cæcam Arnulphi regnandi cupiditatem! Vnius homuncionis dejectio, quem adversarium patiebatur, fit totius Europæ contritio. Quot mulieribus viduitates, patribusq; orbitates, virginibus corruptiones, Sacerdotibus, populisq; Dei captivitates, Ecclesiis desolationes, terris inhabitatis solitudines cæca ambitio paras!* Ut Suecicæ, quam spectamus, desolationis effigies ista fuisse videatur. Sed quid intereà vindex Deus? *Arnulphus turpissimâ*, inquit idem Luitprandus, *valetudine exspiravit: minutis quippe vermibus, quos pediculos ajunt, vehementer afflictus spiritum reddidit. Fertur autem, quòd præfati vermes adeò*

a *Idem ibid. Procop. lib. 1. de bello VVandal.* b *Ferdinand. Nunius, Ioan. Vasæus in Chron.* c *Fredegar. Annales Franc. Sigeb. in Chron.* d *Vasæus, Regino Adelhel. in an. 768.* e *Luitprand.*

*adeò scaturirēt, ut nullis medicorum curis minui possent.* Nec dissimulat hanc ei plagā pro *Hungarorum* immissione contigisse; fortè ut istâ contritione veniam sceleris istius, quod paulò ante mortem perpetraverat, mereretur. Berengarius, fœdere cum iisdem Hunnis inito, in odium eorum à quibus victus fuerat, eos in Italiam intulit. Hinc vastatâ Papiâ, Ecclesiæ quadraginta tres succensæ. Sed continuò dignas impietate luens pœnas *a*, *à suis interemptus est*. Palæologi, dum inter se de Imperio decertant, icto cum Turcis fœdere, in Europam eos advocant. Mercedis loco, Imperium *b* eorum primùm à Turcis accisum, inde precariò obtentum, filii facti Turcarum Janitzari, Regnum amissum, Constantinopolis capta, stirps Palæologorum radicitus excisa est. En tibi, Lector, prorsus idem fœderum Græcorum cum infidelibus, qui Judæorum casus; nempe utriusque tam Ecclesiæ, quàm Reipublicæ, miserandus occasus.

Sed quid ego in peregrinis immoror, ubi domi nostræ ipsa Francia exemplis fœderum, & suppliciis tam fœcunda est? Carolus Simplex adversus Eudonem se munire volens, fœdere sibi Nortmannos infideles jungere meditabatur. Litteris minisque Fulconis Remensis Archipræsulis territus, & Deo exercituum bellorumque dominatori fidere edoctus, fœdus rupit: æmulus subitò sublatus, ipse in Regno stabilitus est. Sed postea, Roberto à Proceribus in Regem suscitato, Nortmannisque contra Fulconis monita fœderatis, successus fœderis fuit Regni & libertatis jactura, diuturnus carcer, mors in carcere.

Sed

a *Flodoard. in Chron. ad an.* 914.
b *Chalcondylas l.* 1, & 2. *de rebus Turcicis.*

Sed numquam fœdiùs, nisi ab uno circiter sæculo, inter Francos fœdera cum infidelibus pacta sunt; numquam acriùs à Deo manifestiùsque vindicata. Nam intra paucos *a* annos stirps ejus, qui primus, contractâ cum Turcis ac Protestantibus belli contra Cæsarem societate, posteris ad illa fœdera viam stravit, numerosissima profectò penitùs deleta est; tantâ quidem Dei ulciscentis severitate, ut vix unus ex posteris ejus inventus sit, quin violento fato fungeretur. Itaque primò filium natu majorem Franciscum *b gravissimè luxit, quòd veneno sublatus ferebatur*. Novennio pòst Carolus, Aureliorum Dux, filiorum alter pesti illudens, & illusus moritur. Ingressus enim, unà cum Henrico fratre, agricolæ domum, quam contagio infectam intellexerat, lusu juvenili ridere cœpit & se & fratrem, quòd pestiferam domum introiissent. Simul ense in lectulum & culcitram immisso *c* ludens, in fratrẽ excussas plumas volvebat. Itaque vis morbi dum à medicis ignoratur, exstinguitur. Tertius Francisci filius Henricus II. etiam Franciæ Rex, renovato cum Turcis & hæreticis Protestantibus fœdere, cùm non esset nisi annorum triginta novem, imminuto Regni decore, ærario exhausto pro hæreticis in Germaniâ, quod multi reprehendebant, fragmento hastæ, in hastiludii celebritate, oculum per apertam galeam ad cerebrum usque penetrante, vulnus accepit, & vomicâ inde emanante, *d* periit. Filios sustulit Henricus rarâ felicitate quinque: sed nemo eorum prolem suam Regni successorem vidit, Deo in filiis parentum fœdera persequente. Primus

a *Belcar.l.20.num.36.* b *Belcar.l.22.num.52.* c *Arnoldus Ferronius in Francisco I.* d *Belcar.lib.28.num.31.*

Primus eorum Franciſcus II. Franciæ Rex, non niſi ſedecim menſes imperavit. Anno ætatis decimo ſexto cùm in morbum incidiſſet, Chirurgo, ut ſcribunt a, *Calviniſtâ Ambroſio remedia venenis inficiente*, & auribus, ut volunt, infundente, ex hac vitâ tollitur. De quibus mortium generibus illi tunc verſus fortè ab auctoribus luſi ſunt:

*Par l'œil, l'oreille, & l'eſpaule,*
*Trois Rois ſont morts n'agueres en Gaule.*
*Par l'eſpaule, l'oreille, & l'œil,*
*Trois Rois ſont entrez au cercueil.*
*Par l'eſpaule, l'œil, & l'oreille,*
*Dieu a monſtré ſes grands merveilles.*

Secundus Ludovicus, Dux Aurelianenſis, infans moritur. Tertius Carolus, Rex Galliæ illius nominis Nonus, cùm necdum vigeſimumquintum ætatis annum attigiſſet, ſine liberis, non ſine veneni ſuſpicione, mortuus *b* eſt. Quartus Henricus III. Rex Franciæ, gladio intra viſcera adacto interemptus eſt. Quintus Hercules, poſteà, Carolo Rege jubente, Franciſcus dictus, Dux Alenſonius, anno ætatis trigeſimo, ſanguine ex omnibus poris corporis erumpere, ſublatus. Nec deſunt, qui dies ejus veneno acciſos tradant, cujus livores Medici in diſſecto corpore repererint. Sic ſtirps *c* Valeſia, filiis perquàm numeroſa, venenis, gladio, ſterilitate, breviſſimo tempore, prǽmaturâ nece, exſtincta eſt.

Hinc Borboniæ Regali in ſolio datus locus. Pro quâ interpellandus eſt Deus, ut ei, quemadmodum feliciora fata, ſic ſalubriora quoque in abrum-

a *Scipio du Plaix. Belcar. l. 29. num. 9. Genebrard. in Chron.*
b *Bulling. lib. 4.* c *Vide Scipion du Plaix.*

abrumpendis istis fœderibus perniciosis consilia largiatur. Alioquin si majorum vestigia successores, quasi latâ jam fœderum lege, obfirmatâ mente terant, quid magis formidandum est, quàm ut Deus per sua quoque vestigia tam luculentè toties expressa gradiatur? Henricus IV. familiæ, fœderumque Hollandicorum caput, à Petro Barriere Aurelianensi *a* Meloduni; à Ioanne de l'Isle *b* phrenetico, prope Silvanectum nato, Parisiis, cultro sicâque armatis, periclitatus est; à Joanne Chastel Parisiensi vulneratus *c*; à Francisco Ravaillac Engolismensi, nefario parricidio *d* trucidatus. Ludovicus XIII. vix arreptis Regni habenis, periculum ab innocente pænè ætate in sphæristerio subiisse fertur, & aliàs crebrò ab aliis subiit. Quid tam exoticæ sibi violentæque Francorum Regum neces velint, in tam tranquillis prædecessorum fatis, in tantâ vicinorum Regum securitate, ut ne custodibus quidem ad tutelam egeant; quis non stupescat, horrescat, causas ante oculos positas conjecturâ assequatur? Nimirum similis est sibi semper Deus, zelotes honoris sui, æmulator Ecclesiæ suæ. Qui illam consiliis, fœderibus, suppetiis, vel indirectè lædit, tangit pupillam oculi ejus. Nam in omnibus istis fœderum funestorum exemplis, quæ recensuimus, à primo usque ad ultimum, directè quisque temporalem scopum habuit, indirectè tantùm lædebatur Ecclesia aut Deus. Quid enim Amasias & Asa, nisi temporalem utilitatem ex infidelium suppetiis quæsivit, quid aliud eis Josaphat dedit? Quid Judas, & fratres Assamonæi? quid Hyrcanus & Aristobulus, nisi

a *Du Plaix ann.* 1593. b *Anno* 1605. c *Anno* 1594. d *Anno* 1610.

nisi Regnum à Romanis ambierunt? Quid Ruffinus à Gothis & Hunnis, quid Bonifacius & Eudoxia ab hæreticis VVandalis; quid Ioannes, Aëtius, Arnulphus ab Hungaris; quid Julianus, Eudo, Itali Principes à Saracenis; quid Palæologi, Franciscus I. Henricus II. à Turcis; quid iidem à Protestantibus Germaniæ poposcerunt, nisi temporalis vindictæ, defensionis, securitatisque solatium? Omnes isti Religionem salvam, quam non oderant, salvo scopo suo, esse maluissent. Directè quippe fidem Ecclesiamque proterere, Saraceni hæreticique furoris proprium est. Sed superavit in omnibus assequendi temporalis fumi amor, aut amissi dolor: quo stimulante, per calcatam Religionem ad scopum suum directum anhelarunt. Inter omnes tamen istos, qui sacra hujusmodi confœderatione læserunt, haud scio, utrùm quisquam sit, cujus causa non fœderum Gallicanorum justitiam aut colore æquarit, aut æquitate superarit: quos tamen propter perspicuæ impietatis labem Christianus orbis execratus est. Quid enim Bonifacio Julianoque criminosius, quorum ille VVandalico, hic Saracenico fœdere, fidem Africæ Hispaniæque prostraverunt? Et horum tamen iniquitati innocentia Gallicana nihil cedit. Illi gravissimis injuriis ad sui defensionem, aut sceleris ultionem, potentissimè lacessiti sunt; Francorum Regem nihil omninò Cæsar læsit. Illi fatebantur eos, quos bello petebant, hostes esse suos; Francus fœderatos. Illorum causa nihil per se cum Religione commune habuit, sed prorsus indirectè in ejus præjudicium cessit; hîc de ipsâ salute Orthodoxæ Religionis, & hæreseos fomentis agitur, dum Cæsar dignitates

Eccle-

Ecclesiæ, Monasteria, templa, bona Catholicorum injustissimè occupata repetit, & hæresis defendit usurpationem suam. Et in hujus tam impiæ causæ patrocinium Christiani Regis arma concitantur. Surgent in judicio Bonifacius atque Julianus, & se injustè reos esse clamabunt, si fœderum talium armorumque auctores innocentes habeantur.

Sed de jure justitiaque belli exigua ferè cura est. Hoc saltem vereantur, ne rerum in Oriente tam Græcià quàm Judæâ præteritarum infortunia, sint futurarum in Occidente vaticinia. Nescio enim quid infaustum Europæ atque Ecclesiæ pertinax illa duorum fratrum in utero lucta, & infidelium velut obstetricum advocatio, portendit. Jam enim Religionis interitus in Germaniâ præ foribus fuit. Jam Italiæ novus ille Attilas minabatur. Sed repentè Deo impium interficiente spiritu oris sui, periculum nonnihil à Reipublicæ Christianæ cervicibus aversum fuit. Interim, ô cæcitas æmulationis, quæ nec sibi ipsi parcit, dum alteri noceat! Quid enim discriminis etiam ipsa Gallia, hæreticis referta, tali vicino subiisset, non considerant. Non enim periculis, sed certâ præsentique pernicie jam jam in caput irruente, politica prudentia eruditur. Ita Judæa, ita Græcia jam infidelibus accersitis oppressa sapuit. Nolite falli; præstigiis *directi vel indirecti* non illuditur Deus. Nam postquam Filium suum incarnatum totius Ecclesiæ suæ Principem, verumque Regem declaravit; cujus omnes terreni Reges subditi, vasalli, à soloque nutu ejus pendentes administratores sunt; legem inaugurationis omnium & singulorum constanti sanctione implendam esse decrevit, quam Prophetâ vaticinante tulit: *Gens & Regnum,*

*regnum, quod non servierit tibi, peribit.* Nullus hîc illusionibus *directi & indirecti* locus. Etiam indirectè Regnũ Regis incarnati depopulantibus, imò *non ei servientibus*, præstò denuntiatur interitus. Nam sicut omnia propter sese fecit, omnesque Reges instituit propter gloriam suam; ita non solùm eum indirectè lædere, sed vel servitutem ejus detrectare, sub pœnâ perditionis est interdictum nefas. Nec illa consolatio, quam sublevandis sponsæ Ecclesiæ suæ calamitatibus pollicetur, ad extremos usque sæculi præsentis dies revocabitur: *a Audi hoc paupercula, & ebria, non à vino: Ecce tuli de manu tuâ calicem soporis, fundum calicis indignationis mea,* &c. *& ponam illum in manu eorum, qui te humiliauerunt, & dixerunt animæ tuæ: Incurvare, ut transeamus: & posuisti ut terram corpus tuum, & quasi viam transeuntibus.*

a *Isaiæ* 15.

## CAPUT XLIII.

*Consilia potiùs divina, quàm humana attendenda. Error in delectu Consiliariorum Regibus noxius.*

QUæ quidem divini Spiritûs oracula, tot calamitatum experimentis comprobata, Regibus meritò sufficere deberent, ut salubrioribus Regno suo consiliis attenderent, quæ ipsis idem ille suggerit in Scripturis Deus: *Et nunc Reges intelligite, erudimini qui judicatis terram.* Totiusque summam eruditionis brevissimo sermone complexus, *Apprehendite,* inquit, *disciplinam.* Ubi textus originalis, נשקו בר *Osculamini filium*; hoc est, Filium Dei incarnatum, qui constitutus est Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, toto

corde,

corde, studio officiisque veneramini, idque non solùm in Capite, sed & in Corpore ejus, ut ipse totus honoretur. Caput enim jam sursum in cælo gloriosum est, sed Corpus ejus Ecclesia adhuc in terrâ luctatur. Quidquid injuriæ vel ignominiæ infertur Corpori, Caput sentit. Pes hominis in terrâ teritur, sed confestim lingua læsionem vociferatur. Nempe frustra sibi Capitis gratiam benignitatemque pollicetur, quisquis in Corpus ejus populando grassatur. Itaque a *Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus.*

Sed ista Regum est frequens ac deploranda miseria, quòd humanis consiliis proniùs, quàm divinis monitis eorum aures patent. Illa enim plausibili præsentis emolumenti specie, hæc fructuum soliditate commendantur. Species illa citò perit, fructus manet. Non illi præstantissimi Consiliarii, qui solerter excogitata, nova, grandia, sed qui tutiora suggerunt. Nonnulli consilium ab inventi commodi subtilitate, fructum ab aggrediendi audaciâ metiuntur: utrimque peccant imprudentiâ. Speciosa, rara, ingentia suscipiunt, vetustarum & radicatarum arborum evulsiones, Imperiorum subversiones, quibus exsequendis non sunt pares: novandis profectò, quàm perficiendis rebus aptiores, quia Deum inveniunt resistentem conatibus suis. Hinc malè cœpta infeliciùs finiunt. Cùm enim susceptis constantiam adferre volunt, inter fas & nefas nullum discrimen agnoscant necesse est. Extrema gloriæ suæ fortunæque tentantes, extremis implicant Respublicas periculis; infidelibus sanè medicis perquàm similes, qui violenti & inexperti vires pharmaci in alieno corpore experiuntur:



a *Psalm.* 2.

riuntur; ut honor ad ipsos, noxa Regni, odium Principum vicinorum, invidia pessumdatæ Religionis, iracundia Dei ad dominos revertatur. Nimirum cùm sint acuti, non cernũt, quod in promptu est prudentibus, se fœderum impiorum suasu cogere Principes suos, ut solis hæreticis & rebellibus amici sint, & eorum arma soli hæresi atque rebellioni serviant. Ita novâ politicâ suâ prudentiâ, vel potiùs occulto judicio Dei, æmulos reddunt potentissimos, dum eos Orthodoxorum Principum amicitiâ, Catholicorum omnium votis & precibus. Sanctorum omnium in cælis de hæresi triumphantium favore muniunt, ut cæli terræque conspirantium benedictione cumulentur. Hîc eis fructus est prudentiæ, ac ferociæ. Sed latè patet, nec uno modo verum est illud antiquioris prudentiæ effatum: a Οἱ φαυλότεροι τῶν ἀνθρώπων πρὸς τοὺς ξυνετωτέρους, ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον, ἄμεινον οἰκοῦσι τὰς πόλεις. *Hebetiores, quàm acutiores, ut plurimùm meliùs Rempublicam administrant.* Quid enim Galliam in angustias illas compulit, ut jam à multis mensibus, in plenâ cum Principibus Europæis pace, omnium fundos beneficiarios possidentium b evocationem & subevocationem edixerit, quasi jam tum res pro aris & focis ageretur? Nempe limata illa Metaphysicâ cote prudentia, quæ acutulis animosulisque consiliis, quasi cornicum oculos confixura, priscos Carolini Imperii terminos iterum figere meditata est, & eventu frustrata suo, cælum ac terram, quorum offensæ conscia est, velut vindices pertimescit. Etenim præclara fuit sine dubio speculatio,

a *Thucydid. l. 3.* b *Ban, & Arriereban.* Est totius nobilitatis voccatio in extremis periculis.

latio, in quâ sibi Philosophus quisquam, ceu in Platonicâ ideâ augustioris Imperii comminiscendâ poliendaque blandiretur. Sed cùm etiam operi tanto præcipites admovet manus, & ad exequenda cogitata, cum suorum vicinorumque oppressione, cum atrocibus Regum ac Cæsarum injuriis, cum Dei Religionisque contumeliis, quas nonnihil hoc Opere delibavimus, audacula anhelat animositas; profectò cuicumque paulò sedatior est, magisque cana Reipublicæ administrandæ solertia, facilè cernit, maiori calore quàm luce, vanitate quàm soliditate, acumine quàm prudentiâ machinam totam rapi. Parum est enim, si suâ subtilitate & impietate fracta dissiliat: sed mirum, si non etiam ipsos ferocules architectos ejus feriant ruinæ.

## CAPVT XLIV.

*Iterum commendata Regibus Pietas. Multis vinculis Francorum Reges tuendæ Religioni obstringuntur.*

QVapropter qui feliciter imperare cupiunt Reges, consilia non tam transitoriâ Regni temporalis utilitate, sed illius in primis, cujus ministri sint, Religione ac Pietate ponderent. Nam in omnibus administrandi Regni, rerumque feliciter gerendarum præceptis, nullum est capitalius, quàm Catholicis Regibus Catholicæ Religionis tuendæ maximam esse debere curam. Quod vel Ethnicis ita profundè insculptum fuit, ut hac de causa peritus ille Rei-

publicæ formandæ magister dixerit, *a* πρῶτον, ἡ περὶ θείων ἐπιμέλεια. *primum* in omni Republicâ, *circa rerum divinarum*. Itaque Tullius *b* non est veritus gloriari, Romanos *non numero, nec robore, nec calliditate, nec artibus, sed Pietate ac Religione omnes gentes nationesq; superavisse*. Istam Religionis sollicitudinem si consiliis inceptisque Regum tollis, necesse est regimen eorum stultitiâ, scelere, immanitate compleatur. Unde etiam nascitur, ut, dum temporalem sibi securitatem, blandientis utilitatis lenocinio seducti, moliuntur, offenso omnis utilitatis & securitatis auctore, citò aut serò Regnis suis exitium parent. Quod quamvis omnibus Christianis Regibus magnopere formidandum sit, tum verò Regi Francorum tantò vehementiùs, quantò pluribus nexibus ad curandam incolumitatem Christianæ Religionis adstringitur, & gravioribus imminentium pœnarum comminationibus ab eâ lædendâ revocatur.

Nam si vincula attendas, quibus Religioni obligati sunt, hoc ab eis postulat cognomen *Christianissimi*, hoc conditio *filii Ecclesiæ primogeniti*; quæ sibi præ cæteris Regibus deberi putant. Quàm enim dissonum est tam præclaræ professioni, eum, qui se Christianissimum Ecclesiæ Primogenitum gloriatur, esse solum ex Christianis atque Catholicis Regibus, adversùs quem totis penè Christiani Imperii atque Religionis viribus, armis, publicisque Romanæ Sedis precibus, Christiana Religio propugnanda est? Facinoris infamiam Europa gemit; exemplo superior ætas caret; vix posteritas rei insolentiam creditura est.

Hoc

a *Arist. l. 7. Polit. c. 8.* b *Orat. de Arusp. respons.*

Hoc iterum postulat solemnis illa Coronationis ceremonia, quâ tam sollicitè inaugurato fidei Christianæ cura commendatur. Nam in Annuli traditione sic eum Archipræsul affatur: *a Accipe Annulum, signaculum videlicet fidei sanctæ, soliditatem Regni, augmentum potentiæ, per quem scias triumphali potentiâ hostes repellere, hæreses destruere, subditos coadunare, & Catholicæ fidei perseverabilitati connecti.* Et cùm sacratum caput ejus diademate redimitur; *b Accipe Coronam Regni,* &c. *ut contra omnes adversitates Ecclesiæ Christi defensor assistas,* &c. *ut præmio sempiternæ felicitatis coronatus, cum Redemptore ac Salvatore nostro Christo, cujus nomen, vicemque gestare crederis, sine fine glorieris.* Quid enim ab eo, cui hæreseων destructio, contraque omnes adversitates Ecclesiæ Christi defensio committitur, qui Christi Regis ac Domini sui nomen & vicem gerit, alienius fingi potest, quàm ut ille solus hæreses extra Regni sui limites exstirpari, Ecclesiam adversitatibus liberam esse, regnumque Domini sui præ Regni proprii amore, resurgere & florere non sinat?

Hoc denique poscit illa jurisjurandi pietas, quo se devinciunt Francorum Reges Deo, se curaturos, *c ut Ecclesia Dei omnis populus Christianus veram pacem in omni tempore servet.* Cùm verò eâdem Religionis pietate promittunt; *d quòd de terrâ suâ ac jurisdictione sibi subditâ, universos hæreticos ab Ecclesiâ denotatos, pro viribus bonâ fide exterminare studebunt;* quid aliud ab eis tacitè postulatur, quàm ut id, quod interpositâ sacramenti fide, se Christo Domino in

 terris

a *Ceremoniale in traditione Annuli.* b *In impositione Coronæ.* c *In Iuramento, quod præstant sedentes in solio suo.* d *Ibidem.*

terris suis tamquam rem gratissimam præstituros pollicentur, hoc alios eidem Domino suo eâdem sacramenti religione in his terris pręstare satagentes non impediant, non opprimant, non ferro flammâque persequantur? Quantâ enim absurditate, pietatisq; perversitate, unus atque idem animus seriò bonâque fide utrumque à se præstari posse putet, quis non vel primis Christianæ sapientiæ principiis initiatus advertit?

## CAPUT XLV.

*Testamentum S. Remigii Regiæ stirpi conditum expenditur.*

QUòd si Regibus, Religionis depressoribus, denuntiatas ab irato Numine minas expenderimus, nemini severiùs, quàm Francorum Regibus, intentatæ sunt, nemini suspensiùs formidandæ calamitates, nemini studiosiùs fugiendæ. Nam pręterquam, quòd, cui amplius datum est, amplius petetur ab eo, in ipsis Regni primordiis cura Religionis Regiæ stirpi à Francorum Apostolo moriente, cum testamentariâ maledictionis atque interitûs interminatione, commissa est. Res publicâ luce, & Regum notitiâ dignissima, sacramentique plena est. Nam sanctus Remigius, Francorum Apostolus, cùm ultimum vitæ diem appropinquare cerneret, de Catholicæ fidei stabilitate sollicitus, quam Francorum genti, Regique Clodovæo consignaverat, testamentum condidit, Regibus Francorum profectò perquàm gloriosum, si conditiones ejus impleverint; formidabile, si neglexerint:

a *Generi Regio parcens, statuo,* inquit, *ut, si aliquando genus illud Regium per benedictionem meam toties Domino consecratum, ma'a pro bonis reddēs, Ecclesiarum Dei pervasor, depopulator, gravis aut contrarius existere voluerit, convocatis Remorum Diœceseos Episcopis, primùm moneatur: & deinde Ecclesia præfata, adjunctâ sibi sorore Ecclesiâ Treverensi, iterum conveniatur. Tertiò verò, Archiepiscopis tantummodo Galliarum tribus aut quatuor convocatis, Princeps ille, quicumque fuerit, moneatur: ita ut usque ad septimam monitionem, si priùs satisfacere renuerit, paternæ pietatis longanimitate differatur. Tandemq; si postpositis omnibus præfatis benedictionibus, incorrigibilis contumaciæ spiritum non deposuerit, & se per omnia Deo subdere nolens, benedictionibus Ecclesiæ participare noluerit, elogium segregationis à corpore Christi, ab omnibus ei porrigatur, quod per Prophetam & Regem David longè antè, eodem, qui in Episcopis est, dictante sancto Spiritu, noscitur decantatum* b: *Quia persecutus est, inquit, hominem inopem, & mendicum, & compunctum corde, & non est recordatus facere misericordiam; & dilexit maledictionem, & veniet ei; & noluit benedictionem, & elongabitur ab eo. Totumq; quod in personâ Iudæ traditoris Domini nostri* JESV *Christi, & malignorum Episcoporum, Ecclesia decantare solet, per*

 *singulas*

a *Testamentum S. Remigii apud Brisson. de formul. l. br. 7. & Flodoard. hist. Rem. lib. 1. cap. 18.* b *Psalm. 108.*

*singulas ei decantetur Ecclesias; quia Dominus dixit: a Quamdiu fecistis uni ex minimis meis, mihi fecistis: & quamdiu his non fecistis, nec mihi fecistis. Et ideo quod probatur in capite, in membris intelligendum esse non dubitetur. Unum tantummodò ibi verbum per interpositionem cõmutetur:* b *Fiant dies ejus pauci, & Principatum ejus accipiat alter.* Quis hîc non expavescat successorum Clodovæi, qui fortè Ecclesias Dei vel indirectè *pervaserit, destruxerit, depopulatus fuerit?* qui Regni sui transitorii qualemcumque securitatem Ecclesiæ statu atque Religione potiorem ducens, fidem hæresibus opprimendam, templa impiis spolianda, infirmos fratres suos impiis Doctoribus pervertendos, mysteria hæreticis profananda tradidit? Non est, quòd miremur ampliùs, Valesiam stirpem, tantâ numerositate fœcundam, tam perspicuo divinæ providentiæ miraculo succisam esse. Nemo quærat, cur dies ejus pauci facti sint, & Principatum ejus acceperit alter. Nimirùm propheticum illud Sancti Remigii testamentum etiamnum exserit vires suas. Cælestes diræ etiam Alpes transeunt; nec Gallicana morantur privilegia. Vigilat enim Dominus super verbum suum, quod sanctificatum illud organum ipso inspirante vaticinatum est: vigilat Testator, qui etiam mortuus in cælis vivit: vigilant Signatores, plerique sanctitate celebres, dirarum testes, iniquitatis ultores. Quot enim testamentum subscriptores continet, totidem benedictionum & anathematum executores præstò sunt:

Ego

a *Matth.* 25. b *Psalm.* 108.

*Ego* REMIGIVS EPISCOPVS *testamentum meum relegi, signavi, subscripsi: & in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Deo adjuvante, complevi.*

VEDASTVS EPISCOPVS, *Cui pater meus Remigius maledixit, maledixi: & cui benedixit, benedixi: interfui quoque, & subscripsi.*

GENEBAVDVS EPISCOPVS, *Cui pater meus Remigius maledixit, maledixi: & cui benedixit, benedixi: interfui quoque, atque subscripsi.*

MEDARDVS EPISCOPVS, *Cui pater meus Remigius maledixit, maledixi: & cui benedixit, benedixi: interfui quoque, atque subscripsi.*

LVPVS EPISCOPVS, *Cui pater meus Remigius maledixit, maledixi: & cui benedixit, benedixi: interfui quoque, atque subscripsi.*

BENEDICTVS EPISCOPVS, *Cui pater meus Remigius maledixit, maledixi: & cui benedixit, benedixi: interfui quoque, atque subscripsi.*

ELOGIVS EPISCOPVS, *Cui pater meus Remigius maledixit, maledixi: & cui benedixit, benedixi: interfui quoque, atque supscripsi.*

AGRICOLA PRESBYTER, *Cui Pater meus Remigius maledixit, maledixi: & cui benedixit, benedixi: interfui quoque, atque subscripsi.*

THEODONIVS PRESBYTER, *Cui pater meus Remigius maledixit, maledixi: & cui benedixit, benedixi: interfui quoque atque subscripsi.*

CELSINVS PRESBYTER, *Cui pater meus Remigius maledixit, maledixi: & cui benedixit, benedixi: interfui quoque, atque ſubſcripſi.*

Quæ procella maledictionum! Quæ diræ fulminum! Quæ tempeſtas anathematum, in cujuſcumque tandem caput incubuerint! a *Ad tam magna onitrua qui non expergiſcitur, non dormit, ſed mortuus eſt.*

a *Auguſt. in Enchirid. cap. 74.*

F I N I S.

ELEN-

# ELENCHVS
## CAPITVM LIB. I.

*23. Vis*

ELEN-

# ELENCHVS
## CAPITVM LIB. II.



11. In

*&*

39. Fæ-

FINIS.